XENOPHONTIS, PHILOSOPHI ET IMPERATORIS CLARISSIMI, QVAE EXTANT OPERA,

in duos tomos diuisa:

A IOANNE LEVNCLAVIO tertia cura in Latinum sermonem conuersa, nouaq; Adpendice recens aucta:

Nunc ab ÆMILIO PORTO FR. F. recognita, breuibusq; singulorum librorum argumentis & notatiunculis illustrata. Cuius ad Græcum contextum Notæ perpetuæ, cum Indice Græcolatino, seorsum ad Græcolatinam editionem adiunctæ.

Additus in calce Index Rerum & Verborum memorabilium; a fronte, Tomi vtriusq; & nouæ Adpendicis Leunclauianæ Catalogus.

FRANCOFVRTI
Apud Andreæ Wecheli hæredes,
Claudium Marnium & Ioann. Aubrium,
A. CHR. M D XCV.

Cum S. Cæs. Maiest. priuilegio ad sexennium.



HENRICO BORBONIO, HVIVSCE NOMINIS, IIII. GALLIARVM, ET *Nauarræ Christianißimo Regi,*

S. P. D.

P. Q. F.

O.



CVM præstantissimos de Cyri, Persarum Regis, institutione libros à Xenophōte scriptos, nouissimè recognoscerem (Henrice, Christianorū Regum Maxime Rex) in eam veni cogitationem, quæ multos insignis doctrinæ viros, acri iudicio præditos, iam pridem animo tenuit suspensos. Quòd enim tot, tantarūque virtutū laudes huic Regi tributas hîc animaduerterent, quæ fidem omnem superare videntur, existimarunt in hisce libris non Cyri vitam describi: sed perfectissimum, atque pulcherrimum optimi Principis exemplar omnibus mortalibus spectandum, ac imitandum proponi. Quare

quid mirum si iudicium, & auctoritatem illorum, qui propter sapientiam sunt celebres, ego quoq; rebus non satis attētè consideratis, aliquandiu sequutus hæsitarim? Sed quum in mentem ea reuocaui, quæ idem Xenophon de Agesilao, Lacedæmoniorum Rege, prolixè scripsit, quū etiam memoria repetere cœpi, quę de multis Romanorum Imperatoribus, aliisque clarissimis viris, tam in Latinis, quàm Græcis historiis traduntur, tunc illa quoque vera esse credidi, quæ Cyro passim à Xenophonte tribuuntur. In qua sentētia multo magis sum confirmatus, quum alios etiam à variis scriptoribus longè maioribus laudibus affectos vidi. Verùm in præsentia cęteri taceant: audiamus tantum quid Tullius, facundiæ Romanæ parens, de Cn. Pompeio, pro lege Manilia, prædicet.

» Vnus (inquit) Cn. Pompeius est, qui
» non modò eorum hominū, qui nunc sunt,
» gloriam: sed etiam antiquitatis memori-
» am virtute superarit. Ego enim sic existi-
» mo, in summo Imperatore quatuor has res
» inesse opotere, scientiam rei militaris, vir-
» tutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igi-
» tur hoc homine scientior vnquam aut fuit,
» aut esse debuit? qui è ludo, atque pueritiæ

disci-

"disciplina, bello maximo, atque acerrimis hostibus, ad patris exercitum, atque in militiæ disciplinam profectus est: qui extrema pueritia miles fuit summi Imperatoris, ineunte adolescentia maximi ipse exercitus imperator; qui sæpius cum hoste conflixit, quàm quisquam cum inimico concertauit: plura bella gessit, quàm cæteri legerunt: plures prouincias confecit, quàm alij concupiuerunt: cuius adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis præceptis: sed suis imperiis: nō offensionib. belli; sed victoriis: nō stipēdiis; sed triumphis est traducta. Quod deniq; genus belli esse potest, in quo illū nō exercuerit fortuna Reipub? ciuile, Africanū, Transalpinū, Hispaniense, mistum ex ciuitatibus, atque bellicosissimis nationibus, seruile, nauale, varia, & diuersa genera & bellorum, & hostium non solùm gesta ab hoc vno: sed etiam confecta, nullam rem esse declarant in vsu militari positam, quæ huius viri scientiam fugere possit. Iam verò virtuti Cn. Pompeij quæ potest par oratio inueniri? Cætera, breuitati studens, consulto prætermittam. Hoc encomio aliúdne maius excogitari potest? Quis tamen hoc ad voluptatem fictum esse dixerit? Quis falsum appellarit?

Sed (ſi mihi quoque liberè proferre licet quod animus ſentit) hæ laudes, Tulli, quas tuo Pompeio per aſſentationem magnificè tribuis, illi potius conueniũt, illi iure debentur, qui verè præſtitit, quę pluribus hîc recenſes.

Cùm igitur eum, qui non ipſam virtutem: ſed quandam virtutis ſpeciem, & inane ſimulachrum præ ſe ferebat, ſummis in cœlũ laudibus efferre non dubitaris, quid quæſo ſentires, Cicero, quid diceres, ſi noſtro ſeculo viueres, ſi Regis Henrici præſtantiam, & miracula videres, ſi præclariſſimis vniuerſarum gentium teſtimoniis, atq; pręconiis eam ornari præſens audires? Quam orationem Herois tanti virtutibus parem inuenires? Hæ profectò faciunt, vt non ſolùm cuncti Gallię populi: ſed & alię nationes, quæ grauiſſimam barbarorum, ac tyrãnorum barbaris immaniorum ſeruitutem, & crudelitatem experiuntur, hũc Regem, vt alterum Dauidem, cœlitus demiſſum credant; Liberatorem optent, in ipſius incredibilem fortitudinem oculos coniiciant, aduentum expectent, Deoq; pro felici rerum ſucceſſu vota nuncupent. Hæ faciunt ut Gallorum hoſtes quantumuis feroces, vel ſolo Borbonij nomine terreantur,

reantur, & in munitissimis suarum arcium propugnaculis consternati trepident, omnemq; salutis, & vitæ spem in sola Regis inuicti clementia ponant. Nec temerè sic iudicant. Sciunt enim, ac persuasum habent, si teterrimorum facinorum à se patratorum diritas ad regiam clemētiā semel aditum sibi præcluserit, se funditus, idque confestim euersum iri.

Magna sunt, fateor, magna sunt encomia, quibus Cyrus à Xenophonte, Pompeius à Cicerone decoratur: Sed quid a veritate nimis remotum hîc animaduertis? Magistratus enim, qui publicam sustinent personam, & populorum habenas moderantur, vt honoribus, vt dignitatibus, vt splendore sunt illustriores, quàm fortunæ vulgaris homines, sic etiam virtutibus antecellere debent. His autem ornantur præcipuè, qui Deo sunt charissimi. Qui vero sceptrum sibi diuinitus traditum ita gestāt, & tractant, vt maximas laudes mereantur, cur laudibus virtute partis fraudentur? Cū autem in vno nostri seculi Rege, quo præstantiorē aliū Gallia nunquā vidit, omnia longè maiora sint, quàm vel in Xenophontis Cyro, vel Ciceronis Pompeio, vel aliis, quorū beneuolentiā pleriq; scriptores suis

laudationibus venari ſtuduerũt, ecquis, virorum neq; tot, neq; tantis virtutibus prædictorum dictis, factisq; longè minoribus fidem cenſebit derogandam?

Quoniam autem (Chriſtianorum Regũ Maxime Rex) in his Xenophonteis libris (ſi modò res magnas paruis componere fas eſt) multa multorum Regum, Imperatorum, ac Heroum facta obſeruaui, quæ viuam virtutũ, quibus à Deo redimitus vndique coruſcas, imaginem oculis, animisq; repræſentant, me T.M. rem haud ingratam facturum exiſtimaui, ſi hæc Philoſophi, & Imperatoris clariſſimi opera à me recẽs recognita, breuibus ſingulorũ librorum argumentis, & perpetuis notis illuſtrata, & græcolatino indice aucta, tibi, Chriſtianorum Regum Maximo Regi, Imperatori ſummo, Heroi fortiſſimo, Sapientiæ ornamentis inſtructiſſimo, & præſtãtiſſimo bonarũ Literarũ Patrono, ego bonarũ literarum ſtudioſus dedicarem. Artaxerxes, magnus ille Perſarum Rex, non minus regium, & humanũ exiſtimãs, parua benignè, & alacriter accipere, quam magna largiri, cùm fortè quidã ruſticus, qui nihil aliud habebat, ambabus manibus aquam ex flumine hauſtam, ipſi prętereũti, ac ſitienti,

alacriter

alacriter obtulisset, eam iucundè suscepit, ac arrisit, quòd non rei, quæ donabatur, vtilitate: sed eius, qui rem largiebatur, egregia voluntate, munus oblatum metiretur. Quid de Traiano Cæsare, maximo Romanorum Imperatore dicam? Nonne Græcorum apophthegmatum libellum à Plutarcho sibi dedicatū, alacriter accepit, & Plutarchi labori, ac industriæ gratiam eam habuit, quam ab Imperatoria Maiestate haberi decebat? Aude igitur tu quoq;, Christianorum Regū Maxime Rex, aude Heroum Heros fortisśime, aude meū hoc tenuisśimum munusculum, syncerum tuarū virtutum præconē, ac fidisśimum testem, hoc honore dignari, vt, quod ad sempiternam obseruantiæ memoriam offertur ab homine, qui T. M. est addictisśimus, id serena fronte, lætoq; vultu spectes, accipias, tuæque beneuolentiæ, & beneficentiæ patrocinio tuteris. Ego verò Deum Opt. Max. supplicibus orabo precibus, vt T. M. ab intestinis, ac externis impiorū insidiis, & conatibus perpetuò defendat, omnibusque felicitatis humanæ bonis affluentem, quàm diutisśimè nobis conseruet, vt te regnante Pietas, & Iustitia, firmisśima regnorum, ac principatuum fulcra, con-

ſtanter floreant, & Muſæ, quæ propter bellicos tumultus in omni Gallia tot annos ſtratæ, neglectæque iacuerunt, nunc tandem regia manu ſubleuatæ ſurgant, priſtinam dignitatem, ſplendorem, gloriamque recuperent, & debitis honoribus, ac præmiis iterum, vt olim, decorentur. Datum Heidelbergæ Cal. Sept.
cIↃ IↃ XCV.

T. M.

Addictiſſimus, & ad imperata faciendum paratiſſimus,

Æmilius Portus,
Franciſci Porti
Cretenſis F.

GENE-

GENEROSO ET ILLVSTRI VIRO KAROLO BARONI ZEROTINO, NAMESTI, Rosſitzæ, Brandiſij, Lumnitzęq; Domino, Morauici exercitus pro Cæſ. M. in Vngariam præfecto ſummo, litterarum litteratorumq; patrono benigniſsimo,

FRIDERICVS SYLBVRGIVS
S. F. Q. P. P.



RAVE *ſane accidit humano ingenio, cum vel coniugem tenellosque liberos, vel inſigne aliquod ac reipublicæ conſecratum opus, velut in medio inſtituti curſu, ſubito fati nutu deſerere cogitur: nō quod triſte ſit Deū ad meliora vocantem ſequi; ſed quod orborum amicorumq; iuuandorum ſtudium a natura inſitum, ægre deponi poſsit. Itaquamquam non dubito quin &* LEVNCLAVIO *noſtro perquam iucundum fuerit a laborioſa ærumnoſaq; ſtatione ſibi diuinitus aſsignata, ad beatam quietem transire: verumtamen quoniam ſtudia ſua maxima ex parte ad reipublicæ poſteritatisq; vtilitatem conuerterat, prius eum quæ a ſe inchoata, affecta, & propemodum perfecta erant, ad fi-*

nem perducere cupiuisse, naturæ ac rationi consentaneum est. In primis hoc satagebat, vt quum longinquis diuturnisque profectionibus bonam Orientalis imperij partem peragrasset, ea quæ de rebus Turcicis partim e Græcorum, partim e nostratium, partim etiam ex ipsorummet Turcorũ scriptis magno labore accuratoq; studio vltra superiores editiones congesserat, quam exactißime ad posteritatem sua opera transmitterẽtur. Præter Laonicum Chalcocandylen & Pratorẽ Græciæ, transscripserat etiam Constantini Imperatoris ad Romanũ filiũ de summa totius Imperii, de sociorum omnium fœderibus, de hostium viribus, rationibus & consiliis, copiosißimos luculentißimosq; commentarios, Græce Latineq; illos editurus. Tũ ad Ius Græcorum ciuile canonicũq; (quod præclarißimum & quantiuis pretij opus, ante aliquot annos e diuersis Europæ bibliothecis a se collectum & absolutum, C. V. Marquardo Frehero consiliario Palatino discedẽs crediderat) magis ac magis augendum & illustrandum, additamenta quædam ab eodem Frehero acceperat; quæ, magno illi corpori inserenda, & ipsa Latio donaret. Nec dubium est quin eo tempore quo ista omnia secum habuit, pro indefesso litterarum propagandarum studio, eadem vel omni, vel maiori saltem ex parte absoluerit. XENOPHONTEM *certe, qui nunc tertia eius lucubratione*

cubratione in lucem prodit, ceteris sui partibus consummatum, solo titulo ac præfatione orbum reliquerat; ut nonnumquam nobilis architectus, splendida basilica, aliove magnifico ædificio, cetera quam accuratissima diligentia elaborato, solo frontispicio non omnibus numeris expolito, inexspectato fati iussu manum ab operis consummatione abstrahere cogitur. Tertiam porro curam ei auctori propterea impenderat; quia cum ante annos XVIII Xenophontē secundo a se recensitū Henrico Stephano clarissimo typographo recudendum dedisset, isque iusto diutius pressus, tandem plane periisse putaretur, ne laborem semel cum gloria exantlatum subterfugere videretur, tertio eum ita repetiit, ut ipse in eo se plane superauerit: eo nimirum omni virium contentione sibi adnitendum ratus, ut quanto maior est Xenophon, vir amorum variæque eruditionis gloria celeberrimus, tanto tersiore pallio prætextaque cultiore a se in Quiritium cœtum emitteretur. nam (ut defuncti verba ex prima eius ad illustriss. fortissimumq; Ducem Ioannem Casimirum Palatinum præfatione repetam) Magnæ quædā ac graues in primis causæ sunt quāobrem ab omni hominum ætate ac genere Xenophontis monumēta studiose legi debeant. & historiam enim scripsit; qua nihil esse iucūdius potest: & optimarum rerum-

publicarum ſtatus depinxit; quo nihil præclarius: & doctrinam quæ eſt de moribus, ex ſapientiſſimi viri Socratis ſcholis ac diſputationibus illuſtrauit; quo nihil ad hominum vitam vtilius: & tuendæ rei familiaris præcepta dedit; quod certe ad vniuerſos pertinet. Idem non ex eorum eſt philoſophorum numero, qui alicubi in angulis & vmbra, culicis paſſus, vt ille quondam dixit, metiebantur: ſed res ampliſſimas ipſe geſſit, & apud præcipuos ſui ſæculi reges, magiſtratus, imperatores, ſummo in honore fuit. Quæ vna profecto cauſa mouere nos debebat, vt ſtatueremus eius lectionem non priuatis tantum hominibus, ſed illis etiam qui loco ſupra mortales ceteros excelſo ſunt, inque reipublicæ gubernatione verſantur, vtiliſſimam eſſe. Nam quem non illi fructum ex commentario de rebus a Cyro maiore geſtis capere poſſunt? quæ non ibi præcepta ſunt quo pacto ſe vir in republica princeps inde vſque a primis annis domi, foris; pace, bello; rebus ſecundis, aduerſis; erga ſuperiores, æquales, ſubditos; amicos, fœderatos, hoſtes; omnis adeo generis homines gerere debeat? P. Cornelium certe, qui ex Carthagine Africaque victa nomen Africani adeptus eſt,

numquam

numquam hos libros de manibus deponere solitum fuisse accepimus. Itidem, graui teste M. Tullio; scimus L. Lucullum summum imperatorem, quum aduersus Mithridatem Ponti regem, cui tantum non vniuersa parebat Asia, cum exercitu mitteretur, rudem prorsus & imperitum artis imperatoriæ fuisse: verum quum inter nauigandum hos ipsos quos dixi Xenophontis libros diligenter lectitaret, tantũ profecit, vt de hoste omnium longe callidissimo, ac inprimis strenuo, multas clarissimas victorias reportaret. Quid dicam de libris quibus Cyri iunioris expeditionem aduersus Artaxerxem fratrem exposuit? Certe vt initio nobis in Cyro strenui, benefici, militibus grati, sed temerarij: sic libris sequentibus, imperatoris perfecti imaginem in seipso expressit. Ac vel vna illa conseruati Byzantij descriptio summam admirationem meretur. quamobrem & Chio, magni olim nominis philosophus, elegantissima eam epistola complexus est ita, vt verissimũ narrationi Xenophonteæ testimonium perhiberet. Græcarum historiarum libri, nostri sæculi nobis imaginem repræsentant. Nam & nos inter nos digladiamur, neglecto hoste publico ac capitali, perinde atque tunc

temporis Atheniēſes, Lacedæmonij, Thebani, Arcades, ceteri, omiſsis barbaris qui ſaluti omnium inſidiabantur, ruptisq; fœderibus, in ſeipſos arma vertebāt. Quapropter magni certè intereſt, viros etiam principes hosce libros familiariter cognitos habere, neque vel pudore præpediri, vel praue iudicantium imperitis vocibus deterreri, quominus id faciant, quod olim maximos imperatores facere non puduit. Quod ſi fiat, inferiorum quoq; ordinum homines eo exemplo mirifice excitabūtur. *Quocirca vt & Leunclauius noſter pro ſua virili nonnihil ad hoc opus conferret, vt Xenophontis tam vtiles libri a diuerſis etiam hominibus cum fructu legerentur, non ſolum Græca exemplaria multis a mendis repurgauit, ſed interpretationē quoque nouam adiecit, quæ tum ſeorſum legi ſine faſtidio poſſet ab iis qui Græca non deſiderant, tum ſtudioſis litterarum hominibus, vtramque linguam inter ſe quaſi conferre cupientibus ſeruiret. Nouam etiam Adpendicem attexuit, qua ceu face Xenophonteæ lectionis ſtudioſis præluceret. Ad te vero, generoſiſsime Baro, vt hunc defuncti laborem mitterem, graues ac iuſtæ fuere cauſæ. Cum enim primæ editionis patronus, & ipſe ante aliquot annos a ſupremo vniuerſi moderatore ex hac vita euocatus ſit, non potui circumſpicere*

spicere, qui orbæ huius editionis tutelam præter te ipsum (ita censentibus etiam CC. VV. Paulo Melisso, Marquardo Frehero, & aliis qui te singulari studio colunt) aut libentius suscipere, aut melius gerere posse videretur. Nam vt taceam quæ tibi cum principibus viris sunt communia, peculiariter ingenij animique dotibus ita diuinitus exornatus es, vt quæ ceteris vix singula sunt tributa, in te vniuersa sint collata. tum in litteratæ sapientiæ studio, in peregrinationibus, bellicis togatisque negotiis, multiplici denique rerum vsu, ita versatus es, vt Xenophontis luculenta in te imago reluceat: quamobrem & Cæsarea Maiestas te Morauicis copiis in Vngarico aduersum Turcos bello ducē præesse voluit. eo insuper es iudicij acumine, vt quid ad recti normam quadret, quid ab ea declinet, dextre diiudicare noris. eo item æquitatis veritatisque studio duceris, vt quæ inuidiose carpi premique sentis, ea libere fortiterque pro viribus tuearis. Ad hæc Leunclauium nostrum in multis itineribus comitem, & vt aliquot annorum interuallis domesticum, ita huius nouissimæ aduersus publicum hostem expeditionis socium habuisti, magnoque cum mærore ceu fidum Achatem innuitum amisisti. Quocirca cum & defunctus has lucubrationes suas illustri nomini tuo dicaturus fuisse videatur, nos illius ceu fratres, tuo eas pa-

trocinio etiam atq; etiam commendamus; hoc enixißimo a te studio contendentes, vt non hisce modo te tutorem patronumq; præbeas, sed ad ceteros quoque defuncti labores in publicum proferendos, ducem te nobis adiutoremq; præstes. Nos interea Deum opt. maximum precabimur, vt te cum in aliis laudatißimis institutis, tum in litterarum religionisq; aduersus barbaros defensandæ ac propagandæ infatigabili studio magis magisq; corroboret, luculẽtisq; tandem tantorũ laborum præmiis coronet. Heidelbergæ v Kalen. Septembr. Anno Christi 1594.

PAVLI

PAVLI MELISSI FRANCI,
COMITIS PALAT. ET EQ.
CIVIS ROMANI
ODE
AD ILLVSTREM VIRVM
CAROLVM ZEROTINVM,
BARONEM.
De obitu IOANNIS LEONCLAII Amelburni.

QVERARNE ruptas ante diem manu
Clothûs avaræ stamine cum breui
Tramas LEONCLAI? Querarne
Tam subito ZEROTINE casu
Manes petitos? ah! homines sumus,
Mortale semen. Mens mihi (testis es
FREHERE) præsagibat, hinc cum
Ille senex abitum pararet,
Redâque vectum nos comites duo
Deduceremus; non fore ut amplius
Ipsum intueri post daretur.
Sic igitur, calicis supremi
Post dona libata, alteri ab alteris
Digressionem fecimus. Vt Nicer
Virum, & Palatini tetrarchæ
Bibliotheca libris vetustis
Frequens anhelat! Pallas vt anxia
Grexque eruditus ringitur! Angulum
Vt sæpè lustro, sedit in quo
Peruigil is, veterumque Graiûm

Euoluit acer docta volumina,
Spectantia ad ius & solidam Themin,
Latumque campum tramitesque
Historiæ ampliuagê patentes!
Suâpte dextrâ vidi ego sedulo
Illum exarantem, codicibus tribus
Excerpta, Græca LAONICI
Scripta, dehinc in apertiorem
Promenda lucem: quæ, rogo, dispice
Illustrium o flos CAROLE, ne situ
Araneoso oblitterentur,
Neue manûs alieniores
Post nigra adempti funera sentiant.
Fragmenta muni quæ superant ope
Recolligendum. Te cauente
Gnauiter, ac satagente rerum,
Huius peribit nil equidem reor
Laboriosi verticis. Vt ferus
Te Mars fatiget, ceterosque
Pannoniis proceres in oris;
Tamen relictas hac quoque parte fac
Iuues Camenas. Iam XENOPHON iit
Orbus secundanas in auras,
Teque (viden?) sibi poscit vltro
Tutorem amicum. Quin tibi supplicat
Pia umbra IANI, siue domestica
Imago defuncti, sepultum
Vt merito decores honore.
VIENNA famæ conscia, tot Ducum &
Regum & potentum patria Cæsarum,
Æterna te ponente seros
Deinde legat monumenta in annos.

Anno M.D.XCIV. Mense Iunio. Myrtilleti.

MAR-

MARQVARDI FREHERI
CONSILIARII PALATINI
Epigramma.

SIc fugis, & longum indícis mihi funere luctum,
Pannoniæ procul à nobis extincte Viennæ,
Dilectum caput, & vero mihi frater amore
Docte LEVNCLAVI? *decus immortale Mineruæ;*
Historiæque potens omnis, Latiæ atque Pelasgæ;
Optimus interpres veteris, scriptorque recentis.
Cuncta quis enumeret, vel nomine cognita paucis,
Ingenij monimenta, fidem superantia nostram
Mole sua & numero? totque exemplaria Græca
Seu primum è tenebris per te edita lucis in auras,
Seu mendis lustrata malis, & versa Latinè.
Claudere quæ poterat vix conuenientius alter
Hoc XENOPHONTE *(olim qui maximus induperator,*
Nunc ZEROTINE *cliens tibi nobilis accidit* HEROS.
Sic fas, sic ipsum auctorem voluisse putandum est)
Quem tua pæne nouum iam tertia cura reduxit,
Cycneusque labor suspendit Apollinis ædi.

Nec tamen hoc omne est. maior meliorq; tuorum
Pars superest operũ: quæ non vulgata per orbem,
Sed vulganda tamen, gremio tenet arca fideli,
Emissura breui miracula tanta laborum.
Vnde velut cumulus tibi famæ & postuma laudũ.
Magne vir, & damno auctorum denate bonorum,
Quæ tulit vnquã ætas similẽ tibi, quæue deinceps
Sæcla parẽ reddent? non hoc quis speret, vt optet.
Omnia quantiuis precij pol nos tua tanto
Colligere & colere & mirari impensius æquũ est.

ΕΙΣ ΙΩΑΝΝΟΥ ΤΟΥ ΛΕΩΝ-κλέος Ξενοφῶντα.

Ξεινοφόων, ξείνων φάος ὢν ποτε τῶν ἐν Ἀθήνῃς,
νῦν ἄρα σὺ ξείνων φάος ἔπλετο τῶν ἀνὰ Ῥώμην·
ἐξότε Γερμανῶν σὺ λεῶν κλέος Αὐσονίην αἱ
γῆρων ἐπημφίεσας. τῷ μοι κικλήσκεο φωνῇ
Ἑλλάδι, πευθνίδης περ ἑῶν, Λαῶν κλέος αὐδῆς
ἔθλι καὶ Αὐσονίων πλέθῃς κλέος ἠδὲ Γελασγῶν.

Κάρολος οὐθὲν-ὁ-βίος.

NAR-

NARRATIO DE VITA XENOPHONTIS, EX DIVERSIS SCRIPTORIBVS COLlecta per Ioannem Leunclauium.



ENOPHONTI Patria fuit vrbs Græciæ princeps Athenæ; ad cuius tribum Archiensem pertinebat. Patrem habuit Gryllum. Vultu peruenusto ac miti, cæsarie promissa; quemadmodum Chio Philosophus prodidit: ipso in vultu singularis inerat verecundia. Narrant illum Socrati aliquãdo quodam in angiporto factum esse obuiam, & Socratem eum baculo protenso, quominus præteriret, impediisse: deinde quæsiuisse, quo loco vẽderentur omnia quæ in vrbem adferrẽtur. Ad quæ cum Xenophon respondisset, rursum interrogasse Socratem, vbinam ad virtutem homines consuefierent: illo hærente, iussisse vt se sequeretur. Ex eo tempore Socratis auditor erat. Primus etiam cõmentariis doctrinam Socraticam complexus est; qui nunc quoque titulo Memorabilium exstant. Idem & Philosophorum historiã primus scripsit. Deinde huiusmodi quadam occasione, quemadmodum ipse tertio de Cyri iunioris expeditione libro narrat, in amicitiã Cyri Darij F. qui fratrem habebat Artaxerxen regem, peruenit. Erat Sardibus apud Cyrum Proxenus Bœotus; qui magna mercede data, discipulus aliquando Gorgiæ Leontini oratoris fuerat. Cum eo Xenophonti ius hospitij erat. Quare litteras Sardibus dat ad Xeno-

phontem, eumq́; pellicit vt ad ſe veniat: velle ſe pollicetur ipſi amicitiam Cyri conciliare, quem ipſe patriæ ſuæ præferret. Xenophon, lectis litteris, de hoc itinere Socratem cõſulit. Is, veritus, ne Xenophonti amicitia Cyri apud Athenienſes fraudi eſſet, quod Cyrus aduerſus Athenienſes ſummis viribus Lacedæmonios iuuerat: hoc ei dat conſilij vt Delphos profectus Apollinem conſuleret. Itaque cum eo veniſſet Xenophon, rogat Apollinem cui Deo ſacrificandum eſſet, quémue orandum, vt iter quod ſecum ipſe ſtatuiſſet ingredi, proſpere cederet. Reſpondet Apollo, Diis illis ſacrificaret, quibus hoc deberetur. Cum hoc oraculo reuerſus Athenas, Socratem adit, oraculum narrat. Reprehendit is, quod non potius interrogaſſet, iterne hoc ſuſcipiẽdum eſſet, an non: Quia tamen ita quæſiuiſſet, faciũdum eſſe quod Apollo imperaſſet. Ita tum Xenophon navim aſcendit, Sardes nauigat, ad Proxenum ac Cyrum venit; qui iamiam in Aſiam profecturi erant. Atque heic eum Cyro cõmendat Proxenus; qui rogabat vt ſecum militatum iret, verbo quidẽ aduerſus Piſidas, at reuera aduerſus Artaxerxen regem. Ita tum militiæ nomen dedit in gratiam Cyri; cui non minus carus erat quam ipſe Proxenus. Poſtea Cyro quidem in prœlio, ducibus vero Græcis fraude Tiſſaphernis trucidatis, cum quid agendum eſſet, Græci prorſus ignorarẽt, primus hoc conſilij dedit, vt alij duces occiſorum loco legerentur. Quod cum omnibus placuiſſet, inter alios ipſe quoque dux creatur, qui Græcos cum cæteris domum reduceret. Varia fuerunt tota illa profectione Xenophontis conſilia & ſtrategemata, quibus longe reliquos duces excel-

excellebat. Atque his rebus factum, vt Cherisophus Lacedæmonius dux eum mirifice diligeret: quos quidem inter non nisi semel toto itinere dissidium incidit. Multas hoc tempore militum iniurias pertulit, ac nihilominus eos egregie in officio continuit: etiam aliquando Arcadibus, quamquam ab eis desertus fuerat, suppetias tulit, funditus perituris, ni succurrisset. Posteaquam Byzantium venissent, quo minus vrbem milites ab Anaxibio classis præfecto iritati diriperent, auctoritate sua impediit. Inde ad Seuthen Thracum regem milites ducit, eumque paterno regno exutum feliciter restituit, immanibus Thraciæ nationibus domitis. Verum deinde Seuthes, de consilio Maronensis Heraclidæ, malam Græcis & Xenophōti gratiam refert. Quare copias Lacedæmoniis se traditurum pollicetur; qui bellum aduersus Persas in Asia duce Thimbrone moliebātur. Antequam huic exercitum in Asiam traiectum traderet, Asidate Persa cum vxore, liberis, familia, magnis opibus capto, nonnihil ditatus fuit. Totum iter quo copias duxit per infestissimas nationes, stadiorum fuit triginta & quatuor millium. Post aliquod deinde temporis interuallum, commilito fuit Agesilai regis in Asia: qui quidem euersurus Persicum imperium fuisse putabatur, nisi reuocatus a suis ad compescendum Thebanos auro Persico corruptos, in medio victoriæ cursu fuisset. Apud eumdem maximo fuit in precio, quemadmodum Plutarchus narrat. Absens ab Atheniensibus exsilio multatus est, quod Cyrum iuuisset, hostem Atheniensium, & Lacedemoniorum amicum. Etiam Agesilao in pugna aduersus Thebanos ad Co-

roneam commissa adfuit. Quod autem nonnulli tradunt, eum ab Agesilao rege Spartam accitum fuisse ad erudiendos pueros, vt ex ipso parendi atque imperandi artem discerent: equidem nec verum esse puto, nec auctoritate scriptorum veterum comprobari. Nam quod hoc de Agesilao Plutarchi, probare conantur, ex versione interpretis proficiscitur, viri & mihi amicissimi, & ceteroqui cum paucis omnino, qui hoc sæculo veterum monumenta Latinum in sermonem cõuertunt, conferendi. Scripsit enim Plutarchus, id quod facile intelligent qui Græca ipsius verba diligenter intuebuntur, Xenophonti Agesilaum auctorem fuisse, vt filios suos Lacedæmonem accitos ibidem educaret; quod futurum ei polliceretur, vt artem ibi discerent, qua nulla præclarior, parendi nimirum & imperandi. Hæc verborum Plutarchi sententia est: cui Diogenes etiam in vita Xenophontis nostri adstipulatur. Tradit enim is ex Dioclis auctoritate, filios Xenophontis apud Spartam Lacedæmoniorum disciplina imbutos fuisse. Cæterum deinde Xenophon hospes Lacedæmoniorum publicus factus est, atque ex eo tempore Scilluntem vna cum Gryllo & Diodoro FF. commigrauit. Isthic votum Ephesiæ Dianæ fanum exstruxit, seque cottidie venationibus, inuitationibus amicorum, scriptione historiarum oblectabat. Tradit Pausanias Scilluntem Eleis Lacedæmonios ademisse, donoque Xenophonti dedisse: Dinarchus autem, prædium vnâ cum domo datum ei fuisse ab Lacedæmoniis. Ceterum posteaquam orto inter Eleos & Lacedęmonios bello, Scilluntem Elei adoriren-tur,

tur, ac tardius Lacedæmonii ſuppetias ferrent, Xenophon eiusque filij Lepreum fuga ſeſe receperunt: inde Corinthum peruenere ſalui: qua in vrbe deinceps habitauit. Poſtea cum Athenienſes Lacedæmoniis, quos Argiui & Arcades cum Thebanis coniuncti, tantum non oppreſſerant, publico decreto facto (de quo ipſe libro Græcarum hiſtoriarum extremo narrat) ferendam eſſe opem ſtatuiſſent: Xenophon Gryllum & Diodorum FF. Athenas mittit, vt huic expeditioni intereſſent. Commiſſum inde prœlium eſt ad Mantineam: ex quo Diodorus nulla re memorabili geſta incolumis euaſit: Gryllus autem, aduerſus Thebanos equites collocatus, Epaminondam clariſſimum imperatorem vulneratum occidit. Sic enim ſcripſit in Arcadicis Pauſanias: qui quidem teſtes citat Athenienſes ac Thebanos. Idem pictura quadam Athenis ſe reperiſſe commemorat, qua prœlium ad Mantineam repræſentatum fuerat. Addit etiam Gryllo apud Mantineam fuiſſe columnam cum equeſtri ſtatua collocatam. Forte Xenophon poſt hanc pugnam Corinthi rem ſacram ſerto redimitus faciebat, cum ad eum veniunt, qui occubuiſſe filium ipſius in prœlio dicerent. Ea re audita, dempto de capite ſerto, quo pacto mortuus eſset, quærit. illis reſpondentibus, ſtrenuè pugnantem, ac multis hoſtibus interemptis, tandem & ipſum cecidiſse: corollam in caput reponit, ac ne quidem illacrymans in ſacrificio pergit, hæc (vt quidã aiunt) verba proloquutus: *Sciebam me genuiſſe mortalem.* Gryllus hic a morte laudatus eſt multorum Epitaphiis verſibus, qui quidem patri etiam gratificari cuperent,

vt Aristoles scripsit. De quo licet existimare, magna ipsum in existimatione fuisse. Floruisse maxime Xenophon perhibetur, anno XCIV Olympiadis quarto. Mortuus est anno primo CV Olympiadis apud Corinthum, cum nonagesimum vitæ annum excessisset, auctore Luciano. Vir fortis fuit, equorum, venationis, aciei struendæ, pietatis, sacrificiorum studiosus. Magnas aduersus Aristippum impurum philosophum simultates exercuit: ideoq; in libro memorabilium II, Socratem aduersus hunc de voluptate disserentem fecit: cuius rei Laërtius quoque meminit. Fuit & hoc dignissimũ laude, quod cum latentes alicubi *Thucydidis historiarum libros* surripere posset, eiusque labores supprimere: potius eos in lucem proferendos, summa cum indicatione insignis ingenuitatis, putauerit. Datum ei nomen est *Atticæ musæ*, propter summam orationis suauitatem: quæ quidem causa fuisse fertur, quamobrem quædam inter ipsum & Platonem exsisteret æmulatio; de qua multa licet apud Athenæum legas. Idem liberum quoddam eius ad Dionysium tyrannum dicterium narrat. Nam cum pocillator eum ad bibẽdum cogeret, nominatim compellato tyranno: *Quid hoc*, inquit, *rei est, Dionysi? tamen obsoniorum artifex ille insignis ac varius comedere nos inuitos non cogit, sed cum silentio mensam nobis modeste apponit*. Suidas autem tradit, non *Atticam musam*, sed *Apem* fuisse appellatum; quod & Chrestodorus suis in versibus innuere videtur. M. Tullius *orationem eius* ait *melle dulciorem* esse; quasi ad Homerica verba de Nestore alludens. Idem ait perhiberi, *Xeno-*

phontis

phontis voce musas locutas esse. Ceterum de toto dictionis ipsius genere præclare commentatus est non Hermogenes (vt quidam putat) sed Aristides Adrianensis in libellis duobus, quorum alter De simplici, alter De ciuili oratione inscribitur. Eorum primum nos eleganter ac studiose conuersum a C. V. Gulielmo Cantero nostro vidimus; qui quidem vna cum cæteris eiusdem Aristidis operibus aliquando studio Canteri, Grçcè, Latineque magna cum vtilitate studiosorum hominum prodibit. Denique de libris Xenophontis nostri, eorumque ordine, ac numero, nihil addo, quod satis hæc ab Henr. Stephano explicata statuam; cui sanè studiosi litterarum homines plurimum debēt.

Atq; hæc fere sunt quæ de Xenophonte sparsim tradita, colligere quasi vnum in locum libuit.


I TOMO.

II TOMO.

ADPENDICE continentur.

Chionis

Chionis epistola de conseruato a Xenophonte Byzantio
Hermogenis & Ciceronis de forma dictionis Xenophonteæ elogia
Xenophontis de re equestri liber, eodem Ioanne Leunclauio interprete Taurini.





XENOPHONTIS HISTORIARVM DE INSTITVTIONE CYRI, LIB. I.

IOANNE LEVNCLAVIO Amelburno, interprete.

ARGVMENTVM.

1. Hominibus imperare, difficillimum: non tamen in illarum rerum numero ponendum, quæ fieri nequeant, modò quis aliis imperare norit, vt decet. 2. Brutorum, hominumq; collatio, quæ demonstrat quomodo tam bruta, quam homines erga suos rectores, pastores, ac magistratus se gerere soleant. 3. Cyrus imperandi peritus. Eius præstantia. Imperij amplitudo. Rationes, quibus tantam imperij amplitudinem sibi compararit. Modus, quo tot, tantarumq; gentium beneuolentiam sibi conciliarit, easque diu, pacateq; gubernarit. 4. Cyri parentes, indoles, educatio. 5. Persicarum legũ encomium. 6. Fori apud Persas cognomento Liberi descriptio: in quatuor partes distributio: quibusnam singulæ sint attributæ, & qua de causa. 7. Puerilis ætatis apud Persas exercitia. 8. Ingrati animi vitium quanto in odio esset apud Persas. Causa. Pœna. 9. Puberum exercitia, & arma. 10. Venationi cur operam darent Persæ. tempus. modus. 11. Virilis ætatis exercitia, & arma. 12. Senilis ætatis munus, ac officium. 13. Persicæ Reipub. ratio, mores, instituta. 14. Cyri pueritia, disciplina, exercitia, dicta, factaq; memoratu digna.

15. Cyrus erga suos officiosissimus. 16. Manifestam animi vere regij generositatem, atque celsitudinē egregio responso interroganti matri dato demonstrat. 17. Cyri iudiciū. 18. Ex legibus cur iudicandum. 19. Alterum Cyri responsum ingeniosum. 20. Cyri in omnes humanitas, & in auum pietas. 21. Cur paulo loquacior fuerit. 22. Cyri adolescentis mores, studia, facundia. 23. Quando res præclariores gerere cœperit. 24. Quando, cur, quomodo domū redierit. 25. Cognatos discedentes, vel ex aliquo temporis interuallo redeuntes, osculandi mos Persicus. 26. Astyagis mors. 27. Belli aduersus Assyrios initium. 28. Exercitus Cyro cum imperio traditur. 29. Prima Cyri oratio. 30. Rebus secundis maximè Deū implorandū. 31. Quāti momenti sit rectam aliis imperandi rationem tenere. 32. Falsa de Principum, ac subditorum discrimine opinio. 33. Boni Imperatoris officium. Et artis imperatoriæ partes. 34. Quosdam esse tam iniustitiæ, quàm iustitiæ magistros. 35. Stratagematum varia genera. 36. Præliorū aperto Marte committendorum ratio.

1 *Difficillimū, hominibus imperare.*



ACCIDIT aliquando nobis ad animū, quot populares administrationes ab iis, qui aliter potius, quam in populari reipublicæ statu degere vellēt, euersæ; quot item vel singulorū, vel paucorum principatus, a plebeis sublati sint: quotq; regnum inuadere conati, partim perquam celeriter imperio sint deiecti, partim vt viri sapientes & felices, in admiratione sint: quantocumque tamdem spacio temporis principatum retinuissent. Quin & plerosque videbamur animaduertisse, qui domi suæ familiam, alij maiorem, alij sane modicam alerent: quum tamen iidem domini etiam perpaucos illos magnopere sibi obsequentes habere non possent. Pręterea veniebat in mentem nobis, vt bubulcis in boues, sic equariis in equos, adeoque omnibus, quos pastores dicimus, illæc in animalia, quibus præsunt, nō abs re videri imperium esse. At vero videre videbamur, greges hos omnes lubētius pastoribus suis parere, quam homines magistratibus. Pergunt enim greges, quocumq; pastores dirigunt: atque

atque vt in locis pastum quærunt, in quæ illi loca eos immittunt: sic ab iis abstinent, a quibus arcentur. Quinetiam fructibus, qui ex eis proueniunt, vti pastores pro libitu sinunt: nec vmquam accepimus vllum gregem aduersus pastores coiuisse, quo vel minus eis pareret, vel eos vti fructu nõ permitteret. Immo quibusuis aliis infestiores sunt greges, quam iis, qui & imperium in eos habent, & emolumenta ex eis capiunt: quum homines in nullos maiori coeant impetu, quam quos in se regnum adfectare sentiunt. Hæc quum apud animum expenderemus, ita de his arbitrabamur: vt homini nato facilius existimaremus esse, quibusuis animantibus aliis, quàm hominibus imperare. Sed vbi cogitauimus, fuisse Cyrum Persam, qui complures homines, complures ciuitates, complures etiam nationes sibi parentes habuerit: tũ deinde relicta sententia priori, sic statuere coacti sumus; vt hominibus imperare, neque illarum in rerum numero, quæ res fieri nequeunt, ponendum, neque factu esse difficile censeremus, modo scite quis hoc agat. Quippe Cyro sponte sua paruisse nouimus homines, qui partim ab eo complurium dierum, partim mensium interuallo abessent, partim nunquam ipsum vidissent, partim certo scientes, se non visuros, nihilo tamen ei minus obœdire vellẽt. Etenim ceteris ille regibus tãtum præstitit, quum iis, qui accepissent paternos, tũ qui sibi principatus ipsi acquisiuissent: vt quũ Scytha, quamuis amplissimæ Scytharum copiæ sint, nullam regno suo nationem aliam adiicere possit, satisque sibi ducat, si suæ gentis imperium retineat, & Thrax, si Thracum, Illyricus, Illyricorum; itidemque de ceteris eadem nationibus audiamus: (nam in Europa quidem etiam nunc sui iuris, & a se inuicem distinctæ gentes esse perhibentur) Cyrus vnus, qui nationes Asiæ similiter suis vtẽtes legibus liberasq; reperisset, exigua cum Persarum manu domo profectus, Medis quidem Hyrcaniisq; non inuitis imperauit: Syros vero, Assyrios, Arabes, Cappadoces, Phrygas vtrosque, Lydos, Cares, Phœnices, Babylonios subegerit: atque etiam Bactrios, Indos, Cilices, Sacas item, Paphlagonas, † Megadinos, gentes alias complures, quarum ne nomina quidem referre quis possit, in ditione habuerit. Idem Græ-

Cyrus imperãdi peritus.

Cyri præstantia.

Amplitudo imperij.

† Al. Budinos, & Magadidas.

cos incolentes Asiam, & Cyprios, & Ægyptios, ad mare quum descendisset, suam in potestatem redegit. Harum igitur gentium imperio potitus est, quibus neque cum ipso, neque inter se lingua communis erat. Nihilominus ita metu sui tantum terrarum obire potuit, vt omnibus formidine percussis, aduersus ipsum nemo quidquam moliri auderet. Idem tantum in hominum animis excitare potuit desiderium præstandi ea, quæ essent ipsi grata: vt omnes ipsius arbitrio regi perpetuo cuperent. Tot nationes vt ex ipso penderent, effecit, quot etiam enumerando percurrere fuerit operosum, quacunque scilicet ex parte a regia quis ordiatur, siue ad ortum, seu occasum, siue ad septemtriones, seu meridiem. Nos quidem certe de hoc viro, velut admiratione digno, quo genere natus, quali præditus indole, quali excultus disciplina, tantum gubernandis hominibus excelluerit, alios consuluimus: & idcirco narrare conabimur, quæcumq; de ipso vel percunctando resciuimus, vel intellexisse videmur.

Gubernandi ratio.

3

Cyri parentes.

Cyrum Cambyse patre, Persarum rege, natum fuisse fertur. Cambyses ipse Persidarum e gente fuit ortus, qui auctore Perseo celebrantur. Matrem ei fuisse Mandanam constat, Astyagis Medorum regis filiam. Fuisse autem Cyrus ita comparatus a natura perhibetur, atque etiam nunc decantatur a Barbaris, vt & forma pulcherrimus, & animo præditus humanissimo, & discendi, adipiscendique honoris auidissimus esset: adeoque nullum non laborem perferret, nullum non laudis gratia periculum adiret. Tali quum a natura indole animi, formaque Cyrus esset, quemadmodum sane hactenus memoratur: etiam secundum leges Persarum est institutus. Earum vero princeps esse cura videtur, id efficere, quod bono publico maxime cõducat. Non enim inde faciunt initium, vnde quamplurimis in ciuitatibus leges exordiuntur. Nam pleræque ciuitates cuiuis educandi liberos suos, qua ipsi visum ratione fuerit, potestatem faciunt, atque ipsis etiam prouectioribus viuere sui ex animi sententia permittunt: deinde edicunt, ne quis clepat, ne rapiat, ne per vim domum in aliquam irrumpat, ne quem per iniuriam pulset, adulterium ne cõmittat, magistra-

Indoles.

Educatio.

Legũ Persicarum laus.

gistratus imperio parere ne detrectet, atque his itidem
alia consimilia. Quod si quis horum aliquid transgredia-
tur, pœnæ propositæ sunt. At vero Persicæ leges hoc an-
teuertentes, primum procurant, ne prorsus eiusmodi ci-
ues sint, qui praui alicuius, fœdive facinoris libidine du-
cantur. Atque hoc huiusmodi quadam ratione procu-
rant. Est apud eos forum, quod Liberum vocant, in quo *Forum apud Persas, cognomento Liberum.*
cum regia, tum curiæ magistratuum cæteræ sunt exstru-
ctæ. Hinc & res venales, & nundinatores, & clamores ho-
rum ac insolentiæ alium in locum reiectæ sunt: ne ho-
rum turbulenta confusio cum decoro illorum ordine,
qui sunt instituendi, permisceatur. Forum hoc ad curias 4
situm, quatuor in partes est diuisum. Earum prima pue- *Fori distributio.*
ris est adtributa, puberibus altera, tertia plenam adeptis
ætatem viris, quarta militares annos egressis. Et ex lege
singuli suis in locis adsunt, pueri quidem, & ætatis matu-
ræ viri, primo diluculo: seniores vero vbi cuiq; commo-
dum est, extra statos dies, quibus oportet eos adesse. Pu-
beres etiam propter curias cum armis gymnicis exilibus-
ve dormiunt, maritis exceptis, quorũ præsentia ne qui-
dem requiritur, nisi denuntiatum fuerit, vt adsint: nec
honestum, hos abesse sępius. Harum partium cuiq; duo-
decim sunt præsides, quod Persarum natio totidem in
tribus sit distincta. Præsunt autem pueris delecti quidam
ex senioribus, qui eos effecturi quam optimos videan-
tur. Ephebis item, de virorum ætatis integræ numero le-
cti quidam, qui hos reddituri optimos existimentur. Vi-
ris etiam maturæ iam ætatis præficiuntur, qui tales red-
dituri putentur, vt potissimum sibi præscripta, & a magi-
stratu summo imperata præstent. Ne senioribus quidem
sui præfecti desunt, quippe quod his etiam qui præsint,
deligantur, vt & ipsi officium faciant. Ac nos etiam illa
commemorabimus, quę cuilibet ætati prę standa legum
ex præscripto sunt, vt qua cura studioq; efficiant, quo ci-
ues optimi sint, magis etiam pareat. Pueri ergo magistro- *Puerilis ætatis exercitia.*
rum domos frequentando, in discẽda iustitia versantur,
& aiunt, ad hoc se nõ aliter itare, atq; soleãt apud nos, qui
literis operã daturi sunt. Horum autem prę sides maximã
diei partẽ iure dicundo cõterunt. Nã & inter hos pueros
nihilo sequius, ac inter viros, mutuæ criminũ accusatio-

nes existunt, furti, rapinæ, vis illatæ, doli, conuicij, & aliorum, quæ accusari solent. In illos autem, quos intelligut talis alicuius iniuriæ reos, animaduertunt. Eos etiam plectunt, quos per iniuriam accusare comperiunt. Iudicium vero dant de illo quoq; crimine, propter quod inter homines odia mutua potissimũ existunt, quum postulationes in iudiciis de eo minime fiant, nimirum de ingratitudine. Itaq; si quem intellexerint gratiam non referre, quum possit: in eum etiam valde animaduertũt. Nã ingratos homines inprimis nulla deorũ cura, nulla parentum, patriæ, amicorum, adfici arbitrantur. Quin & impudentia potissimum ingratitudinẽ comitari creditur, quod hæc vna omnium esse maxima dux ad turpissima queque videatur. Præterea pueros ad temperantiam condocefaciunt. Plurimum vero ad hanc discendam confert, quod ipsos etiam seniores, toto die temperanter ac moderate vitam agere vident. Addunt præcepta de præstanda magistratibus obœdientia, quam ad rem multum confert, quod & seniores enixe vident magistratibus obtemperare. Docent eos & ventris ac potus abstinentiam, nec parum ad hoc adfert adiumenti, tum quod seniores quoque non prius ventris causa discedere vident, quam suis a presidibus dimittantur: tum etiam, quod apud matrem pueri non pascuntur, sed apud magistrum, postquam id præsides eis significant. Adferunt autem domo panes quidem ad cibum, nasturtium vero ad obsonium: itẽque ampullam, vt si quis sitiat, e præterfluente hauriat. Ad hæc arcum tendere, sagittis & iaculis ferire discunt. Exercent autẽ in his se pueri vsque ad sextum septimumve ac decimum ætatis annum, a quo iam tempore ad ephebos abeunt, qui hoc rursum modo viuunt. Decem annis, postquam e pueris excesserunt, ad curias somnum capiunt, vt dictũ est, quum ciuitatis custodiendæ, tum exercendæ temperantiæ gratia. Nã hæc potissimum ætas requirere curam videtur. Iidem interdiu quoque magistratibus vtendos se maxime præbent, si qua in re ipsorum opera publice desideretur. Ac siquidem vsus ita postulet, vniuersi ad curias manent. Rex vero, quum venatum exit, (& exit per mensẽ sæpius) dimidiam custodiæ partem educit. Quotquot autẽ exeunt, arcus

Actio in hominẽ ingratum.

Puberum exercitia.

arcus habere iuxta pharetram oportet, ac * copidem in vagina, vel securim. Præterea cratem, & hastas binas, vt harum alteram emittant: altera, si sit opus, cominus vtantur. Cur vero publice venationi operã dent, in qua rex ducis officio perinde ac belli tempore fungitur, quũ & ipse venetur, & vt venentur alij, curam adhibeat, hæc caussa est: quod bellicarum rerum istæc exercitatio verissima videatur esse. Consuefacit enim ad surgendum mane, & ad frigora caloresque perferendos, atque etiam ad itinera & cursus exercet. Præterea sagittis iaculisque feram petere necesse est, vbicumque inciderit. Sæpe etiam acui animum in venatione oportet, obiiciente se robusta & feroci aliqua bestia. * Nam quæ offerunt sese bestiæ, feriendæ sunt: ab iis autem cauendum, quæ in venantem irruunt. Adeoq; non facile quis reperiat, quidnam eorum, quæ bellũ habet, a venatione absit. Quum autem venatum exeunt, prandium secum ferunt, copiosius illud quidem, ceu par est, quam puerorum: alioqui tamen simile. Ac dum venantur, haudquaquam prandent. Sin autem vel feræ caussa præstolari oporteat, vel cæteroqui diutius immorari venationi libeat: illo prandio cœnę tempore sumto, postridie rursus ad cœnam vsque venantur. Itaque biduum hoc vnum diem putant propterea, quod vnius diei cibum absumãt. Faciunt autem hoc consuescendi caussa, vt si quid tale in bello etiam vsus postulet, præstari ab eis possit. Quidquid verò qui hac ætate sunt, venando ceperint, id eis in obsonium cedit: si captum nihil sit, nasturtio vescuntur. Quod si quis eos vel ingrato cibo vesci putat, quum nasturtium solum adhibent ad panem, vel vti potu ingrato, quum aquam bibunt: is ad animum reuocet, quam suauis cibus sit offa & panis, si edat esuriens: quam suauis aqua, si bibat sitiens. Quæ autem domi manent tribus, eæ quum aliorum exercitiis, quæ pueri didicerunt, occupãtur, tum sagittando ac iaculando, in quibus sane perpetuæ inter eos contentiones existunt. Etiam publica quædam horum certamina sunt, & in eis præmia proposita. In quacunque vero tribu quamplurimi peritia, fortitudine, obœdientia præstiterint, eius nõ modo præses a ciuibus laudatur & honore adficitur: sed etiam is, qui eos, dum

** κοπίδες adpellabatur gladij minores leuiter curuati, falcibus similes, auctore Curtio. Infra, lib. 4. ψιλὰς μαχαίρας dixit, id est, gladios exiles.*

* 6

adhuc pueri essent, instituit. Atq; horum domi manentium epheborum opera magistratus vtuntur, si quò prȩsidio custodiave sit opus, aut si vestigandi sint malefici, vel intercipiendi latrones, vel ad aliud quidpiam eorum, quæcunque virium aut celeritatis opera sunt. Hæc igitur agunt ephebi, ac postquam annos illos decem exegerunt, ad viros ætatis plenæ transeunt. A quo autem tempore ex ephebis excesserunt, viginti & quinque annis huiusmodi vitam agunt. Primum perinde ac ephebi se magistratibus exhibent, si qua in parte ipsorum opera publice sit opus ad ea, quæ curant iam intelligentia prædíti, & viribus adhuc integri. Quod si eundum sit in militiam, non iam hoc modo instituti vel arcus in expeditione gestant, vel tragulas: sed arma, quibus apud Græcos inde nomen est, quod eis cominus pugnetur: circum

Virilis ætas.

7 pectora thoracem, cratemq; talem manu sinistra, cum quali Persæ pinguntur: dextra vero sicam, vel copidem. Omnes autem magistratus ex his cõstituuntur, exceptis puerorum magistris. Hos annos quinque ac viginti postquam exegerunt, iam quinquagesimum ætatis annum, ab ortu scilicet, isti excesserint. Itaque tunc eorum in numerum abeunt, qui & sunt & appellantur seniores. Hi verò non amplius extra solum patrium militatum eunt, sed domi manent, omniaq; tam publica iudicia, quam priuata exercent. Etiam capitis supplicia decernunt, ac magistratus omnes legunt. Si qui autem vel inter ephebos vel eos qui plenȩ sunt virilis ætatis, in eorum aliquo deliquerint, quæ legibus constituta sunt: eorum vnumquemque tribuum præsides deferunt, & aliorum quispiam, qui velit. Seniores vero re cognita eũ loco mouẽt. Motus autem ordine, per omnem deinde vitam infamis manet. Vt vero planius vniuersa Persarum reipublicæ ratio declaretur, ad superiora paullum reuertor. Nam propter illa, quæ ante hac a nobis dicta sunt, quam paucissimis nunc declarari poterit. Persarum ad cẽtum & viginti millia feruntur esse. Horum nemo lege ab honoribus & magistratibus arcetur, sed cuiuis Persæ liberos suos ad scholas iustitiæ publicas mittere licet. Mittunt vero, qui alere liberos suos in otio possunt: qui non possunt, non mittunt. Apud magistros autem publicos institutis licet

Senũ munus.

inter

Inter ephebos adolescere, quod illis haud fas est, qui huius institutionis cursum nõ tenuerũt. Iam quotquot inter ephebos ea quæ præscripta legibus sunt, plene præstiterunt, iis permissum est, illorum contubernio, qui virilem ætatem plenã adsecuti sunt, adgregari, ac magistratuũ honorumq; participes fieri. Qui vero vel inter pueros, vel ephebos tempus suum non exegerunt, nec in virorũ ætatis integræ classem admittuntur. Inter viros autem constantis ætatis, qui perpetuo sine culpa vixere, seniorum in ordinem cooptantur. Atq; ita inter hos seniores alleguntur ij, qui omnis iter honesti confecerunt. Hæc constitutæ rei apud Persas publicæ ratio est, quam si sequantur, longe se arbitrãtur * esse optimos. Extat autem hoc quoq; tempore testimoniũ tam moderationis eorum in victu, quam laboris in victu digerẽdo. Quippe nunc etiam apud Persas non solum exspuere palam & emungi & flatus refertos videri turpe ducitur: sed etiam vel excernendi lotij, vel alterius eiusmodi rei gratia secedentem aliquo conspici. Non possent autem hæc facere 8 nisi & victu modico vterentur, & humorem ita labore digerendo consumerent: vt is alia via quapiam excerneretur. Et hæc quidẽ habemus, quæ Persas ad omnes spectantia proferamus. Nunc autem actiones Cyri referemus, exorsi a pueritia: quando eius causa hæc a nobis est instituta narratio. Cyrus enim ad annos vsq; duodecim paulove plures ætatis hac institutus disciplina palam æqualibus vniuersis præstabat, cum discendi, quæ oporteret, celeritate, tum singula recte, ac viriliter exsequendo. Ab eo tempore filiam ad se suam Astyages eiusq; filium accersiuit. Tenebatur enim illius videndi desiderio, quẽ audiebat eleganti præditum indole. Abiit igitur ad patrem Mandana, Cyrum filium secum adducens. Cumq; celeriter aduenisset, atque intellexisset Cyrus Astyagem matris suæ patrem esse: statim, vt puer a natura procliuis in amorem ac beneuolentiam complexus eum salutat ac si familiarem iam dudum & amicum veterem suum aliquis salutaret. Quumque videret eum Medorum more pigmentis oculorum, coloribus illitis, alienis crinibus adpositis ornatũ, (hæc enim omnia Medica sunt, itemq; tunicæ purpureæ & candyes, & monilia circum

** fore. Æ. P.*

Cyri pueritia.

collum, & armillæ circũ manus ambas: quum apud Perſas domi degẽtes hac etiam tempeſtate, multo tum veſtitus ſit vilior, tum victus tenuior) aui ergo quum videret ornatum hunc Cyrus, intuens in eum: Quam pulchrum, inquit, mea mater, auum habeo. Illa vero interrogante, vter ipſi pulchrior videretur, hiccine, an pater. reſpondens Cyrus: Perſarum quidem, ait, o mater, longe pulcherrimus eſt pater meus: Medorum vero quotquot equidem vidi, cum in via, tum ad portas, auus hic meus multo pulcherrimus eſt. Aſtyages autem contra, complexus & ipſe Cyrum pulchra ſtola induit, ac torquibus & armillis honoris cauſa donatũ ornauit. Quod ſi etiam aliquo prodiret, eum in equo, cui frenum eſſet aureum, circumducebat; quemadmodum & ipſe proficiſci conſueuerat. Cyrus autem qui puer eſſet elegantis & liberalis ingenij, hac ſtola delectabatur, & equitationis exercitio nimium quantum gaudebat. Nam apud Perſas, quod equi difficulter illic alerentur, & vſus eorum in regione montana difficilis eſſet, etiam equum conſpici perquam rarum erat. Quum autem cœnaret Aſtyages, adhibita filia & Cyro, quod puero cœnam il-
9 lam gratiſſimam eſſe vellet, vt domeſtica minus deſideraret: tum patinas ei, tum condimenta ciboſque varios admouit. Ibi Cyrum dixiſſe ferunt: Quantum tibi, mi aue, negotiorum eſt in cœna, ſiquidem ad omnes iſtas patellas manus extendere neceſſe eſt, & cibos hoſce tam varios degustare. Tum Aſtyages: Quid? inquit, an non hæc tibi cœna multo videtur melior eſſe Perſica? Ad quę Cyrus: Nequaquam aue, reſpondit. nam via multo ſimplicior apud nos & rectior eſt ad ſatietatem, quam apud vos. Etenim ad eam panis & caro nos deducunt, cum vos eodem, quo nos tendentes, multaſque per ambages ſurſum deorſum vagantes, vix eo tamdem perueniatis, quo dudum delati nos eramus. Verum, mi fili, ait Aſtyages, moleſtæ nobis obuagationes iſtæ non ſunt. quod ſi hæc tu quoque guſtes, quam ſuauia ſint, licet cognoſcas. At vero, inquit Cyrus, video te ipſum, aue, cibos hos auerſari. Quumque interrogaret Aſtyages: Vnde, fili, coniecturam ducens hoc ais? Quod te, inquit, Si panem attigeris, nullam ad rem manum extergere video. Sin horum

rum aliquid adtrectaris, statim mappis purgas manum, quasi perquam moleste feras, plenam iis fuisse. Et Astyages: Si quidem ita fili censes, ait, saltem carnibus vescere, quo iuuenis domum redeas. Hæc dum diceret, multas ei tam ferinas, quam mansuetorum animalium carnes adferri iussisse perhibetur. Cyrus autem, cum eam carnium copiam videret: Dasne mihi, aue, carnes has vniuersas ait, vt eis vti pro arbitrio meo possim? Equidē, inquit ille, profecto has tibi do, fili. Ibi Cyrum aiunt de carnibus acceptis inter aui plerosque ministros familiares distribuisse, quum verba quædam singulis adiiceret: Hoc tibi, qui sedulo me doces equitare. Tibi hoc, qui tragula me donaris. Id enim, quod dem, nunc habeo. Tibi vero, quod auo diligenter inseruis. Tibi, quod matrem meam honorifice colis. Huiusmodi faciebat, vt fertur, donec carnes omnes, quas acceperat, distribuisset. Et Astyages: Nihilne Sacæ das, inquit, pincernæ: qui apud me in honore maximo est? Sacas autem hic & pulcher erat, & honorario munere fungebatur, adducendi eos ad Astyagem, quibus illo conuento esset opus: & alios arcendi, quos minus opportunum putaret adduci. Tum Cyrus vt expers adhuc verecundiæ puer procacius interrogat: Quamobrem, aue, tantum huic honorem habes? 10
Astyages per iocum: An non vides ait, quam belle, quam decenti gestu pocillatoris munus obeat? Horum enim regum pincernæ pocula scite ministrant, & delicate infundunt, ac tribus digitis pateram quasi vehendo sic tradunt & offerunt? vt hausturo poculum commodissime capiendum porrigant. Cyrus autem: Iubeto, inquit, mi aue, Sacam mihi quoque poculum tradere, quo belle infuso tibi potu te mihi conciliem, si possim. Itaque dari poculum Cyro quum iussisset, acceptum ille pari eluit industria, qua Sacam vti viderat. Atque hoc modo vultu ad seriam quandam & honestam speciem composito, sic oblatam auo pateram porrexit, vt largum matris pariter & Astyagis risum concitaret. Ipsum etiam Cyrum cum risu ad auum exiliisse proditum est, & inter osculandum dixisse: Periisti Saca, honore te isto deiiciam. Nam & aliis rebus magis industrius te pocillator ero, & vinū ipse non ebibam. Quippe qui regibus a poculis sunt, quum

pateram porrigunt cyatho, haustum ex ea vinũ & in manũ sinistrã infusum absorbent, vt si venena infundant, nihil hoc eis prosit. Post illa per iocum Astyages: Quamobrem inquit, aliis in rebus scite Sacam imitans, vinum non absorbuisti? Quia profecto metuebam, ait, ne mista in cratere venena essent. Nam cum tu cęna die natali tuo amicos exciperes plane deprehendi, venena huc vobis infudisse. At ille: Quonam hoc pacto fili animaduertisti? Quod videbam profecto, inquit, & animis vos & corporibus titubare. primùm enim, quæ nos pueros facere non sinitis, ipsi faciebatis. Omnes enim simul vociferabamini, cum vosmet mutuo prorsus non intelligeretis. Quin & ridicule admodum canebatis, ac quamuis canẽte quopiam non auscultaretis, iurabatis tamen optime hominem canere. Præterea cum quisq; vestrum robur suum prædicaret, vt primum saltaturi adsurgebatis, tantum aberat, vt saltare possetis ad numerum, vt etiam erecti stare nequiretis, penitus autem obliti eratis, & tu te regem esse, & illi te suum esse principem. Ac eo tempore primum equidem animaduerti æqualem dicendi potestatem id esse, quod tunc a vobis fieret. Quippe nun-
11 quam tacebatis. An vero tuus pater, fili, subiecit Astiages, cum bibit, non inebriatur? Non profecto, inquit Cyrus, quomodo igitur se gerit? Sitire desinit, nec ei quidquam præterea mali accidit. Non enim, vt equidem arbitror, mi aue, Sacas ei a poculis est. Ibi mater: Quamobrem mi fili, ait, tantopere Sacam oppugnas? Quia profecto inquit, odi eum. Nam me sæpius ad auum accurrere cupientem, impurissimus iste prohibet. Sed obsecro te, mi aue, fac vt in eum mihi triduo sit imperium. Et Astyages: Quodnam inquit futurum esset hoc tuum in eum imperium? Stans equidem ad fores vt iste, respondit Cyrus, vbi deinde ad prandium vellet ingredi, nondum ei dicerem, prandij copiam posse fieri. Res enim auo cum quibusdam serię sunt. Post vbi ad cœnam veniret, dicerem eum lauare. Sin admodum cupidus esset manducandi, apud mulieres eum esse dicerem, donec istũ ita differrẽ, vt ipse me differt, adire te prohibens. Hoc modo Cyrus inter cœnandum eos exhilarabat. Interdiu vero difficile cęteris erat, ipsum in efficiundis iis an-

Cyrus erga suos of-

anteuertere, quæcunq; vel auũ, vel auunculum requirere *ficiosissi-*
sensisset. Nam mirifice gaudebat Cyrus, si qua in re posset *mus.*
ipsis gratificari. Mandanã vero cum ad maritum abitura
itineri se pararet, orabat Astyages vt Cyrũ apud se relinqueret. Ea respondit, cupere se quidẽ in omnibus gratificari patri: sed existimare tamẽ permolestũ sibi fore, filium inuitũ relinquere. Ibi tum Astyages Cyrum cõpellans: Si mecum fili, manebis, inquit, primũ in adeundo me Sacas nihil tibi quod imperet habebit: sed arbitrij tui erit ad me, quandocunque volueris, accedere. Quin etiam tibi eo maiorem habeo gratiam, quo me sæpius accesseris. Deinde meis equis, & aliis, quotcunq; volueris, vteris, quumq; abibis aliquo, tecum quos ipse volueris, habebis. Præterea in cœnando ad id, quod ipse moderatum esse statues, qua volueris via incedes. Ad hæc quum eas tibi do feras, quæ nunc in hortis sunt: tum alias omnis generis colligam, quas vbi primum equitare didiceris, persequeris, & sagittis iaculisq; grandium virorum more sternes. Addam & pueros tibi, qui tecum ludant, & alia quęcunque mihi velle te dixeris, nunquam non impetrabis. Hæc quum Astyages dixisset, interrogabat Cyrum 12
mater, manere ne vellet an discedere. At ille nihil cunctatus, Manere se velle celeriter respondit. Rursus autem interrogatus a matre, Quamobrem? dixisse perhibetur: Quia domi quidem mea mater inter æquales & sagittis *Indicium*
& missilibus eiaculandis vt sum, ita videor esse præstan- *animi ve-*
tissimus. Heic autem satis intelligo me ab æqualibus *rè regij.*
equitando superari: quod quidem mea mater, scito per mihi molestum esse. Quod si me heic reliqueris & equitare didicero: quũ apud Persas ero, facile me præstantes illos pedites superaturum arbitror: at vbi huc ad Medos reuertar, inter equites bonos eques ipse præstantissimus, auo auxilia ferre conabor. Iustitiam vero subiecit mater, quo pacto, mi fili, disces heic, cum illic magistri tui sint? Ibi Cyrus respondisse fertur: Equidem accurate mea mater hanc teneo. Qui tenes? inquit Mandana. Quoniam me magister, ait, vt exquisite iustitiæ peritum aliis etiam iudicem dedit. Atque adeo quadam aliquando in lite plagas accepi, quod recte sententiam non tulissem. *Cyri pueri*
Erat autem huiusmodi causa, puer grandis, cui tunica *iudicium.*

parua erat, puerum quemdam alium paruum, qui magnam habebat tunicam, exuit: ac suam quidem illi iniecit, illius autem ipse vestem induit. Iudex his ego datus ambobus esse melius iudicaui, vt tunicam vterque sibi congruentem haberet. At heic me verberibus magister adfecit, quod diceret ita faciendum esse, si quando de eo quod congrueret iudex constitutus essem. Vbi vero iudicandum fuerit, vtrius sit tunica, tum spectandum esse, quæ possessio iusta sit: eumne qui vi quid abstulit, an qui elaborauit, aut emit, æquum sit possidere. Deinde subiiciebat id esse iustum quod legitimum esset: quod autem legibus aduersaretur, pro vi habendum. Quare iudicem secundum legem ferre sententiam iubebat. Sic igitur ego mea mater, accurate iura omnia teneo, quod si quid præterea mihi est opus, auus hic meus docendo adiiciet. At enim mi fili, aiebat illa, non eadem apud auum, & apud Persas esse iura constat. Nam hic omnium apud Medos se dominum constituit: apud Persas autem æqualitas iusta ducitur. Ac tuus adeo pater primus ex præscripto facit, quæ facit ciuitati, & ex præscripto accipit: ac modus ei, non † animi libido, sed ipsa lex est. Quapropter [tibi cauendum,] ne quum domum veneris, flagris cæsus pereas, si pro regio imperio tyrannicum edoctus ab hoc reuertaris: cui quidem hæc inest opinio, plus oportere vnum quam alios omnes habere. Immo vero mea mater, inquit Cyrus, longe pater tuus acrior est ad docendum, vt minus habere quis, quam plus, malit. An non vides, cum Medos omnes docuisse minus habere quam se? Quare bono animo esto, quando pater tuus, vt alium neminem ita ne me quidem sic edoctum ab se dimittet, vt plus cæteris habere cupiā. Huiusmodi multa Cyrus garriebat. Ad extremum mater abiit, & Cyrus istic remanens educabatur. Is vero celeriter æqualibus ita sese consuescendo, admiscuit, vt iam familiariter eis vteretur. Quinetiam ipsorum patres cum adeundo, tum declarando se filios eorum complecti, adeo sibi conciliarat, vt si a rege quid impetrādum esset, filios a Cyro petere iuberent, quo negotium eis conficeret. Cyrus vero quæ illius humanitas, & liberalis ambitio quædam erat, nihil prius, neque potius ducebat, quam vti quod a pueris

Iudicandum esse secundum leges.

13

Al. nō fortuna,

Ingeniosum respōsum.

Cyri in omnes humanitas.

pueris rogatus esset, effectum daret. Astyages autẽ quidquid ab eo Cyrus peteret, nihil denegare poterat, quo minus ei gratificaretur. Nam & Cyrus, quo tempore in morbum auus inciderat, ab eo numquã discedebat, neq; plorare desinebat: quum nemini nõ pareret eum in maximo esse metu, ne auũ morte amitteret. Quin & noctu si quid Astyages requireret, primus id sentiebat Cyrus & omnium impigerrimus exsiliebat ei ministraturus in iis, quæ grata fore putaret: adeoq; iam Astyagẽ totum suum fecerat. Et erat fortasse Cyrus loquacior tum propter institutionem, quod a magistro & factorum suorum rationẽ reddere cogeretur, & ab aliis poscere, quoties ius diceret: tum quod discẽdi studiosus, multa semper ex præsentibus, quo pacto se haberent, ipse quæreret: & sciscitãtibus aliis ob ingenij sagacitatem expedite responderet. Ideoq; fiebat vt ex omnibus his loquacitas ei colligeretur. Verum vt in corporibus eorum, qui grãdiusculi facti sunt in adolescentia, nihilominus iuuenile quiddam minus adparet, quod annorũ paucitatem arguit: sic e Cyri loquacitate non audacia pellucebat, sed simplicitas & propensio quædã ad beneuolentiam potius; vt ex eo quis etiam audire plura cuperet quam tacenti adesse. Postquam vero tempus cum statura corporis ad ætatem pubertati proximã produxerat: tum vero & verbis paucioribus & sedatiori voce vtebatur, & adeo verecundiæ plenus erat, vt ad seniorum congressus erubesceret, nec is amplius ei mos esset, vt instar catulorum procaciter in quosuis irrueret. Itaque fiebat, vt quietior ille quidem esset, in congressibus tamẽ omnino gratus atque iucundus. Nam quæcunque inter æquales esse plerunque certamina solẽt, in his nõ ad ea familiares suos prouocabat, quibus se superiorẽ esse norat: sed quibus certo sciret se superari, eorum autor erat, & se melius illis ea facturum aiebat. Iamq; adeo primus in equos insiliebat, vt vel ex equis iacula vibraret, vel sagittas emitteret, nondum ad insidendum satis adsuefactus: quumq; vinceretur, ipse præsertim sese deridebat. Et quoniã propterea, quod superaretur, haudquaquã defugeret illa denuo facere, quibus inferior fuerat, sed versaretur iterũ atq; iterũ in experiundo, rursus vt idẽ rectius faceret: cito eo perueniret,

In auum pietas.

Cur aliquanto loquacior fuerit.

14

Cyri adolescentis mores ac studia.

vt equitando par æqualibus eſſet; cito conſequutus eſt, vt propter rei ſtudium eoſdem a tergo relinqueret: cito denique feras, quæ in ſeptis hortorum erant, ita perſequendo, feriendo, iugulando confecit: vt Aſtyages vnde feras amplius ei colligeret non haberet. Ibi tum Cyrus, qui ſentiret Aſtyagem, vt maxime vellet, nõ poſſet tamẽ viuas ſibi feras exhibere ſæpius eum compellabat: Quid opus eſt mi aue: tibi moleſtiam feris conquirendis creari? Si me cum auunculo venatum dimiſeris, quaſcunque feras videro, eas te mihi alere exiſtimabo. Quanquam

Cyri verecundia.

vero vehementer exire venatum cuperet, nõ tamen amplius inſtare verbis ita poterat, vt in pueritia: ſed cunctãtius ad auum accedebat, quum ipſe iam ſibi Sacas in iis fieret, ob quæ de Saca queſtus antea fuerat, quod ſe ad auum, non admitteret. Non enim adibat, niſi præuidiſſet, an tempeſtiuum eſſet, & Sacam vtiq; rogabat, vt ſibi ſignificaret, quando accedendi tempus eſſet, quando nõ eſſet. Itaque Sacas perinde iam, atque omnes alij, mirifice Cyrum diligebat. Aſtyages autem, quum intellexiſ-

Cyrus adoleſcens venandi cupidus.

ſet vehementer extra hortorum ſepta Cyrum venari cupere: cum auunculo eum dimittit, & cuſtodes adiungit equites ætate prouectiores, qui cauerent a locis impeditis, & ſi qua beſtia ferocior occurriſſet. Itaq; ſedulo Cyrus comites interrogabat, quas ad feras propius accedẽdum non eſſet, quaſve liceret audacter inſequi. Reſpondebant illi pleroſque propius congreſſos cum vrſis fuiſſe
15 interremptos; itémque à leonibus, & apris & pardis: ceruos autem, & capreas, & oues ſylueſtres, & aſinos ſylueſtres non eſſe noxios. Addebant, impedita loca nihilo, quam beſtias, minus eſſe cauenda: quod plerique cum

Temeritas iuuenilis.

ipſis equis per præcipitia delapſi periiſſent. Hæc Cyrus omnia ſedulo ſciſcitabatur. Quum vero ceruum proſilientem videret, oblitus omnium, quę audierat, inſequebatur: nec aliud ſpectabat, quam ille quo fugeret. Equus autem ipſius in ſaltu forte concidit in genua, parumque abfuit, quin Cyrus excuſſus fuerit. Sed tamen & equo ille, licet ægre, inhæſit: & equus exſurrexit. Hinc delatus in planitiem, ceruum iaculo vibrato ſternit, pulchrũ illum quidem ac magnum. Quo facto quum mirifice gauderet, cuſtodes equis aduecti non ſine conuiciis indicabãt,

quod

quod periculum adiisset, auoque se delaturos aiebant. Itaque Cyrus qui ex equo descendisset, adstabat, & hæc audiens moleste ferebat. Verum vbi clamorem inaudisset, denuo veluti mente captus in equum insiliit. Quumque aprum ex aduerso irruentem cerneret, obuius in eum fertur: iaculoque contento frontem feliciter ferit, & aprum capit. Ibi tum auunculus quoque conuiciis in eum propter audaciam quam cernebat, inuehitur. At Cyrus inter hæc auunculi conuicia tamē orabat, vt quæcūq; cepisset ad auū adferre, ac ei dare se permitteret. Ad ea quum respondisset auunculus, vti fertur, auum si has feras illum insecutū sentiat, non illi solum, sed sibi quoque cōuicia facturum, qui permisisset. Etiam flagris cædat, inquit ille, siquidem ita volet, postquam hæc ei obtulero. Quin tu quoque, mi auuncule, suppliciū de me si libet, & quodcunque libet, sumito, modo in hoc mihi gratificeris. Itaque Cyaxares ad extremum: Vt voles, ait, facito. Quippe tu iam quidem rex noster esse videris. Sic igitur Cyrus illatis feris cum auo eas offerebat, tū se has ipsi venatum esse dicebat. Iacula vero non ille quidem ostendebat, cruenta tamen eo posuerat loco, quo auum ea visurū existimabat. Astyages autem: lubens equidem ait abs te fili, accipio, quæcunque mihi offers: sed horum tamen nullius sic egeo, tibi periculum vt adeundum sit. Et Cyrus si ergo his, ait, tibi non est opus: obsecro te, mi aue, da mihi, vt inter æquales ea distribuam. Sume vero fili, respondit Astyages, quum hæc, tum alia, quæcunq; volueris: & inter quos visum fuerit, distribue. Itaque Cyrus ea sumta simul & pueris dabat, & : O pueri, dicebat, vt nugas agebamus, quum feras illas in septis hortorum venaremur. Nam ea venatio mihi similis illi videtur, qua feras ligatas aliquis insequitur. Primum exiguo spatio concludebantur. Deinde tenues erant, & scabiosæ, partimque claudæ, partim mutilæ. Montanæ vero, campestresque feræ quam pulchræ, quam magnæ, quam nitidæ visæ? Cerui quidem, quasi si volucres essent, ad cœlum vsque exiliebant: apri vero, quemadmodum de viris fortibus dicitur, cōminus irruebant; & tanta quidem erant latitudine, vt ictus aberrare non posset. Mihi sane pulchriores hæ bestiæ videntur etiā mortuæ, quam

Iuuenilis ambitio.

Liberalis ingenij prima indicia. 16

illæ viuæ, quæ ſeptis incluſæ ſunt. At veſtri patres an vos etiam venatum ire ſinerent? Immo facile, aiunt illi, ſi Aſtyages iubeat. Et Cyrus: Quis igitur apud Aſtyagem veſtri mentionem fecerit? Quis, inquiunt illi, magis ad perſuadendū te fuerit idoneus? At equidem, ait, qui homo factus ſim, profecto neſcio. Neque enim vel profari aliquid, vel auum perinde adſpicere poſſum, ac prius. Siquidem ita perrexero, vereor ne totus fatuus ac ſtolidus reddar. At vero quo tempore puellus eram, plurimum garriendo valere videbar. Ibi tum pueri: Male comparatam rem narras, inquiunt, ſi nihil noſtra cauſſa, vbi quid opus fuerit, agere poteris: ſed, quod te quidem adtinet, alius quiſpiam nobis orandus ſit. Quæ verba quum Cyrum morderent, diſcedit ab iis tacitus, ſeque ipſe ad audendum hortatus, ad auum re ſecum prius deliberata, pergit; quonam modo eum, quam minima cum moleſtia compellaret, ſibique ac pueris, quæ peterent, conficeret. Sic igitur orſus eſt. Dic mihi, mi aue, ſi ſeruorum quis aufugiat, tuque hunc nanciſcare, quid de eo facturus ſis? Quid aliud, ait, quam vt vinctum opus facere cogam? At ſi ſponte redierit, quid facies? Quid? extra quam vt verberibus cæſo priſtinas rurſus ad operas vtar? Quin tu igitur paras, inquit Cyrus, quo me verberes? qui fugæ conſilium inierim, adſumtis ad venandum æqualibus meis. Et Aſtyages: recte vero factum abs te, ait, qui prædixeris. Equidem ne hinc te moueas, veto. Nam bella res fuerit, ſi carunculæ gratia filiæ meæ filium euagari iubeam. Hæc Cyrus quum audiſſet, parebat ille qui-
17 dem, ac remanebat: ſed mœſtus tamen, ac triſti vultu, perpetuo ſilebat. Aſtyages autem, quum grauem eius mœrorem animaduerteret, gratam ei rem facere volens, venatum proficiſcitur: & multis peditibus, equitibuſque, ac pueris etiam coactis, ipſiſque feris ad loca equitibus idonea compulſis, magnam venationem inſtituit. Quin & ipſemet regio cum adparatu præſens, interdixit, ne quis feriret prius, quam Cyrus feriendo ſatiatus eſſet. At Cyrus haud ferens eum vetare: Si vis, inquit, mi aue, iucundam mihi hanc eſſe venationem, ſine meos æquales vniuerſos inſequi, & vnumquemque pro virili cum feris acerrime congredi. Tum vero Aſtyages venandi co-

Ingenuus in Cyro pudor.

Ingenioſe, quod cuperet, exponit.

di copiam eis faciebat; & adstans, spectator erat eorum, qui certamen aduersus feras suscipiebant, & inter se contendebant, & insequebantur, & iacula vibrabant. Delectabatur autem Cyro, qui præ voluptate silere non posset, sed instar generosi catuli vocem emitteret, vbi propius ad feram accesserat, & vnumquemque nominatim exhortaretur. Præterea gaudebat, quum alium quidem ab eo derideri videbat, alium vero citra vllam inuidiam laudari sentiebat. Tandem Astyages, quũ multas haberet feras, discessit. Cæterum tantam ex illa venatione voluptatem cepit, vt semper, quoties quidem liceret, cum Cyro exiret, tum aliis pluribus, tum Cyri causa pueris etiam adsumptis. Et hoc sane modo maximam temporis partem Cyrus illic vixit, voluptatis quidem ac boni alicuius auctor vniuersis, mali autẽ nemini. Quum vero ætatis annum plus minus quintum sextumve ac decimum ageret, regis Assyriorum filius, vxorem ducturus, ipsemet id temporis venari cupiuit. Itaque quod ad suos & Medorum fines magnam audiret esse ferarum copiam, velut vbi propter bellum nemo venaretur, illuc ei proficisci collibuit. Vt autem tuto venaretur, & equites & cetratos multos adsumsit, qui e siluosis locis in loca culta planaque feras depellerent. Quum autem eo venisset, vbi & castella & custodiæ ipsius erant: ibi cœnam parari iussit, vt qui postridie mane venaturus esset. Quumque iam aduenisset vespera, ab vrbe aderant, qui custodiæ priori succederent, tam pedites, quam equites. Quapropter ipsi numerosus adesse visus est exercitus, quod essent coniunctæ custodiæ duæ, & multos ipse secum equites peditesque adduxisset. Itaque re deliberata, statuit optimum esse, Medorum ex agro prædas agere, quod ita tum venationis opus illustrius visum iri, tum copiam victimarum maiorem futuram existimaret. Igitur loco motas summo mane copias educit, ac peditum quidem agmen numerosum relinquit in limitibus, ipse vero cum equestribus copiis ad castella Medorum prouectus, præstantissimis quibusque ac plurimis secum retentis subsistit, ne Medorum præsidiarij milites in suos prædæ causa palantes excurrerent: idoneos autem quosdam dimit-

Generosa alacritas

Actionum Cyri præclariorum initia.

18

Venatio prælij occasio.

tit, vt tributim alij aliam in partem diſcurrendo vagarentur. Atque hos corripere iuſſit, quidquid habuiſſet quiſque obuium, & ad ſe abigere. Ac illi quidem imperata faciebant. Quum autem Aſtyagi nuntiatum eſſet, hoſtes iam agrũ ipſius ingreſſos: partim ipſe cum illis, quos plerumque ſecum habebat, opis ferendæ cauſa excurrit ad limites: partim filius idem facit cum eo, qui ad manum erat, equitatu: partim aliis vniuerſis, vt auxilio venirent, imperat. Medi, quum magnas Aſſyriorum copias inſtructas, & equites e ſtatione ſua non diſcedentes cernerent, ipſi quoque ſubſtiterunt. Cyrus vero, qui cæteros auxilio ſuis adcurrere videret, idem & ipſe faciebat, tunc primum indutus armis, † nõdum fore putans, vt iis, pro deſiderio ſuo, indueretur. Erant autem perpulchra, & ipſi recte congruentia: quæ auus corpori eius accommodari curauerat. Itaque ſic armatus, equo aduehitur. Id vbi vidiſſet Aſtyages, miratus ille quidem eſt, cuius iuſſu veniret: ſed apud ſe tamen vt maneret, edixit. Et Cyrus multos equites ex aduerſo intuitus: Hinc ſunt, inquit, hoſtes, mi aue, qui equis inſidentes ſe non mouent? Hoſtes ſane ſunt, ait Aſtyages. An & illi, qui procurrunt? Etiam illi, ait. Profecto, inquit, mi aue, nullius hi pretii homines eſſe videntur, & nullius pretij equuleis vehuntur, ac res tamen noſtras diripiunt. Itaque aliquos e nobis hos neceſſe eſt inuadere. Tu vero non vides, fili, reſpondit ille, quantus equitum globus acie conſiſtat inſtructus, qui ſubeundo rurſum nos cædet, ſi nos aduerſum illos moueamus? nondum autem robur aliquod nobis adeſt. Verum, ait Cyrus, ſi tu heic maneas, & copias auxiliares adſumas: terrebuntur hi, neque ſe commouebunt. Illi vero, qui res noſtras diripiunt, prædam mox dimittẽt, vbi quoſdam impetum in ſe facere viderint. Hæc quum protuliſſet, viſus Aſtyagi eſt aliquid dicere. Quapropter & prudentiam & vigilantiam Cyri admiratus,
19 filium ſuum adſumta equitũ manu, ducere in eos iubet, qui prædam agerent. Equidem hos, inquit, ſi contra te ſe cõmouerint, aggrediar: ideoq; animum nobis adtendere cogentur. Itaque Cyaxares & equis & viris quibuſq; robuſtiſſimis ſecum ſumtis, in hoſtem fertur. Cyrus autẽ hos progredi videns, ſtatim & ipſe cum aliis ſe proripit: adeoque

Cyrus arma induit.

† Vel, quod antehac ei permiſſum nõ fuerat.

Expeditũ Cyri conſilium.

Generoſa indoles Cyri.

adeoque iam primus ante alios celeriter ibat, Cyaxare
subsequẽte, neque ceteris a tergo remanentibus. Quos
vbi adpropinquantes videre, qui prædas agebant, mox
relictis rebus, in fugam vertuntur. At Cyro qui aderant,
hos subeundo intercipiebant, & si quos adsequerentur,
statim feriebant, inprimisque Cyrus ipse: quotquot au-
tẽ declinato cursu euaserant, hos a tergo persequeban-
tur, nec intermittebant, donec quosdam cepissent. Vt
autem canis generosus quidem ille, sed inexercitatus, te-
mere in aprum fertur: sic & Cyrus ferebatur, solum hoc
videns vt interceptum feriret, ac præterea nihil prospi-
ciens. Hostes vero, quum suos laborãtes cernerent, pro-
mouerũt agmen suum, velut effecturi, vt a persequen-
do desisteretur, postquam ipsi aduentare visi essent. Cy-
rus autẽ nihil idcirco remittere, sed præ gaudio & auun-
culum inclamare & persequi, & impetus habitu vehe-
mentis in effusam hostes fugam dare. Cyaxares quidem
sequebatur, patris fortasse caussa pudore correptus, iti-
demque cæteri sequebantur, quum alacriores in perse-
quendo sint eo rerũ statu, etiam illi, qui non admodum
in hostes animosi sunt. Astyages vero quum suos incon-
siderate persequi videret, at hostes confertos ordinibus
instructis occurrere: filio Cyroq; metuens, ne in paratos
sine ordine irruentibus aduersi quid accideret, recta in
hostem ducit. Illi rursum Medos loco motos conspicati,
partim contentis in eos tragulis, partim sagittis, consti-
terunt: quod futurum putarent, vt & illi subsisterent, vbi
intra iactum teli peruentum esset, quemadmodum face-
re consueuerãt. Nam illud ad interuallum, vbi vel quam
proxime ad alteros alteri accessissent, contra se mutuo
prouehebantur, & eminus inter se plerumque ad vespe-
ram vsque pugnabant. Iam vero quum & suos fugam ad
se facere cernerent, & Cyri manum simul hos insequi, &
Astyagem cum equitatu intra teli iactum adesse,ceden-
tes & ipsi, fugiunt. At Medi copiis vniuersis insequẽtes, 20
multos illo impetu capiunt, & quoscunque corriperent
tam equos, quã viros feriũt, interemptis omnibus quot-
quot caderent. Neque prius constitere quam ad pedita-
tũ Assyriorũ peruenissent. Heic vero ne maiores aliquæ
subessent insidiæ, veriti, represserunt impetum. Et Astya-

Iuuenilis temeritas

ges suis deindè reductis, equestri victoria magnopere lætabatur, nec quid de Cyro diceret, habebat: quod eo quidem auctore rem gestam sciret, sed eundem præ audacia furere animaduerteret. Nam & eo ipso tempore cæteris domum abeuntibus, solus ille nihil aliud, quam eos, qui cecidissent, obequitando spectabat: adeoque vix abstractum ad Astyagem deducebant, quibus hoc erat datum negotij, quum hos ipsos, qui se adducerent, de industria præire iuberet, quod aui vultum ad conspectum sui sæuiorem factum cerneret. Atque hæc quidem apud Medos contigerunt, & Cyrus quum aliis omnibus in ore, sermonibus, & cantilenis erat: tum Astyagi, apud quem hactenus erat in honore, iam admiratione sui stuporem quoque iniecerat. Hæc vero quum Cyri pater Cambyses accepisset, gaudebat ille quidem: sed quod eum iam inaudisset obire viri munia reuocauit, vt instituta gentilicia Persarum absolueret. Itaque tũc Cyrum dixisse perhibent, abire se velle, ne quid patri molestiæ crearetur, neve de se quereretur ciuitas. Censuit igitur & Astyages eum oportere dimitti, atq; adeo donatum equis, quos ipsi collibuisset sumere, cum omnis generis rerum aliarum adparatu abire siuit, quod & amaret eum, & magnam spem concepisset, euasurum talem virum, qui & amicis esse adiumento, & hostes adfligere posset. Abeũtem vero Cyrum vniuersi & pueri, & æquales, & viri, & senes, & Astyages ipse, equis insidentes deducebant: ac neminem siccis oculis reuersum perhibent Cyrum ipsum quoque multis cum lacrumis discessisse accepimus. Præterea proditũ est, multa eum inter æquales munera distribuisse, quibus ab Astyage donatus fuerat. Denique exuta, quam habebat, veste Medica, cuidam hanc dedit, hunc ipsum declarans maxime sibi carum esse. Verum accepta illi a Cyro munera detulisse ad Astyagem feruntur, atque ab hoc itidem recepta, Cyro fuisse trasmissa. Cyrum autem rursus in Mediam ea cum
21 his verbis remisisse: si me vis, aue, reuerti ad te libenter, ac nullo præpeditum pudore, sine quæso per te habeat, si quid alicui largitus sum. Atque his auditis Astyagẽ fecisse, quemadmodũ Cyrus nũtiari iusserat. Quod si etiã narrationis amatoriç faciẽda est mentio, proditũ est abeunte

Cyri audacia.

Cyrus a patre reuocatur.

Hominũ omnis ætatis erga Cyrum studia.

Liberalis naturæ indicia.

eunte Cyro, quum a se inuicem discederent, cognatos ore Cyrum, qui Persis mos est, osculatos ab se dimisisse, quod quidem ipsum hodieque Persæ facere consueuerunt. Ibi tum Medum quendam, virum elegantis admodum ingenij, longo tempore captũ admiratione pulchritudinis Cyri, quum cognatos ceteros eum osculari videret, substitisse: digressis autem illis, ad Cyrum cum his verbis accessisse: Me solum ex cognatis, Cyre, non adgnoscis? Quid ais? respondisse Cyrum: etiam ne tu mihi cognatus es? Maxime, inquit. Et Cyrus: Nimirum oculos idcirco in me coniiciebas. Videor autem hoc iam abs te fieri sæpius animaduertere. Cui alter ille: Profecto ait, quum numquam non ad te vellem accedere, pudor obstitit. At obstare non debuit, inquit Cyrus, quum cognatus esses. Simul accedens, eum osculatus est. Accepto autem osculo Medus hic interrogasse fertur, etiam ne Persis esset in more osculari cognatos? Et Cyrus, Maxime vero inquit, vbi vel ex aliquo interuallo temporis alter alterum videt, vel a se inuicẽ aliquo discedunt. Quin tu igitur, inquit Medus, iterum me oscularis. Iam enim, vti vides, abeo. Sic quum denuo Cyrus eum osculatus esset, ab se dimisit, atq; etiam ipse discessit. Vbi vero non multum ab eis confectum itineris esset, Medus equo sudante ad Cyrum rediisse fertur. Quo viso Cyrus: Numquid oblitus es, ait, quod dicere mihi volebas? Non profecto, inquit, sed temporis ex interuallo ad te reuertor. Breui sane, mi cognate, respondit Cyrus. At Medus ille: quo pacto breui? ait. An ignoras, Cyre, per mihi longũ videri tẽpus esse, quo vel cõniueo, quod te talẽ interea nõ adspiciã? Ibi tum & risisse Cyrum post priores lacrumas, & illum abire, ac bono esse animo iussisse. Breui enim se ipsis adfuturũ. Itaq; si voles, ait, licebit oculis me nõ cõniuẽtib. adspicias. Atq; hoc modo Cyrus ad Persas reuersus, annũ adhuc inter pueros egisse perhibetur. Ac primũ sane dictis puerorũ incessebatur, quasi domũ rediret, adsuetus apud Medos vitã agere voluptariã. Sed quũ eum & victu & potu secũ eodẽ suauiter vti viderent, ac si quod feriis epulũ daretur, potius aliis eũ de portione sua largiri, quã quid amplius requirere animaduerterẽt, atq; adeo præter hæc in cæteris etiam rebus omnibus Cyrũ lon-

Mos Persicus osculandi cognatos.

Cyri ad suos reditus.

22

ge ipsis præstare: tum vero vice versa æquales eum reuerebantur. At postquam hoc institutionis cursu absoluto, ad ephebos transiit: inter hos etiam præstare visus est, & exercendo ac tolerando, quæ oporteret: & seniores reuerendo, & magistratibus parendo. Procedēte vero tempore moritur apud Medos Astyages, & Cyaxares Astyagis filius, matrisque Cyri frater, Medorum imperio potitur. Rex autem Assyriorum quum Syros vniuersos, non exiguam sane nationem subegisset, Arabum regem imperio suo subiecisset, Hyrcanios subditos haberet, Bactrios oppugnaret, futurum existimabat, vt si Medorum vires debilitasset, facile finitimis omnibus imperaret. Hæc enim natio inter vicinas alias potentissima videbatur. Itaque nuntios ad subditos suos vniuersos, & ad Crœsum Lydorum regem & ad regem Cappadocum, ad Phrygas vtrosque, ad Cares, ad Paphlagones, ad Indos etiam Cilicesque mittit: & Medos ac Persas apud hos per calumniam criminatur, quum magnas esse diceret hasce gentes, & viribus firmas & coniunctas, & adfinitatibus mutuis deuinctas: easdemque sic inter se conspirasse, vt periculum esset, nisi quis eas anteuertendo debilitaret, ne nationes alias adorti singulas, sibi subiiceret. At illi quū partim verbis hisce fidem haberent, partim muneribus ac pecuniis, quibus is abundabat, persuaderentur: societatem cum eo coeunt. Cyaxares vero Astyagis filius, quū & insidias, & adparatū aduersus se fieri animaduerteret: statim & ipse, quæcūque poterat, parabat, & nuntios suos tum ad Persas publice, tum ad Cambysem, quo cum nupta soror ipsius esset, quique regnum apud Persas obtineret, legabat. Ad Cyrum etiam mittens, petebat, daret operam, vt si quos Persæ milites missuri essent, eos ipse imperator adduceret. Iam enim Cyrus exactis decem inter ephebos annis, virorum in contubernio degebat.

Astyagis mors.

Initia belli aduersus Assyrios.

23 Itaque recipiente Cyro, seniores consilij principes hunc imperatorem ad expeditionem Medicam deligunt. Eidem fecere potestatem, æquales inter se ducentos allegendi. Horum vero ducentorum vnicuique concessum fuit, vt viros sibi similes quaternos adscisceret. Ita hi mille fiunt, quorum vnicuique permissum, vt e plebe Persarum sibi denos cetratos, denos funditores, denos

Exercitus Cyro cum imperio traditur.

denos sagittarios allegeret. Hoc modo sagittariorũ decem millia, cetratorum decem millia, funditorum decem millia confecta sunt, extra illos æquales mille. Tantus Cyro datus est exercitus. At ipse quum primum imperator lectus esset, a diis primordia capiens, facta rite re sacra, tum demum ducentos illos adsciuit: qui quum & ipsi quaternos singuli legissent, cõcionem horum aduocauit Cyrus, & hæc primum ad eos verba tunc fecit: Cooptaui vos equidem, amici, non quod nunc primum vos probauerim, sed quod viderim vos inde vsque a pueris ea, quæ ciuitas nostra honesta censet, studiose facere: protinusque ab iis abstinere, quæ illa esse turpia ducit. Quibus vero de causis & ipse munus hoc non inuitus acceperim, & vos aduocauerim, declarare vobis equidem volo. Maiores ego nostros nihilo nobis deteriores fuisse animaduerti: quippe qui se numquam non in iis, quæ virtutis studia ducuntur, exercuerint. At cuius boni, quũ tales essent, vel Persarum ciuitati publice, vel priuatim sibi auctores exstiterint perspicere nequeo. At enim, mea sane sententia, nullam homines virtutem exercent, vt postquam in viros bonos euaserunt, nulla re sint inertibus superiores. Qui a voluptatibus oblatis in præsentia abstinent, non hoc agunt, nullam vt vmquam voluptatem percipiant: sed vt in posterum propter hanc continentiam multiplici gaudio fruituri, ita sese comparant. Qui excellere dicendi vi student, non hoc consequi suis illis exercitiis volunt, ne vmquam bene dicendi finem faciant: sed fore sperant, vt bene dicendo multis hominibus suam in sententiam adductis, multorum magnorumque commodorum auctores existant. Qui res item bellicas tractant, non in his laborant propterea, ne vmquam pugnare desinant: sed hi quoque se, peritiam rei militaris adeptos, multas opes, multam felicitatem, & magnos etiam honores quum sibi, tum patriæ conciliaturos existimabant. Quod si qui studiose in his versati, sua deinde negligentia viribus in senecta destituti fuere prius, quam fructum ex eis aliquem perciperent: illis eiusmodi quidpiam accidisse mihi quidem videtur, ac si quis agricola peritus esse studeat, & semina recte spargat, & stirpes recte cõserat: ac si quis esse peritus agricola

Cyri ORATIO. Exordium captandæ beneuolentiæ.

Fructum virtutis esse quærendum. Ab exemplis.

24

A contrario.

,, studuerit, sementem faciat, tum plantet: vbi vero fru-
,, ctus ex his capiundus est, eumdem non collectum rursus
,, in terram decidere patiatur. Aut si quis pugil tantũ iam
,, laboris hauserit, vt iustam victoriæ spem adeptus sit, ac
A virtute suorum. deinde nullum vmquam certamen subeat. Quippe nec
is mihi quidem iure liberandus dementiæ culpa videtur.
,, At nobis, o viri, nequaquam hoc vsuueniat: sed quum ip-
,, simet nobis conscij simus, inde vsque a puerili ætate nos
,, & honestarum & laudabilium actionũ studiis exercitos,
,, eamus in hostem, quem ego visum a me ante hac, certo
Ab hostiũ imperitia. scio pugnandi aduersum nos rudẽ esse. Non enim ido-
nei sunt prœliatores, qui vel sagittandi, vel iaculandi,
,, vel equitandi sunt illi quidem periti: sed vbi labores per-
,, ferendi sunt, deficiunt. Quippe quod labores attinet,
,, rudes hi sunt. Neque item, qui vigilare, quum opus est,
,, nequeunt: quippe qui rudes adhuc sint, somnum quod
,, adtinet. Neque item illi, qui licet ad hæc præstanda sint
,, idonei: quo tamen pacto vel erga socios, vel hostes ge-
Laudata virtus crescit. rere se debeant, non didicerunt. Nam & hos maximæ
disciplinæ rudes esse constat: vos autem nocte perinde,
atq; alij die nostis vti: labores ad iucunde viuendum du-
,, ces existimatis: famem pro obsonio habetis: aquę potum
,, facilius quam ipsi leones, fertis: denique rem omnium
,, pulcherrimam, maximeque bellatoribus conueniẽtem,
,, animis vestris adquisiuistis eã, quod laude magis, quam
,, aliis rebus omnibus delectamini. Laudis autem amato-
,, res necesse est eius [adipiscendæ] gratia laborẽ omnem,
,, omneque periculum quam lubentissime subire. Atque
,, hæc si de vobis ita prædico, vt aliud tamen sentiam,
,, me ipsum fallo. Nam quidquid huiusmodi a nobis non
,, eueniet, eius deficientis in me culpa recidet. Verũ & ex-
,, perientia mea, & beneuolentia erga me vestra, & hostiũ
,, vecordia faciunt, vt confidam bonam hanc spem me
A bonitate caussæ. non frustraturam. Tantum fidentibus animis profi-
ciscamur, quando longissime a nobis abest, vt aliena
25 per iniuriã adpetere videamur. Hostes enim iam aduen-
,, tant, ac primi nos iniuriis lacessunt: amici vero nos ad
,, opẽ ferendam arcessunt. Quid ergo vel iustius est, quam
,, vim propulsare? vel honestius, quam subuenire amicis?
Ab impe- Quin ea vos etiam de causa nõ paullo fidẽtiores esse ar-
bitror

bitror, quod expeditionē hanc minime neglecta re diuina paro. Nam me, quocum plerumq; versamini, non modo res magnas, sed etiam paruas adgredientem, initium a cultu diuino facere nouistis. Tandem ait: quid plurib. verbis opus est? Vos lectis adsum tisque viris, paratisq; rebus ceteris, ad Medos pergite. Ego vero ad patrem reuersus inde progrediar, quo de rebus hostium quam celerrime, quales eæ sint edoctus; quidquid potero, vobis parem, vt quam præclarissime, deo iuuante, in certamen hoc descendamus. Itaq; illi efficiundis his occupabantur. Cyrus autē domum reuersus, precatusq; Vestam patriam, & Iouem patrium, & deos ceteros, in militiam domo profectus est, quum quidē & pater eum vna prosequeretur. Ac postquam domo egressi essent, fulgura, tonitruaq; dextra ei oblata fuisse perhibentur. Quæ quū adparuissent, alio præterea nullo captato augurio perrexere:*quod maximi Dei signa nemini obscura esse possent. Cyrum vero progredientem pater huiusmodi verbis adloqui cæpit: Deos te, fili, propitios ac benignos deducere, quum e sacrificiis, tum signis cælestibus clare perspicitur, atque etiā ipse animaduertis. Nam hæc te dedita opera equidem edocui, partim ne per alios interpretes deorum consilia perciperes, sed ipse cognosceres ea, quum adspiciendo, tum audiendo, quæ oculis & auribus percipiuntur, & ab hariolis non penderes, qui te, si vellent, decipere possent, indicatis aliis, quam quæ diuinitus significarentur: partim ne, si quando careres hariolo, quid de signis diuinis statuendum esset, ambigeres: sed animaduertendo per diuinationē, quæ diuinitus tibi consulerentur, eisdem obtemperares. Et Cyrus: Equidem, mi pater, inquit, vt Dij propitij consulere nobis velint, pro virili mea id quod mones, procurare nō desinam. Etenim audire aliquādo ex te memini, non abs re illū & a diis & ab hominibus aliquid facilius impetrare, qui nō angustis in rebus aduletur, sed fortuna maxime prospera, maxime Deorum meminerit. Aiebas & amicorum curam eodem modo habendam. Ergo iam, inquit, libentius Deos accedis imploraturus, fili, propter studia in eis colendis tua: & futurum etiam speras, vt magis ea, quæ petieris, impetres: quando sic tibi conscius

ratoris pietate.

** al. quod nihil aliud maximi Dei signa clamarent.*

Cambysis cum Cyro filio colloquium.

Rebus secundis maxime Deus implorād.

26

esse videris, vt qui numquam in eorum cultu negligens
fueris. Omnino, mi pater, respondit Cyrus, sic adfectus
sum, vt me diis carum esse sperem. Quid autem? mi fili,
subiecit Cambyses, eorumne meministi, de quibus inter
nos aliquando conuenit? nimirũ ea, quæ dij largiti sunt,
rectius ab hominibus geri, qui didicerint, quam ab im-
peritis: & eosdem laborando plus effecturos, quam si
otiosi sint: & si curam adhibeant, securius acturos, quam
„ si negligenter se gerant. Adeoque nobis videbatur, ita
„ peti a Diis oportere bona, si tales nos exhibeamus, qua-
„ les esse conuenit. Memini profecto, inquit Cyrus, hæc
„ ex te audire, atque illi, sermoni tuo adsentiri me necesse
„ erat. Etiam hoc addere te memini, ne fas quidem esse a
„ Diis petere, vt equestri prœlio victoriam adipiscantur,
„ qui rem equestrem non didicerint: nec vt sagittandi ru-
„ des, eiusdem artis peritos sagittando superent: nec vt gu-
„ bernandi rudes optent, naues a se gubernando seruari:
„ nec qui semina spargere neglexerint, optent bonum sibi
„ frumentum nasci: nec vt salutem petant, qui sibimet in
„ bello non caueant. Hæc enim omnia contra leges diui-
„ nas esse. Qui autem optarent ea, quæ non fas sit: illos a-
„ iebas merito & apud Deos nihil impetrare, vt qui petũt
„ iniqua, repulsam apud homines ferunt. An vero & eorũ,
mi fili, ait, oblitus es, quæ aliquando inter nos argumen-
tando concludebamus? Sat magnum hoc scilicet, ac
præclarum hominis opus esse, si perficere studio suo pos-
sit, vt & cum laude vir bonus euadat, & vt tam ipsi, quam
familiæ rerum copia necessariarum suppetat. Iam vero
quum hoc tanti fieri mereatur, etiam scire hominibus a-
liis præesse, vt res necessarias omnes affatim habeant, &
vniuersi tales sint, quales esse conuenit: id nobis sane
quiddam admiratione quoque dignum esse videbatur.
Profecto memini, mi pater, ait, hoc quoque te dicere. Ita-
que mihi tunc idem, quod tibi, videbatur: ingens & ar-
duum opus esse, recte imperare. Ac nunc etiam eadem
in sententia persisto, quum ipsum imperandi munus a-
pud animum considero. Quum vero ad alios respi-
27 ciens, quomodo illi se in imperio gerant, & quales eos
aduersarios habituri simus, cogito, per mihi turpe
videtur, huiusmodi quosdam formidare, ac non ad
pugnan-

Quanta res sit, recte cum imperio esse.

pugnandum aduersus eos progredi: quos equidem animaduerto, vel ab amicis hisce nostris initio facto, hac esse in sententia, vt qui principem oportere statuant a sibi subiectis in eo differre, vt sumtuosius cœnet, domi plus auri habeat, diutius dormiat, omnino minore cum molestia laboreq; degat, quam subditi. Ego autem sic arbitror, non desidis vitæ ratione præstare subditis debere principem: sed alacri studio rebus eorum prospiciendo, ac laborib. tolerandis. Verum mi fili, ait Cambyses, sunt quædam, in quibus non aduersus homines certamen est, sed cum ipsis rebus, quas idonee superare, per est difficile. Ne longe abeamus, scis breui finem habiturum imperium tuum, si commeatu exercitus careat. Atqui hæc ait Cyrus, exhibiturũ se nostris, pater, hinc proficiscentibus Cyaxares dicit, quotquot illi fuerint. Siccine igitur, inquit, iter ingrederis, fili, Cyaxaris opibus hisce fretus? Vero, respondit Cyrus. Quid autem? subiecit ille, nostine quantæ opes eius sint? Minime profecto, inquit Cyrus. Et his tamẽ ignotis & incertis fretus es? quod autem tibi multis erit opus, atq; etiã modo magnos sumptus alios faciendos esse, non intelligis? Intelligo, inquit Cyrus. Quod si ergo vel sumptus eum destituat, vel etiam sciens fallat, quomodo comparatæ tibi res exercitus erunt? nimirum non bene. Tu vero, mi pater, subiecit Cyrus, si quam parandæ copiæ rationem perspicis, quæ a me sit expectanda, eam mihi, dum adhuc in regione pacata sumus exponito. Quæris fili ex me, ait, ecqua possit abs te proficisci copiæ parandæ ratio? At quem probabilius est eius parãdæ modũ inuenire posse, quam illum, cui vires sunt? Tu vero cum iis pedestribus copiis hinc discedis, cum quibus, sat scio, longe maiores alias non commutares. Equitatus autem Medici, qui præstantissimus est, auxilia tecum habebis. Quam ergo nationem finitimam putas haud obsecuturam vobis, & gratificandi studio, & damni metu? Quæ quidem tibi communiter vna cum Cyaxare cõsideranda veniunt, ne vnquam vos aliquid rerũ necessariarum deficiat. Quin etiam vsus & consuetudinis causa redituum excogitari copia debet. Hoc vero maxime omnium mihi memineris, non exspectandum esse, vt rerum necessariarum co-

Falsa de principis ac subditorum discrimine opinio.

Imperatoris cura in procurandis exercitui necessariis.

De ratione conficiundæ pro exercitu pecuniæ.

piam tunc pares, quum ipsa te necessitas vrgebit: sed quum maxime rebus omnibus abundabis, tunc ante in-
28 opiam accessionis rationem aliquam reperies. Nam & facilius consequeris ab illis, a quibus petes, quũ nequaquam egere videberis, & tui milites in quo te culpent, non habebunt. Quę res efficiet, vt & alij magis te reverituri sint, & obsequentiores in rerũ necessariarum copia milites sis habiturus, si quando exercitus opera vel iuuare aliquos vel lædere volueris: atq; adeo scire debes, magis ad persuadendum idonea te vsurum oratione, quum maxime demonstrare poteris, tibi & ad iuuandnm, & ad lędendum satis viriũ esse. Et Cyrus: Quum aliis de causis inquit, præclare mihi hæc omnia, mi pater, disserere videris: tum etiã, quod quæ modo milites accepturi sunt, eorum nomine mihi nemo gratiam sit habiturus: quippe qui norint, quibus cõditionibus Cyaxares eos ad belli societatem arcessat. Quidquid autẽ præter illa promissa quis accipiet, id vero & honoris loco sunt ducturi & consentaneum est, eos maximam id largiendi gratiam habituros. Iam si copias quis habeat, quarum opera vel beneficia in amicos conferens, vicissim ab eis ipse cõmodum aliquod capere possit: vel conari queat, vt hostibus, si quos habet, ereptum aliquid sui iuris efficiat: hũc deinde negligentem esse in acquirendo, an minus turpe putas, atque si is, cui & fundi sint, & ad eos colendos serui, nihilominus solum incultum nulli esse, vsui sinat? Itaq; sic de me sentias velim, ait, numquam me in rebus militi necessariis comũni sollertia quærendis & conficiendis, nec in sociorum regione, nec in hostico negligentẽ futurum. Quid vero mi fili, subiecit pater, an & quorundã aliorum, quæ necessario nobis aliquando videbantur negligenda nõ esse, meministi? Memini quidẽ certe, ait, quãdo ad te argẽti petendi causa veniebã, quod ei persoluerẽ, qui se disciplina imperatoria me instituisse profitebatur. Tu vero simul id mihi numerãs, hoc quodã modo me interrogabas. Num vir hic, fili, cui mercedẽ adfers, inter imperatoriæ rei pręcepta, etiã administrationis domesticæ mentionem fecit? Nihilo certe minus militi rebus ad victum necessariis, quam familię domesticæ, opus est. Ibi quum ego fassus id, quod res erat, negassem ab illo quidquam

Turpe, habere exercitum, & necessaria cõparare non posse.

Congeries præceptorũ rei imperatoriæ.

quam me de hoc admonitum esse: rursum quærebas, ec-
quid de bona valetudine corporisq; robore disseruisset,
vti de quibus imperatorem non secus, ac de imperatorio
munere suo, sollicitum esse oporteat. Hoc etiam quum
negassem, rursum rogabas, ecquã me rationẽ procuran-
di docuisset, vt socij qualibet in parte rei militaris quam
præstantissimi euadant. Id quoque me negante, denuo 29
quęrebas, ecquid doctrinę mihi tradidisset, quo pacto in
militum animis promta quædã alacritas excitari possit;
quum diceres, prorsus inter alacritatem animi, & abie-
ctionem, rebus in omnibus, discrimen esse maximũ. Vbi
hoc etiam abnuissem, explorabas tu rursum, ecquid do-
cuisset, quo effici maxime possit, vt exercitus dicto sit au-
diens. De quo quum prorsus ab illo nihil esse dictum pa-
reret, denique me interrogabas, quid tamdem docen-
do, disciplinam Imperatoriam se mihi tradidisse diceret.
Atque ibi quum ego responderem, exercitus instruendi
rationes ab eo mihi commonstratas: subrisisti tu qui-
dem, ac mihi singula ista proponẽdo percurrebas: Quid
instruendi exercitus ratio ad artem imperatoriam pro-
fuerit, absque rebus ad victum necessariis? quid absque
firma valetudine? quid absque illarum ar[illegible]ium scientia,
quæ ad belli vsum inuentæ sunt? quid absque obœdien-
tia? Quumque adeo perspicuum mihi fecisses, rationem
aciei struendæ exiguam muneris imperatorij partem es-
se, atque ego te rogassem, ecquid horum abs te mihi tra-
di posset: mandabas, vt irem, ac illis cum viris [illegible]ssere-
rem, qui imperatoriæ rei periti haberentur, deque ipsis
percontarer, quo pacto hæc singula fierent. Ex eo tem-
pore illorum ego consuetudine sum vsus, quos cognitio-
ne harum rerũ inprimis excellere audiebam. Ac de victu
quidem, persuasum mihi est, satis id futurum, quod Cya-
xares nobis sit prębiturus: de bona vero valetudine, quod
audirem & viderem, tum ciuitates eas, quæ huius indi-
gent, medicos adsciscere, tũ imperatores ad vsum militũ
medicos secum sumere: itidẽ mihi postquam munus hoc
mandatum fuit: statim hæc animo cura insedit: & existi-
mo equidem, mi pater, ait, viros me artis medicæ admo-
dum gnaros mecum habere. Ad quæ pater: Hi vero me-
dici, de quib. tu fili loqueris, inquit, quemadmodũ sunt

vestium laceratarum sarcinatores quidam, ita & ipsi hominibus medentur, postquam in morbos inciderunt. At tua valetudinis bonæ cura præclarior erit, qui operã dabis, ne prorsus in morbos exercitus incidat. Et quanã via mi pater incedens, inquit, hoc præstare potero? Nimirum si diutius eodem loco sis mansurus, primum negligendum tibi non erit, vt castra in regione salubri loces: quod quidem facile adsequeris, si curæ tibi fuerit. Quippe numquam homines loqui desinũt tam de mor-
30 biferis, quam salubribus locis. Vtrisque testes adsunt euidentes, nimirum ipsa corpora, & ipsi colores. Deinde regiones considerari non satis est, sed in memoriam tibi reuocare debes, quo pacto studeas ipse tuimet curã gerere, quo recte valeas. Et Cyrus: primum operam do, inquit, ne vmquam nimium me repleam, quum id grauare soleat. Deinde quæ ingesta sunt, laborando digero: qua re fieri equidem existimo, vt & valetudine bona diutius vtar, & robur aliquod etiã mihi accedat. Eadem ergo cura respondit pater, & aliis erit adhibenda. Num vero, subiecit Cyrus, otium militibus suppetet, mi pater, ad exercenda corpora? Immo, inquit, non otium erit modo, sed etiam necessitas id postulabit. Nam exercitus, qui officium facturus sit, numquam desinat necesse est vel hostibus detrimenta, vel sibi commoda quædam adferre. Difficile est enim, fili, vel vnum hominem otiosum alere: multo etiam difficilius, familiam totam: omnium vero difficillimum, exercitũ alere otiosum. Plurima sunt enim in exercitu, quæ pascuntur, & a minimis initium faciũdo, quæ nancta fuerint, largissime prodigunt. Idcirco nunquam exercitum conuenit esse otiosum. Dicis tu mi pater, inquit, vt mihi quidem videtur, perinde ac iners agricola nulli vsui sit, ita & imperatorem otiosum ac desidem nulli esse vsui. At imperatorem industrium policeor equidẽ, ait, nisi quis Deus obstet, id perfecturum, vt rebus necessariis milites abundẽt, & eorum corpora quam optime adfecta sint. Enimuero quod exercitia quæque, mi pater, rerum bellicarum adtinet, equidem arbitror, si quis certamina quædam singulis indicat, & præmia proponat: eum maxime cõsecuturum, vt quauis in harum parte, si quando vsus poscat, & exercitatos

tatos & præparatos habeat. Rectissime dicis fili, ait. Nã hoc si feceris, plane futurum scias, vt ordines militares, tamquam choros Musicos, in iis, occupatos spectes, quæ officij ratio postulat. Ad efficiundos autẽ milites promtos & alacres, inquit Cyrus, nihil mihi magis idoneum videtur esse, quam bonas in animis hominum spes excitare posse. Verum, subiecit ille, hoc eiusmodi est, fili atque si quis inter venandum eadem voce semper canes inclamet, qua, quum feram videt, vtitur. Nam primum, sat scio, alacriter obœdiunt: sin frequenter fallantur, tamdem ne tum quidem obsequuntur, vbi quis vere visa bellua clamat. Sic etiam de spe statues, si sæpius quis iniecta 31
bonorum exspectatione fallat, hunc ad extremum fidem non meriturum, etiam quum veram spem policebitur. Nimirum quæ certo quis, fili, comperta non habuerit, ea ne dicat ipsemet, caueri debet: sed cõficere, quod volet, poterit, si nõnumquam alij eandem rem proferant. Suam vero incitationem imperator ad pericula maxima reseruare fidei maioris causa debet. Profecto, inquit Cyrus, recte mihi dicere videris, ac mihi sic magis arridet. Verum quo pacto sit efficiundum, vt milites pareant, ignorare, mi pater, nequaquã me arbitror. Nam ad hoc statim a puero tu me cõdocefaciebas, quum tibi me obtemperare cogeres: deinde magistris me tradidisti, qui & ipsi idem hoc agebant. Qũ vero iam inter ephebos versabar, præfectus noster in hoc ipsum curã acrem impendebat. Deniq; leges plerasque hæc duo maxime docere arbitror, nimirum imperare, & sub imperio esse. Quapropter equidem de his cogitãs, animaduertere videor, in omnibus illam exhortationem ad efficiundum, vt pareatur, plurimum valere: si is, qui dicto audiens est, laudetur ac honore adficiatur: contumax autem & ignominia notetur, & puniatur. Hæc via, mi fili, ait pater, eo pertinet, vt coactus quis pareat. Verum ad id, quod hoc longe potius est, vt homines vltro pareant, alia quædam est via magis compendiaria. Homines enim ei, quem arbitrantur de commodis suis prudentius se ipsis dispicere, perquam lubẽter parent. Atque hoc ita se habere, quum in multis aliis, tum in ægrotãtibus animaduertere licet, qui perquã cupide arcessunt id præcepturos, quod fieri

oporteat: itidemq; in mari, vbi vectores per quam cupide gubernatoribus obsequuntur. Etiam pleriq; ab iis, quibus existimant itinera notiora, quam sibi, ne discedant, totis viribus enituntur. Quum autem futurum putant, vti ex obœdientia detrimenti aliquid capiant: tum vero nec suppliciis admodum cedere, nec excitari largitionibus volunt. Neque enim munera suo cum damno quisquam admittit. Dicis tu, mi pater, ait, nihil ad hoc, vt suo subiectos imperio quis obsequentes habeat, efficacius esse, quam vt eis prudentior existimetur. Dico id quidem, inquit. At quo pacto, mi pater, possit aliquis opinionem eiusmodi de se quam primum exhibere? Nulla est, fili, via magis compendiaria, quam vt quibus in rebus prudens videri volueris, in iis re ab se prudens sis.
32 Quod si hæc singulatim cōsideres, vera me dicere intelliges. Nam si vel bonus agricola videri velis, vel eques, vel medicus, vel tibicē bonus, vel aliud quidpiam; quum non sis: quam multa tibi struenda sint, vt talis videare, cogita. Et si maxime persuadendo plerosq; impuleris ad te laudandum, vt hanc de te opinionem excites, iamq; præclaros adparatus ad horum quælibet habeas: tamen & tunc eris impostor, & paulo post redargueris, vbi periculum faciundum fuerit, & præterea vanus videberis. At qua ratione possit aliquis eius, quod in posterum e re futurum sit, prudentiam reuera consequi? Nimirum ea, fili, si quæcunq; discendo cognosci possunt, didicerit: quēadmodum tu aciei struendæ rationes didicisti. Quæcunq; vero sub disciplinam non cadunt, neq; prouidentia humana prospici possunt: de his si per diuinationem Deos consulueris, prudentior reliquis eris: præsertim si quod factu melius esse cognoueris, id operā des, vt fiat. Nā quod ex vsu sit procurare, prudentioris est viri, quam negligere. Iam vt aliquis a sibi subditis diligatur, quod ego maximum arbitror, ad hoc planum est eadē perueniri via, qua vtendum est illi, qui ab amicis diligi cupiat. Dandam enim operam puto, vt illustris sit beneficentia. Sed hoc difficile est, fili, semper eos, quos velis, adficere beneficiis posse. Vt autem secundis eorū rebus vna gaudere videaris, & aduersis vna dolere, & cupiditatē subleuandi eorum inopiam, præ te ferre, & sollicitudinē metus

tus

tus, ne qua in re aberrent, & studiū prouidendi ne detrimentum accipiant; in his scilicet adnitendum magis est, vt eis adsis. Iam vero in rebus agendis, si per æstatem gerendæ sint, solem imperator in omnium oculis perpeti supra ceteros debet: per hyemem, frigus: quū laborandum est, labores. Nam hæc omnia nōnihil adferunt momenti ad subiectorū amorem conciliandū. Ais tu, mi pater, inquit, etiā imperatorem oportere ad omnia sibi subiectis laborum tolerātiorem esse? Equidem aio, respondit. Tu tamen bono sis animo, fili. Scito enim, labores eosdē similibus corporibus imperatoris ac gregarij militis, æque graues nō esse, quod ipse honos labores leuiores faciat imperatori: & quod intelligat in oculis hominum esse, quidquid ipse faciat. Vbi vero mi pater, iam necessariis a rebus instructi milites erunt, vbi recte valebūt, vbi labores perferre poterunt, vbi bellicis artibus exercitati erunt. vbi etiam ambitiose viri fortes videri cupient, vbi deniq; facere imperata, quam detrectare, iucundius ipsis erit: nonne tum, pater, sapere quis tibi videretur, si cum hoste quamprimum confligere vellet? Quid ni, inquit, si quidē ipse meliori condicione sit futurus. Sin autem, quanto equidem & me ipsum, & meos præstare censerem, tanto maiori cautione vterer: quemadmodum & alia, quæ maximi pretij ducimus, vt quam maxime in tuto sint, operā damus. Verum, mi pater, esse meliori, quam hostes, condicione quo pacto quis possit? Profecto, fili, non de re vili neq; simplici rogas. Nam scire debes eum, qui præstaturus hoc sit, & insidiatorem esse oportere, & mentis occultatorem suæ, & fraudulentum & veteratorē, & furem, & raptorē, & quauis in re hoste superiorem. Et Cyrus ad ea ridens: Deus bone, ait, qualem esse me virum, pater, oportere dicis? Qualis, inquit, si fueris fili: & iustissimus sis, & legum obseruantissimus. At qui fit, ait, vt nos, quū pueri & ephebi essemus, his contraria docueritis? Immo, inquit, etiam nunc profecto: nimirum erga amicos & ciues. Verum an nō meministi, plerasq; vos didicisse nequitias, vt hostes lædere possitis? Nō equidem, mi pater, inquit. Cur ergo, subiecit ille, sagittis ferire discebatis? cur vibrare iacula? cur sues agrestes & retib. & foueis capere? cur ceruos pedicis & plagis? cur & cum leo-

Locus a Cicerone versus in disputatione Tusculana II. 33

nibus, & vrsis, & pardis, non æquo marte congrediebamini; sed ita semper aduersus hasce feras certare conabamini, vt condicione vos meliori essetis? an non animaduertis, hæc omnia nihil aliud, quam nequitias, deceptiones, fraudes, melioris condicionis captationes esse? Sunt profecto, inquit Cyrus, sed aduersus feras. Hominum vero quemquam si duntaxat velle decipere viderer, admodum vapulare memini. Nimirum, ait pater, neque vos sagittis hominem, vt arbitror, neq; iaculo, ferire sinebamus: sed petere docebamus scopum, non id quidem, vt in præsens noceretis amicis: sed vt tempore belli, etiam in homines ictũ dirigere possetis. Itidem fallaciis vtendi, & meliori aliqua condicione potiundi rationem vobis tradidimus, nõ in hominibus, sed feris: nec his quidem vt amicos læderetis, sed ne tempore belli
34 rudes horum & inexercitati essetis. At enim, mi pater, inquit, si vtraque scitu sunt vtilia, tam bene, quam male hominibus facere: etiam vtraque in hominibus erant docenda. Sane fertur, ait pater, maiorum nostrorum memoria, fili, quemdam puerorum magistrum fuisse, qui & iustitiam pueros doceret, quemadmodũ tu quoque iubes, & iniustitiam: non mentiri, & mentiri: non fallere, & fallere; non calumniari, & calumniari; non præripere commodum aliquod aliis, & præripere. Distinguebat etiam, quænam horum in amicos, quæ in hostes patrari oporteret. Atque adeo progressus vlterius, iustum esse docebat, amicos fallere cum bono ipsorum, & furto res amicorum subtrahere cum bono ipsorum. Hæc qui docebat, etiam pueros ad ea inter se faciunda exercuerit, necesse est: itidem vt in lucta circumueniendi rationẽ tradere Græcos aiunt, atq; etiã exercere pueros, vt inter se hoc facere possint. Itaq; quũ nonnulli a natura essent ingeniosi ad scite decipiendum & scite præripiendũ aliquid aliis, ac fortassis ad lucrandi quoq; studiũ inepti non essent: nec ab amicis quidem abstinebant, quo minus eis aliquid præripere conarẽtur. Quapropter edictum inde factum est, quo nunc etiam vtimur, simpliciter esse docendos pueros, quemadmodum seruos docemus erga nos, veraces esse, non fallaciis vti, nec furari, nec aliquid præripere. Si quid aduersus hæc facerent, vt castigaren-

De magistro, qui bona & mala docebat.

garentur: quo nimirum ciues hoc more, condocefacti, manſuetiores exiſterent. At poſtquam ad eam ætatem perueniſſent, quæ iam tua eſt, tunc eis & belli iura tuto tradi poſſe putabant. Non enim amplius exorbitaturi videmini, vt in ciues feros euadatis, qui ſic educati eſtis vna, vt mutuo vos revereamini. Ita de venereis etiam rebus ad valde iuuenes verba non facimus, ne accedente ad vehementem in eis libidinẽ leuitate, immodice huic libidini ſuæ indulgeant. Sic eſt, profecto, reſpondit Cyrus. Quapropter me, ceu tardius accedentem ad diſcendum rationes illas præripiendi quaſdam commoditates, docere, ſi quid habes, ne recuſato: quo meliorem meam, quam hoſtium ſit, condicionem efficiam. Igitur enitere, ſubiecit pater, quantum potes, vt cum tuis inſtructis hoſtes non inſtructos deprehendas, cum armatis, inermes: cum vigilantibus, dormientes: conſpectos abs te, quum ipſi te non viderint: atque etiam vt locorum difficultatibus impeditos, ipſe conſtitutus in loco munito excipias. Et qui fieri poterit, inquit, mi pater, vt aliquis hoſtes in huiuſmodi erroribus deprehendat? Quia enim, fili, multa talia quum vobis, tum hoſtibus accidere neceſſe eſt. Nam vtriſque victus expedienda ratio eſt, ſomnus vtriſque capiendus, & tempore matutino ad naturæ neceſſaria prope ſimul vniuerſis eſt ſecedendum, & itineribus, qualia fuerint, talibus vtendum e neceſſario. Quæ omnia cõſiderãda tibi ſunt, vt vbi maxime vos imbecilles animaduerteris, ibi ſumma cautione vtaris: vbi vero poſſe ſenſeris hoſtes opprimi facillime, ibi potiſſimum eos adgrediare. Verum an duntaxat in his, inquit Cyrus, meliori eſſe condicione licet, an etiam in quibuſdam aliis? Imo [in aliis] multo magis, inquit, fili. Nam in his prope vniuerſi cautiones accuratas adhibent, vti quibus eſſe ſibi opus intelligant. Qui autẽ fallunt hoſtes, poſſunt eos vel iniecta fiducia incautos opprimere: vel conceſſa inſequendi ſe facultate, perturbare ipſorum ordines: vel ſimulatione fugæ adductos ad difficilia loca, inuadere. Oportet vero te, fili, qui hæc omnia diſcendo cognoſcere cupis, non iis duntaxat vti, quæ ab aliis didiceris: ſed etiã de ingenio tuo quaſdam aduerſus hoſtẽ molitioẽs excogitare: quemadmodũ & Muſici nõ iis tan-

Strategematum variæ rationes.

tum, quos didicere, modis vtuntur: sed alios etiam nouos facere student. Ac quæ noua sunt, & ipso quasi in flore, vehementer illa quidem in Musicis quoq; probantur: verum multo magis in rebus bellicis nouæ machinationes laudem merentur. quippe quæ hostem decipere facilius possint. Quod si tu, fili, nihil aliud in homines trãsferas, quam eas ipsas molitiones, quas aduersus minutas admodum bestias excogitare solebas: non te plurimum in rationibus, quibus hoste superior euadas, inueniendis profecturum existimas? Tu hyeme sæuissima noctu surgens, aucupatum ibas: & prius, quam aues se commouerent, iam eis erant abs te parata retia, iã area versa non versæ similis erat. Præterea quædam aues abs te sic erant edoctæ, vt tuis quidem illæ commodis seruirent: sui vero generis aues in fraudem pellicerent. Ipse in insidiis ita te abdebas, vt illas tu cerneres, ab illis cerni non posses. Etiam studiose dabas operam, vt aues prius
36 trahendo anteuerteres, quam fugerent. Rursum aduersus leporem, quod is in caligine pastum quærat, interdiu vero fuga sibi consulat, canes alebas, qui odoratu eum vestigarent. Et quia repertus celeriter in fugam se coniiceret, idcirco canes alios habebas, ad hoc institutos, vt e vestigiis eũ insequẽdo caperent. Quod si horum quoq; canum vim lepores euasissent, indagabas eorum vias & ad quæ loca potissimum fugerent, in illis retia visum fugientia tendebas: vt illapsus in ea lepus ipsemet in illa fuga cõcitatiore se indueret. Atq; vti ne hinc quidem aufugeret, speculatores eius, quod accideret, cõstituebas: qui de propinquo celeriter adcurrerent. Ipse a tergo clamorem ad leporẽ vsq; pertinentẽ tollens, territabas eum vt improuide procurrens caperetur: qui autẽ ab anteriori parte in insidiis erant, facile tua opera latebant, quod abs te silere iussi fuissent. Quamobrem, vt aiebam antea, si huiusmodi quædã aduersus homines etiam, moliri volueris, equidẽ haud scio an vllũ ex hostibus superstitem relicturus sis. Quod si aliquando necessitas obueniat, vt in planitie campestri, marte aperto, armatis vtrisq; prœlium sit conferendum: tum vero, adiumenta fili, quibus superiores euadamus, multo ante comparata plurimum valent. Sunt autẽ hęc, si corpora militũ probe fuerint exercita

De prœliis, quæ aperto Marte committuntur.

ercita

ercita, si probe quasi exacuendo redditi acres animi, si probe rei militaris artes meditatæ. Præterea necesse est hoc etiam scias, quoscunq; censes æquum esse tibi parere, eos omnes existimaturos æquum esse, vt tu ipsis consulendo prospicias. Itaq; numquam tibi deponendæ sunt curæ, sed prouidendum noctu, quid subiectos imperio tuo facere velis, vbi dies aduenerit: interdiu, quo pacto sese res nocturnæ quã optime sint habituræ. Qua vero ratione sit instruẽdus ad pugnã exercitus, quo pacto vel interdiu, vel noctu vel per angustas, vel latas, vel montuosas, vel campestres vias ducendus: quo pacto metanda castra, nocturnæ diurnæve excubiæ constituendæ, ducendus in hostem, vel reducendus miles: quo pacto propter vrbem hostilem faciundum iter, exercitus ad murum vel adducendus, vel abducendus: quo pacto vel saltus, vel fluuij transeundi: qua ratione vel a copiis equestribus, vel a iaculatoribus, vel a sagittariis cauendum: tum si tibi explicatum in cornua exercitum ducẽti hostes se obuij ostentant, quo pacto sit acies eis opponenda: sin eum phalangis in morem instructum ducenti, ex alia quauis parte 37
hostes adpareant, non autem a fronte, quo pacto ducendus sit tunc in eos miles: qua ratione possit effici, vt quid hostes rerum agant, sentias: tu quid instituas, prorsus ab ipsis ignoretur: hæc igitur omnia quid ego tibi commemorem? Nam quæcunque comperta mihi erant, audisti sæpius: & ceteroquin si qui harum rerum periti videbantur, eorum neminem neglexisti, nec rudis & imperitus euasisti. Quapropter ad quælibet euenta, vt arbitror, his vtendum erit, quæ tibi quouis tempore potissimum ex vsu fore videbuntur. Etiam hæc ex me, fili, maximi sane momenti discito. Numquam neque pro te solo, neque cum exercitu, sacris non litatis, & contra auspicia periculum adieris. Nam cogites velim, homines non nisi de coniecturis res gerendas suscipere: quum plane nesciant, vnde boni sit aliquid ipsis expectandum. Licet hoc de iis, quæ accidere solent, intelligas. Nam fuere complures, iique hominum opinione sapientissimi, qui multis auctores exstiterunt, vt bellum aduersus eos mouerent, a quibus illi deinde, qui persuaderi hoc sibi passi fuerant, sunt euersi. Multi præterea multos,

Nihil non religiose tentandũ.

& priuatos homines, & respublicas euexerunt: a quibus euectis opera sua, maximis sunt deinde malis adfecti. Multi eos, quibus amicis vti poterant, collatis in ipsos, & acceptis vicissim beneficiis, quum seruos esse suos, quàm amicos mallent: ab iisdem multati pœnas dedere. Multi vita iucunda, cõiuncta cum possessione partis alicuius non contenti, quum omnia suam in potestatem redigere cuperent, illis etiam, quæ possidebant, exciderunt.
,, Multi aurum, quod tantopere votis omnium expetitur,
,, consecuti, propter hoc ipsum interierunt. Itaque huma-
,, na sapientia, nihilo certius, quod optimum est, deligere
,, nouit, quam si quis hoc agat, quod sors obtulerit. Ve-
,, rum Dij immortales, fili, omnia norunt, & præterita, &
,, præsentia, & quis singulorum futurus sit exitus. Iidem
,, hominibus se consulentibus, quibus quidem propitij
,, sunt, quæ suscipienda, vel nõ suscipienda sint, ante significant. Neque vero mirandum, non omnibus ipsos velle cõsulere: quando illorum curam gerere, quos complecti studio suo nolint, nulla necessitate coguntur.

38 XENOPHONTIS HISTORIARVM DE INSTITVTIONE CYRI, LIB. II.

Argvmentvm.

1. Cyrus ad Cyaxarem cum exercitu suo proficiscitur, cuius, & hostilium copiarum numerus, & qualitas describitur. 2. De summa belli gerendi consultatio. 3. Cyri ad homotimos oratio. 4. Eiusdem ad milites oratio. 5. Cyrus omnes belli rationes suis militibus ostendit, in his eos exercet, vt corporis, animiq; vires augerent, remq; feliciter gererent. 6. Cyri cum suis colloquia. 7. Disciplinæ militaris exemplum. 8. Chrysantas Cyrum de præmiis proponendis admonet. 9. Singularis Cyri prudentia. 10. Cyrus iterum iocos seriis miscet. 11. Cyri ad milites oratio. Secunda, Chrysantæ. tertia, Pheraulæ. 12. Militum exercitia,

citia, quibus ad res bellicas se paratiores reddebant. 13. Cyrus ob legatos ab Indorum Rege missos accersitur, ac ipsis auditis, cum Cyaxare de pecuniæ conficiendæ ratione verba facit. 14. Cum eodem de Armenio in ordinem redigendo agit, eumq; per venationis simulationem inuadit. Hic rei gerendæ modus explicatur.



VIVSMODI quum inter se disserendo, ad agri persici limites peruenissent, & aquila dextra cōspecta præcederet: Deos & heroas præsides terræ Persidis precati, vt se propitij benigniq; deducerent, fines transierunt. Iis autē transitis, quum rursus deos præsides Medorum regionis precati essent, vti se propitij benigniq; exciperent: mutuo se complexi, vt par erat, ad Persas pater reuertebatur, Cyrus in Mediam ad Cyaxarem pergebat. Ad quem vbi peruenisset Medorum in regione, primum se, pro more, mutuo cōplexi salutarunt. Deinde Cyrum Cyaxares interrogat, quantum exercitum duceret. Cui Cyrus: Triginta millia quidem, inquit, eorũ duco, qui & antehac stipendiarij venire ad vos consueuerunt. Præter hos ex Æqualium ordine, qui numquam egressi sunt domo, alij quidā adueniunt. Quam multi? ait Cyaxares. Et Cyrus: Numerus sane te, inquit, quum eum audieris, nō admodum delectabit: verum hoc existimes velim, paucos hosce, qui Æquales adpellantur, in Persas ceteros, quātumuis multi sint numero, facile imperiũ obtinere. Verum estne tibi his opus, an metus hic tuus inanis fuit, hostibus nō venientibus? Immo veniunt illi profecto, inquit, & multi quidem. Vnde hoc constat? Etenim quum multi, ait, inde veniant, alius alio modo: tamen omnes eadem referunt. Itaq; depugnandum nobis erit aduersus ipsos? Nimirum ita poscit necessitas, ait Cyaxares. Cur ergo, subiecit Cyrus, non etiam quantæ sint copiæ, dixisti, siquidem tibi de his cōstat, tam quæ ab illis adueniunt, quam nostræ: vt cognitis ambabus, quo pacto quam rectissime bellum geramus, inter nos deliberetur? Audi vero, inquit Cyaxares. Lydus quidem ille Crœsus ducere perhibetur equites decies mille, cetratos & sagittarios plures qua- 39

Cyrus ad Cyaxarem venit.

Homotimi apud Persas, hoc est, dignitate pares.

Hostium quātæ copiæ, explorandum.

draginta millibus. Artamas autem, magnæ Prygiæ princeps, equitum octo millia, hastatos cum cetratis nō pauciores quadraginta millibus ducere fertur. Aribęus Cappadocum rex, equitum ad sex millia, sagittarios & cetratos triginta millibus haud pauciores. Maragdus Arabs equites ad decies mille, currus centum, funditorum ingentem quamdam copiam. De Græcis, qui Asiam incolunt, nec dum certo constat, sint ne sequuturi.* Gabæus cum iis, qui e Phrygia sunt, propter Hellespontum sita se coniuncturus dicitur: cui quidem in Caystri planicie sex equitū sint millia, cetrati decies mille. Cares tamen, & Cilices, & Paphlagones, licet arcessiti sint, sequuturi negantur. Assyrius autem ipse, cuius & Babylon est, & Assyria reliqua, ducturus est, vt equidē arbitror, equites vicies mille, non pauciores: currus, sat scio, non plures ducentis: peditatum autē, meo iudicio, maximum. sic enim consueuit, quum fines nostros inuadit. Dicis tu, inquit Cyrus, hostium equites esse ad sexagies mille, cetratorum sagittariorumq; plures ducentis millibus. Age vero, quem tui exercitus ais esse numerum? Medorum, inquit, sunt equites plures, quā decies mille: cetrati & sagittarij forte nostra in ditione sexagies mille fuerint. Ab Armeniis, qui nobis finitimi sunt, equitum millia quatuor aderunt, peditum viginti millia. Dicis tu, inquit Cyrus, hostium equitatu nostrum etiam parte tertia minorem esse, peditatum fere dimidia. Quid igitur? ait Cyaxares, paucos ne Persas arbitraris esse, quos ducere te dicis? Et Cyrus: Nobis vero, inquit, an præterea milite sit opus, nec ne, mox deliberabimus. Tu mihi, quæ pugnæ ratio sit singulorum, exponito. Prope omnium, ait Cyaxares, eadem. Nam & illorum, & nostri milites sagittarij sunt, ac iaculatores. Quum ergo, subiecit Cyrus, huiusmodi sint arma, res eminus necessario gerēda erit. Ita quidē vsus postulat, respondit Cyaxares. & Cyrus: Erit igitur heic, inquit, illorū victoria, qui numero plures fuerint. Multo enim citius a pluribus pauci vulneribus confecti perierint, quam plures a paucis. Si ergo, mi Cyre, sic comparata res est, quid reperire quis rectius possit, quam ad Persas vti mittamus, eademque opera doceamus, calamitatem ad Persas ipsos penetraturam, si Me-

al. Gabadus.

De summa belli gerēdi consultatio.

si Me-

si Medis aduersi quid accidat, & maiorem exercitum postulemus? At ego te prorsus hoc scire velim, ait Cyrus, nos multitudine hostes non esse superaturos, etiamsi Persæ vniuersi veniant. Quid ergo tu melius, quam hoc sit, vides? Equidem, inquit Cyrus, si essem, qui tu, quam primum Persis omnibus huc venientibus eiusmodi fabricanda curarem arma, qualibus instructi adsunt e nostris, qui Æquales adpellantur. Ea vero sunt, lorica circum pectus, in manu læua crates, in dextra copis vel securis. Quæ si parâueris, efficies, vt nobis comminus cum hoste congredi tutius liceat, & ipsis futurũ sit consultius fugere, quam subsistere. Ac nos quidem Persas aduersus illos hostes collocamus, qui subsistent: quotquot autem fugerint, eos vobis & equitibus adtribuimus vt eis nec fugere vacet, nec conuerti. Hoc modo quum Cyrus disseruisset, visus est Cyaxari recte dicere. Quare nullam de arcessendis pluribus mẽtionem faciebat amplius, sed arma, de quibus modo dictum, parabat. Ea prope iam perfecta quum essent, aderant Æquales Persarum cũ illo, qui a Persis mittebatur, exercitu. Ibi tum Cyrus ad eos conuocatos, hæc fecisse verba perhibetur. *Cyri ad homotimos oratio.*

" Ego vos quidem, amici, quum sic & armatos, & animis
" paratos viderẽ, vt qui manus cũ hoste conserturi essetis:
" Persas vero, qui vos sequuntur, eiusmodi armis instru-
" ctos animaduerterem, vt in hostem pugnare, nisi ab eo
" quam longissime collocati non possent: veritus sum, ne
" si pauci consisteretis, & soli absq; prœlij sociis magnam
" in hostium multitudinem incideretis, aduersi quid vobis
" eueniret. Iam vero & corpora virorum haud contẽnen-
" da vobiscum adducentes adestis, & illis arma vestris si-
" milia futura sunt. Vt autem eorum animi exacuantur,
" eæ scilicet nostræ partes erunt. Est enim eius, qui cum
" imperio est, vt non modo vir ipse fortis sit: sed etiam
" studiose efficiat, vt illi, quibus præest, longe optimi euadant. Hæc quum Cyrus dixisset, gauisi sunt omnes: quod se plures habituros in pugna socios arbitrarentur. Vnus autem ex eis in hunc modum loquutus est. Equidem fortasse mira quædam proferre videbor, qui Cyro consilium dare velim, vt pro nobis verba tum faciat, quũ arma sunt accepturi, qui nobiscum in hostem *Cuiusdã ex homotimis oratio.*

41 pugnaturi ſunt. Verum animaduertere videor, eorum o-
,, rationes, quibus & ad beneficium præſtandum, & ad læ-
,, dendum facultas eſt maxima, plurimum in animos au-
,, dientium penetrare. Iidem ſi munera largiãtur, licet vi-
,, liora ſint iis, quæ paris homines cõdicionis offerunt: ta-
,, men ab accipientibus illa pluris æſtimantur. Itidem ſi
,, modo Perſas Cyrus cohortatus fuerit, multo gratius eis
,, hoc futurum eſt, quam ſi a nobis præſtetur. Et æqualium
,, in ordinem illi cooptati, beneficium hoc ducturi ſunt
,, longe ſolidius, ſi & a filio regis, & ab imperatore, profici-
,, ſcatur: quam ſi eodem opera noſtra perueniant. Quan-
,, quam ne illa quidem abeſſe debent, quæ noſtrarum ſunt
,, partium; ſed omnino quouis modo nobis illorum animi
,, ſunt exacuendi. Quidquid enim illorum virtuti acceſſe-
rit, id e re noſtra fuerit. Itaq; Cyrus armis in mediũ pro-
poſitis, atq; omnibus Perſarum militibus cõuocatis, hu-
iuſmodi orationem habuit. Vos quidem, Perſæ, vt orti e-
,, ſtis altiq; nobiſcum eodẽ in ſolo, & vt corpora nobis ni-
,, hilo deteriora noſtris ſunt: ita par eſt etiã, veſtros animos
,, noſtris haudquaquam ignauiores eſſe. Atq; huiuſmodi
,, quum ſitis, in patria tamen pari nobiſcũ condicione non
,, eratis: non quod a nobis inde repulſi ſitis, ſed quia vobis
,, onus parandi victus incumberet. Nunc & mihi, diis bene
,, iuuantibus, erit curæ, vt ille ne deſit: & facultas vobis cõ-
,, ceditur, ſiquidem ita libuerit, vt tametſi nobis aliqua in
,, re forte inferiores ſitis, ſumtis tamen eiuſmodi armis,
,, qualia noſtra ſunt, idem nobiſcum periculum adeatis: ac
,, ſi quid recte præclareq; ſucceſſerit, præmia noſtris paria
,, conſequamini. Hactenus quidẽ vos quoq; ſagittis & ia-
,, culis vſi eſtis, ſicut & nos: ac ſi forte in his minus, quam
,, nos induſtrij fuiſtis, mirũ id videri non debet. Neq; enim
,, vobis ea ſingulari cum cura tractandi, perinde ac nobis,
,, otium erat. In hoc vero armorum genere nulla re vobis
,, potiores nos erimus. Nã lorica ſingulis erit apta cuiuſq;
,, pectori, læuaq; in manu crates, quam omnes geſtare cõ-
,, ſueuimus, in dextra gladius vel ſecuris, qua hoſtis cæden-
,, dus erit, neque quidquam verendum, niſi ne quem ictus
,, fruſtretur. Quid eſt igitur in his, quo noſtrum aliquis ab
,, alio ſuperetur, extra audaciam, quam non minorem par
,, eſt a vobis, quam a nobis ipſis præſtari? Quid enim cauſ-
ſæ fue-

Cyri ad milites ORATIO.

sæ fuerit, quamobrem vos non æque, ac nos, victoriam (qua bona præclaraque omnia parantur & conseruantur) expetere par sit? Qui fuerit consentaneum, magis 42
nostra, quam vestra interesse, vt rerum potiamur: quod quidem vnum facultates deuictorum vniuersas victoribus largitur? Tamdem dixit: Audistis omnia, & arma ipsa cernitis: quibus si quis indiget licet ea capiat, nomenq; professus apud cohortis pręfectum, nobiscum eodem sit loco. Qui autem condicione mercenarij militis contentus est, arma ministro conuenientia retineat. Hęc Cyri verba fuerunt, quæ Persæ quũ audissent, iure se arbitrabantur omnem deinde ætatem in rerum inopia & egestate acturos, si ad pares labores, eademq; præmia inuitati, non paruissent. Itaque omnes nomina sua professi, arma accipiunt. Interea vero, dum hostes aduentare quidem illi dicerentur, nec dum tamen adessent: Cyrus & corpora suorum ad robur exercere nitebatur, & ordinum ratione ostendere, & ad res bellicas animos acuere. Ac primum adparitoribus a Cyaxare acceptis, mandabat, vt abunde militibus singulis omnia, quibus esset opus, parata suppeditarent. Quod quum ita curasset, nihil iam militi reliquũ erat, nisi rei militaris exercitatio. Videbatur enim animaduertisse sibi, singulis illos in rebus effici præstantissimos, qui animum a studio rerum plurium reuocantes, multarum rerum occupationibus, vni se totos darent. Quin etiam militibus ab arcus & iaculorum exercitiis abstinere iussis, hoc reliquit, vt dumtaxat instructi, gladio, crate, lorica, pugnarent. Itaque statim sic eorum præparauit animos, vt vel comminus cum hoste congrediendum statuerent; vel fatendum, se nullius in bello momenti socios esse. Id vero fateri graue est illis, qui aliam nullam ob caussam annonas accipere se norunt, quam vti pro illis pugnent, qui eas præbent. Præterea quum in mentem ei veniret, homines ad illa exercitia multo alacriores esse, quæ cum quibusdam contentionibus suscipiuntur: certamina militibus indixit earum rerum omnium, in quibus exerceri milites, vtile iudicaret. Erant autem hæc quæ indicebat: Militi gregario præfectis se obœdientem exhiberet, ad labores impigrum, ad subeunda pericula promptum, sed ordinis

Cyrus ad omnem belli rationem suos condocefacit.

tamen obſeruantem, peritum rerum militarium, in armis elegantiæ ſtudioſum, & in huiuſmodi rebus omnibus laudis auidum. quinario, vt & ipſe boni militis gregarij more ſe gereret, & quinionem, pro virili, talem
43 exhiberet: decurioni, vt decuriam: manipulario, manipulum: itidemque præfecto cohortis, & aliorum præfectorum vnicuique, tum vt ipſe culpa & reprehenſione vacaret, tum daret operam, vt conſtitutos ſuo ſub imperio duces viciſſim ſibi ſubiectos in officio continerent. Præmia vero proponebat, cohortium quidem præfectis, vt qui cohortes longe optimas reddidiſſe viderentur, tribuni fierent: manipularibus autem, vt qui manipulos effeciſſe optimos viderentur, eorum in locum ſuccederent, qui fuiſſent præfecti cohortium: itidem optimi decuriones in manipulariorum, quinarij in decurionum, gregariorum militum præſtantiſſimi quinariorum in loca ſubſtituerentur. Atque omnes hi præfecti primum hoc habebant, quod a ſubiectis ſibi colerentur. deinde honores etiam alij quos cuique par erat tribui, ſequebantur. Quin & maiores ſpes laude dignis oſtentabat, ſi qua ſequuturo tempore fortuna lautior adfuiſſet. Totis etiam cohortibus, totis manipulis, decuriis, quinionibus præmia victoriæ promiſit, ſi præfectis ſe ſuis obœdientiſſimos declararent, & exercitationes demonſtratas ſumma cum alacritate obirent. Præmia quidem erant eiuſmodi, qualia multitudini cōueniunt. Atque hæc ſunt, quæ & ipſe indicebat, & in quibus ſe miles exercebat. Tabernacula, quod numerum attinet, tot eis inſtruxit, quot erant præfecti cohortium: magnitudine vero tanta, ſingulis vt cohortibus ſufficerent. Quælibet autem cohors militibus centum conſtabat. Atque hoc modo centuriatim in tabernaculis degebant. Exiſtimabat autem eos ad futurum certamen ex tali contubernio conſequuturos hoc commodi, quod pari ratione ſibi annonas præberi cernerent: itaque nemo remiſſius agere, vel gerere ſe aduerſus hoſtem ignauius eo prætextu poterat, quaſi minus ipſi ſuppeditaretur. Etiam aliquid vtilitatis ipſi videbantur ex contubernio ad cognoſcendum ſeſe mutuo capere. Nam ex eo, quod ſe noſſent inter ſe, maiorem in omnibus verecundiam

cundiam excitari arbitrabatur: quum ignoti qui sunt, illorum hominum more, qui in tenebris versantur, magis esse procliues ad actiones improbas videri possint. Itidem huiusmodi contubernium ei multum momenti adferre videbatur ad accuratam ordinum instructionem. Quippe cohortium præfecti, perinde sub se dispositas cohortes habebant, atque si procederent in cohorte singuli: itidemque manipularij, manipulos; de- 44
curiones, decurias: quinarij quiniones. Instrui autem ordines accurate, vtilissimum ei videbatur esse, quum ad id, ne perturbarentur, tum vt perturbati citius redintegrari possent: quemadmodũ & lapides & ligna, quæ cõagmẽtanda sunt, tametsi temere disiecta fuerint, facile tamẽ cooptari possunt, si notas quasdã habeant, de quibus adgnosci, quẽ ad locũ singula pertineant, haud difficulter possit. De hoc deniq; conuictu mutuo capturos hoc etiam commodi putabat, vt minus sese deserere vellent: quod videret etiam bestias, quæ vna pascuntur, miro sui desiderio teneri, si quis eas a se diuellat. Præterea Cyrus hoc quoque studiose curabat, ne vmquam nisi prius sudassent, ad prandium cœnamve accederẽt. Nam vel in venationem productos ad sudorem vsq; exercebat, vel eiusmodi ludos excogitabat, qui sudorem elicerent: vel si quid etiam ipsi forte agendum esset, ita se ducem ad eam rem agendam præbebat, vt absque sudore non redirent. Hoc enim & ad perceptionem cibi gratiorem, & ad bonam valetudinem, & ad laborum tolerantiam, vtile putabat. Quin ad hoc etiã conducere labores arbitrabatur, vt inter se mansuetiores essent: idq; propterea, quod etiã equi labores eosdẽ sustinẽtes, placidius eodem loco stare cõsueuerint. In hostes quidẽ certe reddũtur animosiores, qui mutuo sibi cõscij sunt, quam egregie se simul exercuerint. Sibi autẽ Cyrus tabernaculũ fieri curauerat, quod eorũ capax esset, quos ad cœnã inuitasset. Et inuitabat plerunq; præfectos cohortium, quos ipsi visum esset opportunũ. Nonnumquam & manipularios, & decuriones, & quinarios, & milites quosdã: immo etiam interdum quinionẽ totum, totam decuriã, totum manipulũ, totã deniq; cohortẽ inuitabat. Atq; hac inuitatione ac delatione honoris vtebatur, quoties cerneret aliquos

eiusmodi quiddam facere, quod ab omnibus fieri vellet. Semper vero eadem tam Cyro, quā inuitatis ad cœnam adponebantur. Etiam adparitoribus in exercitu partes æquas semper distribuendas curabat, quod castrenses illos adparitores non minus honore dignos existimaret, quam caduceatores ac legatos. Nam fideles hos esse debere statuebat, rerumq; castrensium peritos, intelligentes, nauos, celeres, impigros, formidinis expertes. Præterea censebat Cyrus, in his adparitoribus esse illa debere,
45 quæ optimis quibusq; adsint: & sic eos consuefaciendos, ne opus vllum recusent, sed conuenire sibi putent, omnia facere, quæ princeps iusserit. Ac quoties quidem Cyrus cum suis eodem erat in contubernio, semper operam dabat, vt facetissimi quidem sermones iniicerentur, & qui ad egregium aliquid incitarent. Itaq; hunc etiam aliquando in sermonem incidit. Videnturne vobis, inquit, homines ceteri propterea nobis aliquanto inferiores, quod ea, qua nos, disciplina non sunt instituti? an nullum, inter nos & illos discrimen erit, siue mutuis in congressibus, siue quum erit in hostem dimicandum? & Hystaspes excipiens: Equidem quo pacto, ait, aduersus hostem nostri se gesturi sint, nec dum scire possum: in familiari quidē congressu, nonnulli profecto iam quoque morosi videntur. Mittebat nuper cohortibus singulis victimas Cyaxares, & pertinebant ad vnumquemq; nostrum portiones de carnibus, quæ circumferebantur, tres aut plures. Et coquus a me quidē exorsus primo eas ambitu circumferebat, quum autem secundo accederet, vt circumferret: iussi eum ordiri ab vltimo, & vice versa circumferre. Ibi tum quidam militum in media corona discumbentium, exclamans: Nulla profecto, ait, heic æqualitas est, si a nobis, qui sumus in medio, nemo vmquam incipiet. Quod ego quum audissem, moleste tuli, videri medios esse loco deteriori, ac militem ad me statim arcessiui. Paruit in hoc ille mihi perquam modeste. Quumque ad uos peruenissent ea, quæ circumferebantur, minimæq; partes relictæ nobis essēt, quippe quibus vltimo loco sumendum erat, heic ille non dissimulato dolore secum: Infortunatum me, ait*, qui iam huc sim arcessitus. Et ego: Ne sollicitus sis, inquam. Modo enim a nobis

Cuiusmodi colloquia Cyri cum suis fuerint.

* *Lectio marginis*

a nobis incipiet, ac tu primus quod maximum erit, capies. Interim [coquus] tertium circumferebat, quod solum vt circumferretur, restabat; & sumebat ille post me secundo loco. Quum autem & tertius sumsisset, visus est huic maiorem sua portionem accepisse. quapropter id, quod sumserat, abiicit; velut aliud sumturus. At coquus, qui hominem obsonio non egere putaret, discedens; prius * circumferebat, quam aliud ille sumsisset. Ibi tum vsque adeo grauiter hunc casum tulit, vt quum absumtum esset obsonium, quod acceperat, etiam reliquum ad vsum intinctus, ex perturbatione quadam, & commotione animi fortunæ irascentis, euerteret. Id quum proximus nobis manipularius videret, manibus complosis ridens gaudebat. Ego vero tussire me simulabam, quin e ipse quidem risum continere possem. Eiusmodi, Cyre, quemdã e sociis tibi nostris indico. Heic quum omnes, vt par erat, risissent; alius quidam ex cohortium præfectis: Hic quidem, inquit, in hominem morosum, Cyre, quemadmodum videtur, incidit. Ego vero, quum tu nos rationes ordinum edoctos dimisisses, ac iussisses, vti quisque suam cohortem ea doceret, quæ nos abs te didicissemus: & ipse discedens abs te, quemadmodum facere videbam ceteros, manipulum vnum erudiebam. Quumq; loco primo statuissem præfectum manipularium, ac post hunc iuuenem quemdam collocassem, itidemq; ceteros, quo quemque loco putabam disponendum: stabam deinde ab anteriore parte, versusq; manipulum respiciens, quum opportunũ mihi visum esset, progredi iussi. Ibi tum iuuenis ille progressus ante manipularium, prior incedebat. Quod ego videns: Heus tu quid agis? inquam. Et ille: Progredior, ait, vti iubes. Ego vero non te, inquam, solum iubebam progredi; sed omnes. Id ille quum audiisset, ad socios manipulares conuersus: an non auditis, ait, iubere hunc, vt procedamus omnes? Tum illi omnes manipularium prætergressi ad me accedebant. Quum autem manipularius eos priorem in locũ reduceret, stomachabantur; &, vtri parendum erit? quærebant. Iam enim hic progredi iubet, ille vetat. Hæc ego ferens æquo animo, deque integro quemque suo loco disponens, ne quis se

sententiã huiusmodi habet: Qui iam huc arcessitus deteriora, quã alij, capiat.

** al. portãdo trãsibat.*

46

Disciplinæ militaris exemplũ.

posteriorum prius commoueret edicebam, quam anterior præcederet: adeoq; vnum hoc spectarent omnes, vt anteriorem sequerentur. Quidam vero profecturus in Persiam, quum ad me veniret, epistolamq; posceret, quam ad meos perscripseram: iubeo manipularium (is enim quo esset loco sita epistola norat) currere adlatum eas litteras. Ibi tum hoc currente, iuuenis ille cum lorica copideque manipularium sequitur, idque videns ille manipulus vniuersus, vna currebat: atque hoc pacto epistolam omnes adferunt. Sic adeo meus, inquit manipulus omnia tenet accurate, quæ abs te nobis imperata sunt. Heic alij quidem, vt par erat, propter hoc satellitiũ epistolæ ridebant. Cyrus autem: Proh Iupiter, vosq; Dii
47 omnes ait, cuiusmodi nobis socij sunt, quos tam facile demereri liceat, vt multorum ex ipsis amicitia etiam exiguo conciliari obsonio queat: & qui adeo sunt obœdientes, vt prius, quam norint, quid imperetur, obtemperent. Equidem qui potius optandi sint, quam huiusmodi milites, nescio. Atque hoc modo Cyrus simul ridens, milites hosce collaudabat. Aderat autem forte tum in tabernaculo quidam ex præfectis cohortium, cui nomẽ Aglaitadas; homo, quod mores adtineret, ex numero asperiorum is in hunc modum orsus: Tune, inquit, hos vera narrare putas Cyre? Quid ergo, subiecit Cyrus, mentiendo quærunt? Quid aliud, inquit, nisi quod risum mouere volunt? Cuius rei caussa & narrant hæc, & ostentant sese. Tum Cyrus, Bona verba quæso, ait, ne hos ostentatores adpellaueris. Quippe nomen hoc ostẽtatoris imponi mihi quidem videtur iis, qui se simulant, vel esse ditiores, quam sint, vel fortiores, quique polliceantur ea se præstaturos, quibus ipsi præstandis non sufficiunt: atque id tum demum, si pareat ipsos hęc accipiendi aliquid, & quæstus causa facere. Qui vero risum aliis secum versantibus neque lucri sui, neque detrimenti audientium, neque vllius adeo damni caussa mouent: quo pacto non vrbani ac faceti iustius, quam ostentatores adpellentur? Atque hunc in modum sane Cyrus eos, qui risum mouerant, defendebat. Manipularius autem ipse, facetæ illius de manipulo narrationis auctor: Nimirum Aglaitada, inquit, si ad fletum commouere

Verbum ἀλαζονέυεσθαι Aglaitadas non recte vsurpat.

mouere te conati essemus, quemadmodum nonnulli tam carminibus, quã orationibus cõmenti miserabilia quædam lacrumas ciere nituntur, admodum nos reprehendisses: quando nunc quidem, quos ipse non ignoras, exhilarare te, non lædere velle, tam contumeliose nos habes. Iure quidem id profecto, ait Aglaitadas. Nam mea sententia quiddam longe minoris æstimandum efficit, qui risum amicis excitat: quam qui eos inducit, vt sedentes plorent. Quod quidem a me vere dici, tu quoque reperies, si recte rem existimabis. Nam fletu parentes indere modestiam liberorum suorum, magistri puerorum animis disciplinas honestas student. Leges etiam, dum eo ciues adigunt, vt sedentes plorent: ad iustitiæ cultum eos impellũt. Illos vero, qui risum excitant an dicere possis vel corporibus aliquid adferre commodi: vel animos ad rei priuatæ publicæve administrationem ma- 48
gis idoneos efficere? Heic vero Hystaspes: At tu Aglaitada, inquit, si me audias: in hostes illud tanti æstimandum fidenti animo expendes, & efficere conaberis, vt sedentes plorent: nobis autem, amicis hisce tuis, aliquid risus, vilis illius rei, largieris. Nam huius apud te magnam repositam esse copiam scio. Neque enim vel ipse risum expendisti, quum eo non vtaris, vel amicis & hospitibus, tua quidem sponte quod fiat, aliquid eius præbes. Itaque nihil prætexere potes, quo minus risum nobis impertias. Et Aglaitadas: Tune etiam Hystaspa, inquit, ex me risum elicere conaris? Ibi tum is, quem diximus, manipularius: Demens fuerit profecto, ait. Nam ex te quidem, vt arbitror, facilius quis ignem excusserit, quam risum elicuerit. Heic & alij, qui genium ipsius nossent, riserunt: & leniter subrisit etiam Aglaitadas ipse. Quem Cyrus exhilaratum videns: Iniurius es, inquit, manipularie: quod dum huic, vt rideat, persuades: hominem maxime serium nobis corrumpis, præsertim qui adeo risui sit infestus. Et hæc quidem heic finem habuerunt. Chrysantas vero deinceps huiusmodi quiddam protulit. Mihi quidem, ait, Cyre, vosque omnes, qui adestis, ad animum accidit, nobiscum nonnullos pluris, minoris alios faciundos domo profectos esse. Iam si fortuna prospera fuerit, omnes hi partes æquales

Chrysantæ admonitio de præmiis.

consequi volent. At ego nihil in rebus humanis inæqua-
lius esse duco, quam fortem & ignauum æqualibus præ-
miis ornari. Fuerit igitur, ait Cyrus, optimum profecto,
referri ad exercitum, vt consultet: vtrum videatur, si quid
de laboribus boni Deus dederit, æquales facere partes o-
mnium: an consideratis cuiusq; factis, ad rationem ho-
rum esse cuique constituenda præmia. Et quid opus est,
inquit Chrysantas, ad exercitum de hoc referre potius,
quam edicere, ita te facturum? An non & certamina tu
indixisti & constituisti præmia? Sed profecto, subiecit Cy-
rus, hæc illis non sunt similia. Nam quæcunq; hac in ex-
peditione adquirent, ea putabunt, vt arbitror, futura sibi
cõmunia: imperium vero hac in expeditione summum
fortassis etiam domestico iure mihi deberi existimant.
Quamobrem si præfectos ego constituo, nihil me præter
fas opinor, & æquum agere putant. Tu vero futurum ar-
49 bitraris, inquit Chrysantas, vt vulgus omne collectum
sciscat, non æqualia singulis tribuenda: sed præstantissi-
mos quosq; magis etiam præ ceteris quum honoribus,
tum donis augendos esse? Equidem sic arbitror, ait Cy-
rus, tum quia vos vna mecum hæc suadebitis: tum quod
turpe sit contradicere, quin is, qui & plurimum laboris
sustinet, & plurimum reipublicæ vtilitatis adfert, etiam
maxima quæque consequatur. Immo vel ignauissimis
conducere videbitur, vt arbitror, viros fortes esse con-
Cyri prudẽtia singularis. dicione potiori. Et Cyrus quidem ipsorum etiam Æqua-
lium causa decretum hoc fieri volebat. Nam & hos ma-
gis strenuos futuros arbitrabatur, si viderent, se quoque
pro factorum suorum æstimatione præmia digna conse-
quuturos. Quapropter ei maxime opportunum videba-
tur, hoc tempore de hac re decreti faciundi causa referri,
dum Æquales etiã ipsi hanc vulgi æqualitatem reformi-
dabant. Itaq; placuit pariter iis, qui tunc aderant in ta-
bernaculo Cyri, de hoc esse referẽdum, ac debere vnum-
quemq; suadendis his operam nauare, qui virum se per-
hiberi vellet. Heic e præfectis cohortium quidam subri-
dens: Equidem noui quemdam, inquit, etiam media de
plebe, qui nobiscum æqualitatem nõ ita temere seruan-
dam esse suadebit. Quemnã hunc dicis? quærebat alius.
Est mihi profecto, ait, contubernalis quidã, qui plus aliis
in omni-

In omnibus habere quærit. Tum alius: Etiamne plus laborũ? interrogat. Minime vero, ait. Nam heic quidẽ, in mendacio depræhensus sum. Semper enim æquo admodum fert animo, in laboribus, & ceteris huiusmodi, plus alium habere, qui quidem velit. Et Cyrus: Ego vero statuo, inquit, homines tales, qualem nobis hic etiam modo narrat, si quidem nauum & dicto audientem habere exercitum velimus, eximendos ac remouẽdos esse. Nam militum plerique mihi sic comparari esse videntur, vt sequantur, quacumque quis duxerit. Ducere vero, mea quidem sententia, viri fortes ac præclari conantur ad res præclaras & honestas: ad improbas, improbi. Atque adeo frequenter accidit, vt homines nihili suam in sententiam plures pertrahant, quam virtute præditi. Nam improbitas per voluptates in præsentia se offerentes procedendo, multis harum opera persuadet, vti secũ sentiant. Virtus autem in ardua directo ducens, non admodum efficax est in hominibus illico temereq; sibi adiungẽdis: maxime si sint alij, qui e diuerso ad decliuem mollemq; viam cohortentur. Idcirco * si qui ex ignauia laborumque detrectatione solum improbi sint, eos equidem arbitror quasi fucos sumtu modo socios defraudare. Qui vero & mali sunt in laboribus socij, & ad captandũ commoda sua strenui sunt atque impudentes, hi etiam ad res improbas se duces præbent: quippe qui efficere sæpenumero possint, vt improbitati præcipua commoda cedant. Quapropter omnino sunt homines eiusmodi nobis eximendi. Neque vero circumspiciendum vobis est, qua ratione de ciuibus ordines expleatis: sed quemadmodum equos optimos quæritis, nõ vestra in patria natos: sic homines ex omnibus sumite, quoscunque vobis & roboris & ornamenti plurimum adlaturos existimabitis. Mihi quidem hoc quoque testimonio est, recte nobis id cessurum: quia nequit esse currus celer, ad quem iuncti sunt equi segnes: nec exercitus iustus, in quo cum aliis iuncti sunt iniusti. Neque domus recte administratur, quæ famulis improbis vtitur. Immo etiam minus detrimenti accipit, si seruis egeat: quam si ab iniustis perturbetur. Hoc quidem certe amici, scire vos volo, remotionem militum malorum non eam modo nobis

Adludere videtur ad Hesiodeos versus.

* 56

vtilitatem adlaturam, quod mali aberunt: sed illi etiam, qui nobiscum manebunt, quotquot sane pleni iam improbitatis esse cœperunt, rursum ab ea repurgabuntur: & boni malos ignominia notatos quum viderint, multo alacrius virtutem colent. Hæc Cyri fuit oratio, quæ quum ab amicis omnibus esset comprobata, sic ab iis res instituta fuit. Atque heic rursum Cyrus iocari cœpit. Nam quum animaduertisset vnum de manipulariis ad cœnam secum quemdam ducere, iuxtaque se inter discumbendum retinere, hominem & hirsutum & deformem admodum, nominatim manipulario compellato: Num & tu, inquit, more Græcis familiari, Sambaula, hunc accumbentem tibi adolescentulum, quia formosus sit, tecum circumducis? Et Sambaulas: Ita me Iupiter amet, ait, vt huius & consuetudine & adspectu delector. Quæ vbi contubernales audissent, respexerunt: & faciem hominis nimiopere deformem intuiti, riserunt omnes. Quidam autem: Quæso, inquit, mi Sambaula, quo tandem facto vir hic tuam sibi beneuolentiam conciliauit? Et Sambaulas: Dicam profecto vobis ait. Quoties eum vel noctu, vel interdiu vocaui: numquam mihi neque occupationem suam prætexuit, neque pedetentim, sed cursim perpetuo paruit. Quo-

Cyrus iterum seriis iocos miscet.

51 ties item vt aliquid faceret, imperaui: nihil eum vidi vmquam sine sudore facere. Quin & reliquos mihi duodecim tales effecit, non verbis, sed re demonstrando, quales esse oporteat. Heic quidam subiiciens: Tu vero, quum talis sit, inquit, non eum oscularis, vt cognatos soles? Et deformis ille ad hoc: Non profecto, ait. nam minime laborum est tolerans. quippe si me vellet osculari, omnium hoc ei certaminum loco esset. Huiusmodi quædam partim ridicula, partim seria tum dicebantur in tabernaculo, tum gerebatur. Tamdē post tertiam libationē a Diis fausta feliciaq; precati, soluto contubernio cubitum iuerunt. Postridie Cyrus militibus vniuersis conuocatis, huiusmodi orationem habuit. Prope, amici, a

Cyri Oratio.

,, certamine absumus, quum hostes adueniant. Victoriæ
,, vero cōstat hæc futura præmia, si nos quidem vicerimus,
,, vt hostes nostri, & omnia hostium bona nostra sint. Sin
,, ipsi vincamur (nam & hoc indicari semper oportet) itidē

nostra

nostra superatorum bona omnia victoribus, vt præmia, proposita erunt. Sic ergo vobis est existimandum, homines belli societate iunctos, si apud se singuli statuant, res agendas minime successuras, nisi quisque suo loco sit alacer: breui & multa, & præclara gesturos, idq; propterea, quod ab his nihil eorum, quæ peragenda sunt: per secordiam negligatur. Quum autẽ quisq; cogitat, alium fore, qui rem gerat, ac pugnet, licet ipse segniter agat: tum vero scire vos volo, huiusmodi hominibus vniuersis omnia simul aduersa imminere. Atq; hoc ipsius quodam modo Dei opus est. Is enim illis, qui sibi ad elaborãdũ res bonas & egregias imperare labores nolunt, alios dat, qui imperent. Quapropter aliquis heic iam prodeat, deq; hoc ipso verba faciat: vtro modo futurum existimet, vt magis virtuti colendæ nosmet demus: an si is, qui plurimum laboris & periculorum adire velit, plurimum etiam honoris consequatur: an vero, si nihil referre sciamus, quod aliquis ignauus sit, quum omnes pariter æqualibus præmiis potituri simus. Heic vnus ex Æqualium numero Chrysantas surgens, vir neq; statura magnus, neq; specie robustus, sed excellente prudentia, in hunc modũ loquutus est. Ego vero te Cyre arbitror, ait, de hoc ad nos retulisse, non quod apud animum existimares, æqualia fortibus & ignauis deberi: sed vti periculum faceres, an quisquam sit, qui declarare velit hoc esse se animo, vt tametsi nihil ipse præclare faciat, parem tamen ex iis fructum capiat, quæ aliorum virtute parta fuerint. At ego neque pedum celeritate, neque manuum robore valeo: & futurum intelligo, vt propter illa, quæ meo corpore geram, neque primum, neque secundum, neque millesimum, vt arbitror, immo ne quidem inter alios decies mille, iudicio de me facto, locum sim habiturus. Sed nihilominus hoc quoque certo futurum scio, vt si præstantes viribus alij rem fortiter gesserint, etiam ipse boni alicuius in partem veniam, quantũ quidem iure merebor. Sin & desides nihil facient, & fortes ac robusti minus animis alacres erunt: vereor, inquit, ne potius alterius alicuius rei, quam boni cuiuspiam, futurus sim particeps, & quidem maiorem eius portionem consequuturus, quam ipse velim. Hunc in modum Chrysantas quum

Chrysantæ ORATIO. 52

ORATIO Pheraulæ.

loquutus esset, Pheraulas Persa post eum surrexit, homo plebeus, Cyro quodammodo de consuetudine domestica familiaris & acceptus, corporis habitu nō ineleganti, nec degeneris animi viro similis: atque is orationē hāc
,, habuit. Equidem Cyre, ac vos Persæ, quotquot adestis,
,, existimo nos omnes iam æquali studio virtutis ad certa-
,, men contendere. Quippe consimili nos vniuersos victu
,, curare corpora, & vniuersos pariter ad congressus fami-
,, liares admissos esse, & eadē nobis omnibus esse ꝓposita
,, virtutis & honesti decora, video. Nam iis parendum esse,
,, qui cum imperio sunt, communiter omnibus est propo-
,, situ: & quisquis hoc sine recusatione in oculis omnium
,, præstat, hunc ornari a Cyro animaduerto. Itidem
,, fortiter & animose aduersus hostem se gerere, non huic
,, conuenit, illi non conuenit: sed est iam ante iudicatum,
,, cuius hoc honestissimum esse. At nunc, ait, etiam pug-
,, na nobis indicatur. Hanc homines equidem vniuersos
,, a natura nosse video, quemadmodum & aliorum ani-
,, malium quælibet aliquam pugnam norunt, quam non
,, aliunde, atq; ab ipsa natura didicerunt. Verbi gratia bos
,, cornu ferire nouit, equus vngula, canis ore, dente aper.
,, Atque etiam omnia hæc animalia cauere sibi ab iis no-
,, runt, a quibus est cauendum maxime, tametsi nullius
,, vmquam magistri ludum frequentarint. Ego etiam sta-
,, tim a puero noram aliquid ei obiicere, a quo percussum
,, iri me putabam: ac si nihil aliud habebam, poteram,
53 impediebam: atq; hoc faciebam non modo docente ne-
,, mine, sed etiam vapulans ea parte, quam obiecissem.
,, Gladium quidem puer adhuc statim, vbi vidissem, arri-
,, piebam: edoctus a nemine, quo pacto præhendendus
,, esset extraquam a natura, vt equidem censeo. Nimirum
,, hoc quoque faciebam, quum facere vetarer, non doce-
,, rer: quemadmodum & alia quædam sunt, quæ patre ma-
,, treque vetantibus, facere tamen a natura cogebar. Ac
,, gladio profecto cædebam, quidquid clanculum pote-
,, ram. Non enim in hoc naturæ ductum modo sequebar,
,, sicut in incessu cursuque: sed præterquam quod ingeni-
,, tum erat, etiam volupe mihi factu videbatur. Quando
,, igitur hæc nobis dimicatio restat, in qua plus alacritas
,, animorum, quā ars effectura est: cur hoc aduersus istos

Æquales

Æquales certamẽ cum voluptate nõ suscipiamus, quum paria fortitudinis præmia sint vtrisque proposita, & a nobis tamen † haudquaquam paria sciamus in discrimen poni? nimirum ab iliis, vitã honoratam, quæ vna est omnium iucundissima: a nobis vero laboriosam quidem illam, sed honorum expertem, quam equidem molestissimam duco. Maxime autem, commilitones, hoc me ad suscipiendum alacriter aduersus hosce certamen excitat, quod Cyrum habituri iudicem sumus, ab omni alienum inuidia: quem ego iuratus aio, vere mihi videri, quoscumque fortiter gerere se animaduertat, nihilo minus, quam seipsum diligere. Nam equidem eum video, quidquid habet, iucundius his ipsis dare, quam sibi retinere. At enim Æquales istos, non ignoro elatis esse animis, quod instituti sint ad famem, sitim, frigus tolerandum: quum ipsis parum compertum sit nos eadem a magistro etiã potiori, quam ipsos, didicisse. Nullus enim magister in his potior est necessitate, quæ nos hæc vt accurate admodum disceremus, docuit. Hi se ad labores consuefaciebant ferundis armis, quæ omnes homines eiusmodi excogitarunt, vt gestatu quã cõmodissima sint: nos sub magnis oneribus & incedere cogebamur & currere: vt iam mihi quidem armorum gestamina similiora videantur alis, quam oneribus. Quamobrem, Cyre, me scito & in certamen hoc descensurum, & (qualis qualis tandem sum) vt ex dignitate præmiis orner, postulaturum. Vos quoq; populares, hortor ad pugnam hanc aduersus bene institutos hosce magna contentione suscipiendam. Nimirum nunc hi homines in hoc populari 54
certamine capti sunt. Hæc Pheraulæ fuit oratio. Surrexerunt autem & complures alij, qui amborum sententiam oratione sua comprobabant. Itaq; decretum fuit, ornandum quemq; ex dignitate, iudiciumq; Cyro permittendum esse. Atq; hæc sane in hũc modum cesserunt. Cyrus autem aliquando totam quoq; cohortem, vna cum eius præfecto vocauit ad cœnã, quum videret eum diuisam duas in partes cohortem vtrimq; ex aduerso ad conflictum instruere, gestantibus vtrisq; loricas & crates in manibus sinistris: in dextras vero parti dimidiæ ferulas crassas dederat, alteram glebas sublatas eiaculari

† al. haudquaquam paria periclitantibus in discrimen eatur? nimirum illis, vitam &c.

iuſſerat. Hoc modo inſtructi, quum ſtarent, prœlio ſignum dabat. Ibi pars altera glebas eiaculabatur, ac tum loricas cratesque feriebat, tum femur & tibias. Vbi vero ad manus ventum eſſet, tum illi, quibus erant ferulæ, aduerſis pleriſq; femora, manus aliis, & aliis item ſuras, ac ſi qui ad glebas ſe deorſum inclinaſſent, tam ceruices, quam dorſum cædebant. Tamdem iſti feruligeri actos in fugam aduerſarios perſequebantur, multoque cum riſu & hilaritate feriebant. Verum & alteri viciſſim ſumtis ipſi quoq; ferulis, eadem in illos, qui glebas iaculabantur, perpetrabant. Cyrus autem & præfecti cohortis illius ſollers inuentum, & obœdientiam militũ admiratus, quod ſimul & exercerentur, & ſe ipſos exhilararẽt, atq; etiam quod illi, qui arma Perſica imitati eſſent, vincerent: his ergo delectatus, ad cœnã eos inuitat. Quumque in tabernaculo quoſdam ipſorum videret, quorum alij tibia, manus alij obligata eſſet: quid ipſis accidiſſet, rogabat. Illi ſe glebis ictos aiebant. Et Cyro iterum quærente, vtrum poſtquam congreſſi fuiſſent, an quum abeſſent procul: reſpondebant feruligeri, tum id ſe perpeſſos, quum procul abeſſent. At quum ventum fuiſſet ad manus, tũ vero ludum fuiſſe pulcherrimum. Heic contra, qui conciſi ferulis erant, non ludum ſibi videri clamabant, comminus feriri: ſimulque plagas in manibus & ceruicibus atque etiam in facie nonnulli oſtendebant, quas a feruligeris accepiſſent. Ac tum quidem, vt fieri conſueuit, ſeſe mutuo ridebant. Poſtridie vero totus ille campus hominibus hos imitantibus plenus erat: atque adeo niſi quid rei magis ſeriæ tractarent, numquam non hoc ludo vtebantur. Etiam aliũ cohortis cuiuſdam præ-
55 fectum aliquando vidit, qui cohortem ſuam a fluuio ſingulis ſingulos ſubſequentibus ad prandium ducebat, & vbi tempeſtiuum ei videbatur, poſteriorem manipulum præterito tertio, & quarto, in frontem procedere iubebat. Quumque iam in fronte manipularij duces eſſent, mandabat in binos explicatum manipulum ducerent. Itaque deinde decuriones in frontẽ perueniebãt. Rurſus quum opportunum ipſi viſum eſſet, imperabat in quaternos explicatum manipulum ducerent. Atque ita quinarij procedebant, vt in quaternos explicatus manipulus

nipulus iret. Postquam vero peruentum esset ad fores tabernaculi, tum signo dato iubens, vt rursus singulatim incederent, manipulum primum introducebat, & alterum iubebat hunc pone subsequi, itidemq; tertio & quarto præcipiens, ducebat intro: & hunc in modum introductos in cœna discumbere volebat, sicuti videlicet ingressi essent. Hūc ergo Cyrus admiratus ob mansuedutinem, & institutionem hanc, & diligentiam: vna cum præfecto cohortem ad cœnam inuitat. Ibi quum & alius quidam cohortis præfectus, ad cœnam vocatus adesset: Meam vero, inquit, cohortem ad tuum hoc tabernaculum Cyre, non inuitas? Illa tamen quoties ad cœnam venit, hæc omnia facit: & vbi contubernij finis est, extremus vltimi manipuli ductor suū manipulum educit, qui quidem postremos habet primo ad pugnam loco dispositos: deinde post hos, qui alterū manipulum cogit: similiq; ratione tertius & quartus: nimirū vt quum ab hostibus reducendi sunt, quo pacto sit abeundum norint. Postquam vero iam constitimus in curriculo, vbi deambulamus: si quidem versus ortū progredimur, ego præire soleo, & primus manipulus locum primum habet, alter itidem suum & tertius, & quartus, ac manipulorum etiam tum decuriæ tū quiniones, donec signum a me detur. Quum vero versus occidentem recedimus, tum qui vltimum agmen cogit, & cum eo postremi primo loco duces in abitu sunt: ac nihilominus mihi, qui sum vltimus parent: vt & sequi, & præcedere pari cum obœdiētia consuescant. Et Cyrus: Hoccine semper, ait, facitis? Profecto, respondit ille, quoties cœnam instruimus. Vos igitur, inquit, ad cœnam inuito, partim quod & in accedendo & in abeundo studiose seruatis ordines, partim quod illud & interdiu & noctu facitis, partim quod & corpora deambulando exercetis, & animos docendo meliores redditis. Et vero quum omnia duplicia faciatis, æquum est vobis etiam duplex epulum præberi. Minime profecto, ait cohortis illius prefectus, vno quidē die: nisi nobis duplices etiā ventres dabis. Ac tum quidē hoc pacto finis cōtubernio huic impositus fuit. Cyrus vero illū ordinem quemadmodū dixerat, & postridie, & sequenti etiā hunc die vocauit. Quæ quū & ceteri animad-

56 *Insignis Cyri solertia in excitandis militū animis.*

uerterent, vniuersi deinceps hos imitabātur. Quum autem Cyrus aliquādo militem vniuersum in armis lustraret & instrueret, venit ab Cyaxare nuntius, qui diceret, ab Indis legatos adesse: iubere Cyaxarem, quamprimum ad se veniret. Quin & vestem inquit ille nuntius, pulcherrimam ab Cyaxare tibi fero. Cupit enim te quam ornatissime, splēdidissimeq; venire: quippe quem accedentem, Indi sint spectaturi. Quæ quum Cyrus audisset, imperat præfecto cohortis loco primo in acie constituto, vt in fronte consisteret, cohorte singulatim ducta, latus ipse dextrum tenens: & iussit hunc idem secundo imperare, vt ita imperatum per vniuersos traderetur. Illi dicto audientes, & imperant hæc celeriter, & celeriter imperata faciunt: breuiq; tempore frons ad † ducentos, (tot enim præfecti cohortium erant) densitas agminis ad centum habuit. Quumque iam hoc ordine constitissent, sequi eos ita iussit, vt ipse præcederet: & mox citato gradu præcedebat. Quia vero viam, quæ tendebat ad regiam, artiorem animaduertit esse, quam vt omnes in fronte progredi possent: iussit primos in ordine millenos milites ita se sequi, vt collocati fuerant: & millenos alteros a tergo sequi hos primos, idemq; per totum agmen ita seruari præcepit. Igitur præibat ipse sine remissione, militesque milleni semper totidem præcedentibus a tergo succedebant. Ministros etiam duos ad ipsius aditum viæ misit, qui significarent ignorantibus, quid facto esset opus. Quum autem Cyaxaris ad portam peruentum esset, præfecto primæ cohortis imperat, sic cohortem instrueret, vt eius densitas duodenos contineret: præfectos autem duodenum militum propter regiam in fronte constitueret. Eadem secundo iubet imperari, & sic deinceps omnibus. Atq; hæc illi faciebant. Cyrus autē ipse quum ad Cyaxarem veste indutus Persica, minime ornatu alieno contaminata, ingressus esset: Cyaxares eo conspecto, celeritate quidem delectabatur, at vilitate vestis offensus: Quid hoc, inquit, est Cyre? cuiusmodi rem facis, qui
57 habitu tali in conspectum Indorum venis? Ego vero te quam splendidissimum cōspici volebam. Nam hoc ipsum ornamento mihi fuisset, si tu, meæ sororis filius, multo magnificentissimus visus esses. Et Cyrus ad hæc: Vtro te modo,

Cyrus ob Indorum legatos accessitus.

† rectius, trecentos,

modo, inquit, magis ornassem, mi Cyaxares, si purpura indutus, adhibitis armillis, torquatus etiam, tibi mandanti lente paruissem: an nunc potius, quum tali tantoque stipatus exercitu, tam velociter, honoris tui causa, tibi pareo; & sudore celeritateq; quum ipse ornatus adsum, tum te orno, & cæteros etiam tibi tantopere obsequentes exhibeo? Hęc Cyrus vbi dixisset, visus est Cyaxari recte loquutus. itaque iussit, vt Indi adducerentur. Illi vero ingressi, se missos ab rege Indorum aiebant, ac iussos interrogare, qua de re bellum inter Medos & Assyrium susceptum esset. Ac te quidem postquam audissemus, vt ad Assyrium quoq; profecti, de his ipsis etiã ex illo quæreremus, iussit. Tamdem vtrique vestrum indicaremus, regem Indorũ dicere, se iuris & æqui ratione habita, staturum ab illo, cui fieret iniuria. Ad hæc Cyaxares: Me igitur auditis, inquit, nulla nos Assyrium iniuria adficere. Quid ipse dicat, profecti ad eum, exquirite. Cyrus autem, qui aderat, Cyaxarem interrogans: Num & ipse dicam, ait, quod sentio? Quumq; is iussisset: Indorum, inquit, regi hæc nuntiate, nisi quid aliud Cyaxari videtur: dicere nos, si quam a nobis sibi factam iniuriã dicat Assyrius, ipsum nos Indorum regem arbitrum accipere. His illi auditis abierunt. Quum autem egressi essent, Cyrus ad Cyaxarem hoc vti sermone cœpit. Equidẽ ad te, Cyaxares, ita veni; vt multas mecum pecunias meas domo non adferrem: quas autem habebam, de iis perpusillum aliquid mihi reliquum est, quod eas in militem expenderim. Ac tu fortasse miraris, quo pacto expẽderim, quũ tu militem alas. Verum scire te volo, non aliter expẽsas, quam tribuendis præmiis, & largiendo, quoties aliquem militum suspicerem. Nam hæc mea sententia est, quoscunq; sibi quis ex animo adiungere quocumq; in negotio conficiundo velit, eos suauius esse, bene tum dicendo tum faciundo potius excitari: quam offendendo, & cogendo. Ad res quidem bellicas si quispiam conciliare sibi socios alacres studeat, eos omnino & dictis bonis & factis captandos arbitror. Amicos enim, nõ hostes oportet esse, qui nobiscũ sine recusatione sint pugnaturi, nec in secundis imperatoris rebus inuidi, nec in aduersis futuri sint † formidolosi. Hæc igitur ego quum animad-

Indorum Regis legati audiuntur.

Cyri cum Cyaxare de conficiunda pecunia colloquium.

58

† al. desertores futuri sint.

uertam, pecuniis mihi pluribus opus esse puto. Vt autem in omnibus vnum ad te respiciam, quem sumtus graues facere satis intelligo, mihi quidem absurdum videtur. Itaque communi consilio prouidendū vtrique arbitror, ne pecunia te deficiat. Nam si eius tibi sit copia, scio mihi quoque facultatem accipiendi non defuturam, quum opus erit: præsertim si eam in eiusmodi quemdam vsum accepero, in quem expensa tibi quoque maius commodum adferat. Nuper igitur audire de te memini, Armenium te modo contemnere, qui hostes aduersum nos aduentare audiat: ac neq; copias mittere, neque tributum debitum adferre. Nimirū, inquit, facit hæc ille, mi Cyre: vt equidem dubius sim animi, an expediat hominē bello adgredi, & ad cogendum vim adhibere: an magis profuerit, in hoc quidem tempore missum eum facere, ne hunc etiam ceteris hostibus nostris adiungamus. Tum Cyrus iterū interrogabat: Num vero domicilia munitis in locis habent, an iis, quæ adiri facile possint? Habent domicilia respondit Cyaxares, non admodum munitis in locis. Nam illam ego rem non neglexi. Sunt tamen mōtes, in quos si se recipiat, sic esse tutus possit, vt nec se ipsum statim hosti dedere, nec quæcūq; in illos subuexerit, necesse habeat: nisi quis eum diutius ibidem hærendo obsideat, quemadmodū pater meus olim fecit. Tum Cyrus: Si mittere me voles, inquit, tanta equitum manu mihi adiuncta, quanta tibi suffectura videbitur: arbitror me Diis bene iuuantibus, effecturū, vt & copias mittat, & tributū tibi pendat. Immo præter hæc spero confore, vt multo nobis, quam nunc est, sit amicior. Et Cyaxares: ego quoque spero, inquit, ad te lubentius illos accessuros, quam ad nos. Nam quosdam ex ipsius liberis tecum olim venari solitos audio, qui fortassis ad te rursus accesserint. Eorum vero si quos in potestatem redegeris, omnia confici ex animi nostri sententia poterunt. Ergone tibi conducere videtur, inquit Cyrus, vt hæc nostra consilia cælentur? Nimirum hoc pacto, ait Cyaxares, & facilius ipsorum aliquis in potestatem nostram venerit: & si quis eos inuadat, minus paratos deprehenderit. Audi igitur, inquit Cyrus, an aliquid dicere tibi videbor.
59 Frequēter ego cum omnibus, qui mecū sunt, Persis tā ad

Consultatio Cyri, & Cyaxaris de Armenio in ordinē redigendo.

tuæ,

tuæ, quam Armeniorum regionis fines venatus ſum, at-
que etiam aliquando quibuſdam equitibus hinc e nu-
mero ſociorum noſtrorum mecum ſumtis, illuc ac-
ceſſi. Ergo minime ſuſpectus fueris, ait Cyaxares, ſi his
conſimilia nunc facias. Sin multo maiores copiæ conſpi-
ciantur, quam quibus vti ad venandũ conſueuiſti: tum
vero res in ſuſpicionẽ veniet. Sed enim licet, inquit Cy-
rus, cauſam quandam non ineptam ad perſuadendum &
heic prætexere, & iſtic, ſi quis indiciũ faciat, velle me ma-
gnam venationem inſtituere, & ſi palam equites ego abs
te petam. Perbelle narras, inquit Cyaxares: atq; ego tibi
non volam præter modicos quoſdam concedere, quaſi
qui ad caſtella regioni Aſſyriorum finitima ſim profectu-
rus. Nam reuera decreui ad ea proficiſci, vt quam muni-
tiſſima reddam. Tu vero tuis cum copiis vbi progreſſus
fueris, ac iam biduũ venando conſumſeris: mittam ego
tibi & equitum & peditum apud me collectorum, quan-
tum ſatis fuerit: quibus tecũ ſumtis, ſtatim pergas. Ego
vero reliquis cum copiis, ne procul a vobis abſim, enitar:
vt conſpicienduum, vbi opportunũ fuerit me præbeam.
Hoc igitur modo Cyaxares ſtatim & equites & pedites
ad caſtella cogebat, atq; etiam currus cum commeatu ea
via, quæ ad caſtella duceret, præmittebat. Cyrus autem,
profectionis cauſa, rem diuinam faciebat, ac ſimul ad
Cyaxarem mittens, equites iuniores [ab eo] petebat.
Ille vero, licet admodum multi ſequi vellent, paucos ſo-
lum cõceſſit. Et Cyaxare iam cum copiis equitum pedi-
tumque via, quæ ad caſtella ducebat, progreſſo: Cyro ſa-
cra de ſuſcipienda in Armeniũ expeditione auſpicata fue-
runt. Itaq; ſuos educit, quaſi ad venandum ſe paraſſet. *Cyrus per ſimulationem venationis Armeniũ inuadit.*
Quumq; iã iter faceret, mox primo in agro lepus ſurgit,
& aduolãs aquila dextra, quum leporẽ fugiẽtem deſpex-
iſſet, & irruit, & percuſſit eũ raptumq; ſuſtulit, ac proxi-
mum in colle quum deportaſſet, pro libidine præda eſt
vſa. Cyrus autẽ hoc augurio delectatus, adoratoq; Ioue
rege, ad eos qui aderãt, dixit: Venatio nobis hæc, amici,
volente Deo, proſpera futura eſt. Quũ autẽ ad fines per-
uentũ eſſet, ſtatim more ſuo venabatur. Ac peditum qui-
dẽ equitumq; vulgus † in hoc proruebat, vt feras aduẽtu *al. procedebat ante ipſum.*
ſuo excitaret: præſtantiſſimi vero quique tam peditum,

60 quam equitum hinc inde conſtiterunt: excitataſq; feras & exceperunt, & inſecuti ſunt. Itaque multos & apros, & ceruos, & capreas, & aſinos ſilueſtres ceperunt. Sunt enim hac etiam tempeſtate illis in locis aſini ſilueſtres permulti. Deinde intermiſſa venatione, propius ad Armeniorum fines delatus, cœnam inſtrui iuſſit: ac poſtridie rurſum venari cœpit, eos ad montes progreſſus, quos adpetebat. Heic rurſum facto venandi fine, cœnauit. Quum autem perſentiſceret, exercitum Cyaxaris aduentare: clam miſſis ad eos ſuis, vt ab ſe ad duarum fere paraſangarum interuallum cœnarent, edixit. Prouidebat enim futurum, vt hoc ipſum ad fallendum aliquid conduceret. Poſtquam vero cœnaſſent, vt ipſorũ præfectus ad ſe veniret, iuſſit. A cœna præfecti cohortium aduocati quum aduenißent, in hunc modum loquutus eſt: Antehac, amici, Armenius Cyaxari & ſocietate iunctus fuit, & imperio ſubiectus. Nunc poſtquam hoſtes inaudiit aduentare, ſpreto Cyaxare, neq; copias nobis mittit, neque tributũ perſoluit. Itaq; iam nobis hic venandus eſt,

Singularis in fallendo industria.

Cyri ORATIO *de ratione rei gerẽdæ.*

,, ſi quidem poterimus: ac mihi ſane res in hunc modum
,, gerenda videtur. Tu Chryſanta, poſtquam ſomnũ mo-
,, dicum ceperis, dimidiam Perſarum, qui nobiſcum ſunt
,, partem ſumito: viam montanam ingreditor: montes oc-
cupato, ad quos eum confugere aiunt, quum † aliquem
metuit. Duces ipſe tibi dabo. Atque hos ſane montes
,, etiam ſaltuoſos & ſpiſſos eſſe perhibent, vt ſpes ſit mi-
,, nime vos conſpectum iri. Si tamen ante exercitum ex-
,, peditos homines, qui & numero & veſtimentis ſint la-
,, tronibus ſimiles, præmiſeris: nimirum hi Armeniis oc-
,, currentes, partim compræhenſos impedire poterunt, ne
,, quod indicium faciant: partim quos compræhendere
,, nequiuerint, abſterritos procul arcendo, ne totum ex-
,, ercitũ videant, obſtabunt: ideoque de vobis haud aliter,
,, atque latrunculis conſilium capient. Ac tu quidem ita
,, facito. Ego vero cũ prima luce peditum altera cum parte
,, dimidia, & vniuerſis cum equitibus, itinere campeſtri
,, ad regiam recta proficiſcar. Tum ſi quidem ſe nobis op-
,, poſuerit, planum eſt, neceſſario pugnam conſerendam
,, eſſe: ſin campo cedat, curſu nobis perſequendũ eſſe pa-
,, tet: ad montes ſi denique fugiat, heic ſcilicet, inquit, tui
muneris

†. al. aliquid

muneris fuerit, neminem eorum, ad te qui peruenient, ««
dimittere. Perinde scilicet existimabis, atque in venatione ««
nos quidem eos fore, qui indagabunt: te autem illum, ««
qui sit ad plagas. Quamobrem memineris, obstruenda ««
prius esse itinera, quam † fera se loco moueat. Quin & 61
occulti sint necesse est, quicumque ad ea collocati fue- *Lectio*
rint, si quidem ad se procurrentes feras nolint auertere. *marginis.*
Tu tamē mi Chrysanta, inquit, ita iam ne feceris, quem- ««
admodum nonnunquam venandi studio facere con- ««
sueuisti. Nam in somnis totam sæpe noctem in hoc ne- ««
gotio exigis. At nunc militi modice capiundi somni fa- ««
cultas est concedenda, † ne somni sint expertes. Neque † *lectio i-*
vero, quia tu montes pererras, etiamsi neminem homi- *sta margi-*
num ducē itineris habeas, cursu sequi solitus quacumq; *nis al. ne*
feræ præcesserint, idirco nunc etiam per loca penetratu *cū somno*
difficilia sic iter feceris: sed impera ducibus, vt nisi aliqua *pugnan-*
longe breuissima via fuerit, perfacillima ducant. Nam *dū eis sit.*
exercitui via facillima celerrima est. Neve item, quia tu ««
montes cursu peruagari es adsuefactus, iam quoq; curri- ««
culo præiueris: sed festinatione mediocri præcedito, quo ««
sequi te possit exercitus. Etiam bonū fuerit, quosdam ««
ex robustissimis, & inprimis alacribus interdum cohor- ««
tandi causa subsistere: quumq; cornu processerit, inci- ««
tandis ad festinandum aliis multum momenti adferet, ««
si gradatim incedentibus his, omnes illi currere videan- ««
tur. Hæc quum Chrysantas audisset, ad elationem in- ««
censo Cyri mandatis animo duces itineris accipit atque
abiens, quum iis, qui profecturi cum ipso erant, faciun-
da imperasset, quieti se dedit. Quumque tantum somni
cepissent, quantum ad mediocritatem satis esse videba-
tur, ad montes perrexit. Cyrus autem, quum illuxisset,
nuntium ad Armenium præmisit, cui prius indicarat, vt
in hunc modum hominem adloqueretur. Cyrus, Arme-
nie, sic agas imperat, vt * quam primum ad ipsum cum * *al. Vt*
tributo exercituq; venias. Quod si te interroget, vbi *quamprī-*
sim: vera dicito, esse me nimirum in finibus. Sin roget, *mū & tri-*
an & ipse veniam: heic quoque vera loquitor, te nescire. *butum &*
Sin quam multi numero simus, quæret: iube tecum ali- *exercitum*
quem mittat, ac rem cognoscat. Itaque nuntium Cyrus *adferas.*
cum his mandatis misit, quod existimaret hoc modo

se humanius facturum, quam si nihil prædicens pergeret. Ipse vero quamoptime quum ad perficiendum iter, tum etiam ad pugnandum, si foret opus, instructis suis progrediebatur: edicens militi, ne iniuria quęquam adficerent: ac si quis obuium aliquem Armenium haberet, eum vt bono esse animo iuberet: atq; vt ad ea loca, quibus ipsi essent, res venales, qui vellent, aduehetent: siue quis esculenta, siue potulenta, vendere cuperet.

62 XENOPHONTIS HISTORIARVM DE INSTITVTIONE CYRI, LIB. III.

ARGVMENTVM.

1. Armenius ea facit, quæ Cyrus animo præceperat. 2. Captis suis, in quendam collem fuga se recipit, vnde necessitate compulsus, ad Cyri tribunal, causam acturus descēdit. Huic autem iudicio Tigranes Armenij natu maximus filius, Cyri iussu præsens interest. 3. Cyrus Armenium more Socratico paulatim eo deducit, vt se ipsum damnet. Patris tamen causam filius Tigranes agit. 4. Eos, qui grauiter peccarunt, aliquibus pœnis affici conducit, vt ad mentis sanitatem redeant, ac in officio posthac maneant. 5. Metus maximum hominibus supplicium. 6. Cyrus apud Armeniū efficit, quæ Cyaxari pollicitus fuerat. 7. Captiuos Armenios sine pretio liberos dimittit. 8. Cyri encomium. 9. Præclarum pudicæ mulieris, & virum amantis, exemplum. 10. Cyri de Chaldæorum montibus occupandis consilium. 11. Chaldæorum natio bellicosa. Nationis eiusdem armatura, rei militaris peritia, facultates, solum, quod incolit, vitæq; genus, quod exercet. 12. Cyrus Chaldæos de montium iugis deturbat. Victos, humaniter tractat, totamq; gentem sua benignitate sibi conciliat. 13. Armenius Cyro propter insperatam salutem ac libertatē, sibi, suisq; datam, gratias agit. 14. Cyrus quibus conditionibus pacem inter Armenios, & Chaldæos fecerit. 15. De legatis ad Indorum Regem mittēdis consiliū capit. Causa, tem-

pus, modus. 16. Cyrus laudis, gloriæq; cupidus. 17. Ab Armenijs, vbi, quando, quomodo, cur exceptus fuerit. 18. Quã liberalis erga suos milites. 19. De copijs in hostem ducendis cogitat. Quare Cyaxari suum hac de re consilium aperit, eiq; suadet vt hostem inuadat. 20. Cyrus Assyriam cum suis copijs inuadit. 21. Assyrij fossa copias suas circumdare soliti. 22. Cyri sollertia in locandis castris. 23. Eiusdem insignis prudentia. Et ad homotimos adhortatio. 24. Regis Assyrij ad suos exhortatio. 25. Militarium adhortationum vsus, & vis. 26. Cyrus Cyaxarem monet ne prælium cum hostibus committere nimis properet. 27. Militum Cyri laus. 28. Eorumdem in conflictu vehemens ardor. 29. Præclara Cyri victoria. 30. Cyrus cur suos a castrorum oppugnatione reuocarit.



T Cyrus quidem hæc agebat. Quum autẽ Armenius de nuntij sermone mandata Cyri accepisset, perterritus est: quod cum animo suo cogitaret, iniuste se facere, qui neque tributum penderet, neque exercitũ mitteret. Maxime vero metum augebat, quod futurum erat, vt manifestum fieret, fecisse initiũ struendæ regiæ, quo ad propulsandos hostes illa sufficeret. Atq; omnes has ob caussas trepidans, simul hinc inde dimissis nonnullis, copias suas cogebat, & in montes minorẽ natu filium Sabarim, & suam atq; filij vxorem, & filias, & cum his mundum adparatumq; maximi pretij mittebat, additis etiam, qui ipsos deducerent. Præterea mittebat, qui specularentur, quidnam rerum Cyrus ageret, & Armenios, qui aderant, instruebat: quum mox adessent alij, qui Cyrum ipsummet aduentare vna dicerẽt. Tum vero conserere manum non amplius ausus, se subducebat. Id quum hominem Armenij facere viderent, quisque suas ad ædes diffugiunt, vt qui res suas submouere longius vellent. Et Cyrus campum videns palantibus & abigentibus plenum, submittit qui dicerent: nemini se hostem futurum, qui remaneret: sin fugientẽ aliquem caperet, eum se pro hoste habiturum prædixit. Itaque complures remanebant, quum nonnulli essent, qui cum rege se subducerẽt. At vero qui cum mulieribus antecess-

Armenius ad ea se cõsilia cõfert, quæ Cyrus animo præceperat.

ſerant, in eos quum incidiſſent, qui erant in monte: ſtatim ſublato clamore, arreptaq; fuga, complures capiuntur. Tamdē & filius, & vxores, & filiæ captæ ſunt iis cum opibus, quaſcumq; ſecum vehebant. Rex vbi quæ acciderent, perſentiſceret; quo ſe verteret ambigens, in collem quemdam fuga ſe recipit. Quæ Cyrus item videns cum iis, quas ſecum habebat, copiis collem circumdat; & mittit ad Chryſantam, iubens, vt montis cuſtodia relicta veniret. Atq; interea dum copias Cyrus cogeret, miſſo ad Armenium caduceatore, ſic eum interrogabat. Dic mihi, ait, Armenie, vtrum iſtic manens cum fame ac ſiti pugnare mauis, an in campum apertum deſcendere, ac nobiſcum prœlio decernere? Cum neutris pugnare ſe velle, reſpondit Armenius. Cyrus iterum miſit qui quærerent. Cur igitur iſtic deſides, ac nō deſcendis? Quia quid agendum ſit, inquit, ambigo. Sed enim, ait Cyrus, minime debes ambigere. Nam licet ad agendā cauſſam tibi deſcendere. Et quis, inquit, iudex erit? Nimirum is, cui Deus poteſtatem fecit ex arbitrio ſuo tecum agendi, etiam indicta cauſſa. Heic Armenius neceſſitate cōſiderata, deſcendit. Cyrus & ipſo, & cæteris omnibus in mediū receptis, eos caſtris circumdedit: quum copias iam ſecum omnes haberet. Hoc ipſo tempore Tigranes, natu maximus Armenij filius, peregre adueniebat; quem Cyrus aliquando venationis ſocium habuerat. Is quum ea, quæ acciderant, audiſſet: ſtatim ad Cyrum ita contendit, vti tum comparatus erat. Vbi vero patrem, matrem, fratres, vxoremq; ſuam, captiuos omnes vidit: vt par erat, illacrumauit. Et Cyrus hominē intuitus, comitate in ipſum alia nulla eſt vſus, quam quod diceret: Opportune ades, corā futurus auditor in iudicio patris. Statimq; duces Perſarum & Medorum conuocat, accitis etiam Armeniis, ſi qui dignitate præſtantes aderant. Quin & fœminas, quæ in carpentis aderant, non repulit: ſed audiendi facultatē eis conceſſit. Quumq; opportunum viſum eſſet, dicendi principium fecit. Primum, ait, Armenie, conſulo tibi, vt in hac cauſſæ cognitione vera dicas, quo vnum illud ſaltim abſit a te, quod odium maximum meretur. Nam certo ſcire te volo, eſſe hominibus impedimento ad conſequendā veniam maximo, ſi in mendacio deprehendantur.

Armenius ſuis captis, in quemdam ſe colle recipit.

63

Tigranes Armenij filius.

Armenius iudicio ſiſtitur.

tur. Præterea liberi tui, & hæ mulieres, & Armenij, qui adſunt, omniū abs te actorum tibi ſunt conſcij: qui ſi te ſenſerint alia dicere, quā facta ſint, arbitrabuntur te tuamet ipſius ſententia ſuppliciis extremis addici, ſi veritatē ego reſciuero. Tu vero Cyre, quodcunq; voles, inquit, interrogato vera dicturum: quiduis tamdē ea de cauſſa mihi euenerit. Dic igitur, inquit, mihi: bellumne geſſiſti aliquando cum matris meæ parente Aſtyage, Mediſque ceteris? Geſſi vero, inquit. Victus autē ab ipſo, nonne cōdiciones has accepiſti, tributū te adlaturum, & vna cum ipſo militaturū, vbicumq; denūtiaſſet, & munitiones habiturum nullas? Ita eſt. Iam ergo quamobrem neq; tributum attuliſti, neq; miſiſti exercitū, & munitiones cœpiſti exſtruere? Libertatis, inquit, cupiditate tenebar. Nā præclarum mihi viſum eſt, & me liberum eſſe, & libertatem liberis meis relinquere. Certe præclarum eſt, inquit Cyrus, ita pugnare, ne quis vmquam ſeruus fiat. At ſi quis vel bello victus, vel quodam alio modo redactus in ſeruitutem, id moliri deprehendatur, vt dominorum ſe poteſtate eximat: huic primus ipſe mihi dicito, vtrū ceu viro bono, & recte ſe gerenti honorē habeas: an eo potitus, vt iniuſte agentem plectas? Plecto, inquit, non enim cōcedis mihi, vt mentiar. Reſponde mihi liquido, ait Cyrus, & ſingulatim in hunc modum: Si quis cum imperio ſit, ac delinquat, vtrum eſſe illum cum poteſtate pateris, an eius loco conſtituis alium? Alium, ait, conſtituo. Quid vero, ſi magnas opes habeat, diuitem ne permittis eſſe, an ad paupertatem redigis? Eripio, inquit, homini, quæ poſſidet. Si ad hoſtes etiam ipſum deficere animaduertas, quid facis? Occido, inquit. Cur enim potius mendacij conuictus moriar, quam veritatem faſſus? Heic Armenij filius, auditis hiſce, auulſa tiara, veſtes etiam diſcerpſit. Fœminæ vero ſublato eiulatu ora ſua dilaniabāt, quaſi & pater iam periſſet, & actum de omnibus ipſis eſſet. Quibus Cyrus indicto ſilentio, rurſus inquit: Eſto ſane, hæc iura tua ſint Armenie. Nobis autem quid ſecundum hæc faciundum conſulis? Tacebat Armenius, dubius ſecum, an ſui necandi conſilium Cyro daret, an iis contraria doceret, quæ ſe facturum fuiſſe dixerat. At filius eius Tigranes Cyrum interrogans: Quando pater ambigere vide-

64

Cyrus Armenium Socratice deducit eo vt ſeipſum damnet.

Tigranes patris cauſſam agit.

tur, inquit dic mihi Cyre, an consilium de ipso dare de-
beam, tibi quod ex vsu maxime futurum arbitrer? Cyrus
qui animaduerterat, id temporis, quo venari cum ipso
Tigranes solebat, quemdam hominem ei doctum fami-
liarē, & admirationi magnæ fuisse, quid tamdē dicturus
esset, audire percupiebat. Itaq; iubebat alacriter, quod
sentiret, proferret. Ego igitur, inquit Tigranes, si tu quæ-
cumque pater vel deliberādo instituit, vel patrauit, pro-
bas: sic auctor tibi sum, vt qui maxime, quo ipsum imi-
65 teris. Sin eum deliquisse omnino statuis, hoc tibi consi-
lij do, ne eum imiteris. Ergo minime delinquentē imi-
tabor, ait Cyrus, si quod iustum est, egero. Ita est, inquit
ille. Erit igitur animaduertendū, de tua quidem ratione,
in patrem tuum: si quidem iustum est, in hominē iniuste
agentem animaduertere. Vtrum igitur, mi Cyre, melius
esse ducis, tuo cum commodo pœnas te sumere, an tuo
cum detrimento? Nimirum hoc pacto, subiecit ille, sup-
plicio me ipsum adfecero. At tu plurimū ipse tibi damni
adtuleris, ait Tigranes, si tū occidas tuos, quū tibi quan-
tiuis pretij fuerint, si tua sint in potestate. Verū qui pos-
sint esse homines, inquit Cyrus, id tēporis maximi pretij,
quo deprehensi fuerint in facinoribus improbis? Si tum,
vt equidem arbitror, frugi fiant. Nam mihi, Cyre, sic esse
res comparata videtur, sine sanitate mentis ne quidem
virtutis cuiusuis alterius vsum vllum esse. quis enim fue-
rit vsus hominis robusti, vel fortis, vel equestris rei peri-
ti, si sanus mente non sit? quis diuitis? quis hominis in
ciuitate potentis? At si mente sit sanus, & amicus omnis

Vtile, bonam ad mentē redire, qui deliquerit.

vtilis est, & omnis seruus bonus. Hoc igitur, inquit, dicis:
etiam patrem tuum hoc ipso die de insano frugi hominē
factum esse. Omnino, ait. Ergo tu sanitatē hanc esse dicis
adfectionem animi, sicut est ægritudo, non quiddā dis-
ciplina parabile. Verum si prudentē esse necesse est eum,
qui mente sanus sit homo futurus: nequaquam subito
quis ex insano frugi euaserit. Quid autē, mi Cyre, inquit,
numquā adhuc animaduertisti hominē etiam vnum ex
insania mētis conātem pugnare cū alio se potiori quum
victus esset, mox dementiæ aduersus hunc suæ finem fe-
cisse? Non item, ait, ciuitatem vnam aduersus aliam se
opponentem vidisti, quæ victa confestim alteri parere,
quam

quã repugnare mallet? Quã vero, subiecit Cyrus, etiam
tu patris victi cladem narras, qua mentis eum ad sanita-
tem reuocari adfirmes? Quod sibi profecto conscius est,
se libertatem adpetendo, ad eam seruitutem redactum,
in qua numquam antehac fuerit: atq; etiam nihil eo-
rum perficere potuisse, quæ habenda clam, vel furtim
agenda, vel conficiunda per vim existimarat. Te vero
scit in iis, in quibus ipsum fallere volueris, sic fefellisse: ac
si quis cæcos, aut surdos, & nullius etiam mentis homi-
nes fallat. Quæ autem occultanda putaris, ea sic te clam
habuisse scit: vt quæ loca sibi parata esse tutissima existi-
mabat, hæc ei tu septa prius effeceris, quam ipse persen- 66
tisceret. Celeritate vero tantum eum superasti, vt e lo-
cis procul dissitis magno cum exercitu profectus ipsum
anteuerteris prius, quam copias sibi proximas cogeret.
At vero tibine videtur, inquit Cyrus, hominis ita victi
clades sufficere ad efficiendum, vt frugi sit, atque alios
se potiores adgnoscat? Multo sane magis, ait Tigranes,
quam quũ in pugna quis inferior discedit. Quippe non
nemo robore inferior, rursus exercito corpore, se pug-
nam instauraturũ putat: & captæ ciuitates, adscitis bel-
li sociis, denuo posse pugnari existimant. Verum quos
aliqui seipsis præstantiores arbitrantur, iis nonumquam
nulla etiam adacti necessitate parere volunt. Videris tu,
subiecit Cyrus, non existimare, hominibus petulãtibus
alios se continentiores esse notos: nec furibus illos, qui
non furantur: nec mendacibus eos, qui vera dicunt: nec
iniuriarum auctoribus eos, qui iuste agunt. An ignoras,
inquit, nunc etiam patrem tuum nos fefellisse, neque
pactis inter nos conuentis stetisse, quamuis sciret nos
nihil eorum, quæ Astyages pepigit, violasse? Equidem
nec ipse dico, solum hoc homines frugi reddere, quod
se meliores norint: si non hoc etiam accedat, vt se poti-
oribus pœnas dent, quemadmodum patri meo nunc
vsuuenit. At enim, ait Cyrus tuus pater nihil adhuc ma-
li perpessus est omnino: metuit quidẽ, sat scio, ne grauis-
sima queq; patiatur. Ergo tu quidquã existimas, inquit
Tigranes, vehemente metu magis homines seruilem in
modum demissos reddere? Num ignoras eos, qui ferro
cæduntur, quod animaduersionis genus grauissimum

existimatur, tamen aduersus eosdem pugnare velle? At
quos admodum metuunt homines, eos ne quidem beni-
gne adloquentes audent intueri? Hoccine dicis, inquit,
metum hominibus maiori esse supplicio, quam si reabse
adfligantur? Tu quoque verum me dicere, ait, nosti. Scis
enim eos, qui metuunt, ne in exsilium e patria pellantur,
& qui pugnaturi metuunt, ne succumbant, in mœrore
degere. Itidem qui inter nauigandum metuunt, ne nau-
frugium faciant, & qui seruitutem ac vincula timent, ne
cibo quidem ac somno præ metu frui possunt. At qui
iam sunt exules, quique iam victi sunt, ac seruitutem
qui seruiunt, nonnumquam possunt etiam magis, quam
fortunati homines, cibo, potu, somno vti. Præterea ma-
nifestius est etiam in his, quale onus sit metus. Quippe
67 nonnulli dum metuunt, ne capti morte multentur: præ
metu mortem prius oppetunt, vel in præcipitium acti,
,, vel strangulati, vel sibi ipsis manus adferentes. Vsquead-
,, eo metus inter omnes res terribiles maximo impetu ani-
,, mos percellit. Ac patri quidem meo, ait, quid esse nunc
animi putas, qui non solum sua, sed etiam mea, & vxoris,
& omnium liberûm caussa seruitutem metuit? Et Cyrus:
Credo equidem, inquit, haud difficulter, sic modo hunc
,, affectum animo esse. Verum arbitror eiusdem hominis
,, esse, prosperis rebus insolenter agere, aduersis subito cō-
,, sternari, & libertatem nanctum rursus efferri animo, de-
,, que integro negotium facessere. Est ita profecto, inquit,
Cyre: delicta nostra suggerunt illa quidem caussas, ne fi-
des nobis habeatur. Sed enim tua est in potestate, præsi-
dia castellis imponere, locaq; munita tenere, atque aliud
quodcunq; voles fidei pignus capere. Nos quidem ij er-
ga te erimus, qui rebus his magnopere non offendantur.
Nam recordaturi sumus, horum nos auctores existere.
Quod si ex iis alicui tradito imperio, qui nihil in te deli-
querint, fidem ipse non habere videberis, caue, ne simul
& beneficium præstes, & amicus illis haud esse puteris.
Rursus, si dum cauebis, ne odio graueris, iuga ipsis nō im-
posueris, quo minus insolenter se gerant: vide, ne illi ma-
gis etiā, quam nos modo, tibi sint ad mentem sanam re-
uocandi. At ego me profecto, inquit Cyrus, eiusmodi mi-
nistris, quos sciā adductos necessitate suas præstare mihi
operas,

Metus omniū grauissimum supplicium.

operas, illubenter vsurum arbitror. Quos autẽ animaduertere viderer ex beneuolentia, & mei amore, quod factо sit opus, mecũ adgredi: hos ego delinquentes etiam laturum me facilius existimo, quam eos: qui, tametsi me oderint, abunde tamen omnia coacti facere studeant. Ad quæ Tigranes: A quibus autem, inquit, amorem tantum vmquam consequeris, quantũ modo tibi licet a nobis adipisci? Ab iis arbitror, ait Cyrus, qui numquã hostili fuerint in me animo: Si hos adficere beneficio velim, quemadmodum tu iam, vt in vos beneficium conferam, hortaris. Num, mi Cyre, possis, inquit, quemquã hoc tẽpore reperire, cui tanta largiri queas, quanta patri meo? Primum si aliquem viuere sinas, qui numquam in te fuerit iniurius; quam illum existimas tibi gratiam habiturum? Quid item, si liberos ipsi, & vxorem non adimas? quis eo te nomine magis diliget, quam qui arbitratur, iure sibi suos eripi? An vllum nosti, qui grauius laturus 68
sit, in Armenios se regnũ non obtinere, quam nos? Quapropter etiam de hoc, ait, perspicuum est: eum, qui molestissime fert, se regem nõ esse, maximã tibi gratiam habiturum, si abs te imperium impetrauerit. Quod si etiam curæ tibi est, inquit vt res heic quam minime turbatas, vbi discesseris, relinquas: cõsidera, num tranquilliora futura sint omnia, nouato imperio, an vsitato remanente. Itidem si curæ tibi est, vt exercitum amplissimum educas; quem existimas huius delectum rectius habiturũ, quam qui eo sæpius est vsus? Si pecunia quoq; tibi sit opus, quem rectius illo confecturum hanc putas, qui & nouit, & habet, quidquid eius heic est? Mi Cyre, vir optime, caue ne nobis amissis, maiori te detrimento adficias, quam quo adficere te pater hic meus potuisset. Huiusmodi quædam Tigranes proferebat. Cyrus autẽ hæc audiens, mirifice delectabatur, quod arbitraretur omnia sibi confecta iam esse, quæ Cyaxari facturum se receperat. Nam dixisse meminerat, existimare se futurum, vt maiori Armenius amicitia ipsis adiungeretur opera sua, quam inter eos antea fuisset. Itaq; deinceps Armenium ipsum cõpellat. Si vobis, inquit, in his morem gessero, dic mihi Armenie, quantum missurus es exercitum mecum, quantumque pecuniæ ad bellum hoc conferes? Ad quæ

Cyrus apud Armenium, quæ Cyaxari policitus erat efficit.

Armenius: Nihil tibi, mi Cyre, ait, nec simplicius nec æquius dicere possum, quam vt copias vniuersas, quas quidem habeo, cōmonstrem: eas vbi tu videris, quantum tibi visum fuerit, exercitum abducito: illo relicto, qui agro nostro præsidio sit. Itidem de pecuniis: æquum est, vt quas habeam, tibi significem: tu deinde statuas, quantum ex his auferre velis, & quantū relinquere. Cyrus autē: Age igitur, inquit, ostendito mihi quantæ tibi sint copiæ, quantūq; pecuniæ habeas, dicito. Heic Armenius: Equites quidem, ait, Armeniis fere sunt octies mille, quadragies mille pedites. Pecuniæ vero summa, cum thesauris, quos pater reliquit, ad argentū redacta, tribus talentorū millibus maior est. Et Cyrus nihil cunctatus: De exercitu sane, inquit, partem dimidiā adiungito mihi, quandoquidē Chaldæi finitimi bellū tibi faciunt: de pecunia vero, pro talētis quinquaginta, quæ tributi nomine pēdebas, duplū Cyaxari soluito propterea, quod solutionem neglexeris. Item mutuo mihi centū altera dato. pro quibus ego mutuo datis tibi policeor, vel
69 alia me, Deo bene iuuante, beneficia maiora in te collaturum, vel ipsam pecuniam denumeraturum, si quidem potero. Sin autē mihi quidē, vt arbitror, potero destitutus a facultate reddendi, sed iniustus tamē merito meo non cēsebor. Et Armenius: Obsecro te profecto, mi Cyre, inquit, noli hoc pacto loqui: ceteroqui minus bono in te animo ero. Existimabis scilicet, quascūq; pecunias nobis reliqueris, nihilo min⁹ tuas esse: atq; illæ sint, quas hinc tecum aufers. Esto subiecit Cyrus. Verū vt vxorem recipias, quantum mihi pecuniæ dederis? Quantū mea in facultate fuerit, inquit. Quid? vt liberos? etiam pro his, ait, quantum mea in facultate fuerit. Ergo iam hæ, subiecit Cyrus, duplo ampliores fuerint iis, quas tu possides. Et tu Tigranes, ait, dic mihi, quanti redimeres, vt vxorē tibi recipere liceret? Is vero nouus tunc forte maritus erat, & summo hāc amore cōplectebatur. Equidē, inquit, vel animę pretio meæ redemerim, ne vmquā hæc seruitutem seruiat. Tu igitur, inquit, tuā abducito. Nam equidē eam in captiuitatē venisse nequaquam arbitror, quando tu numquam nos deseruisti. Tu quoq; Armenie, tā vxorē quam liberos abducito, nullo pro iis pretio soluto

Cyrus captiuos sine pretio reddit.

luto: vt se liberos ad te venire sciant. Ac modo quidem apud nos cœnate, sumpta vero cœna, quo libitum erit animo vestro, discedite. Itaq; quũ mansissent, atq; a cœna in tabernaculo versarentur, interrogans Cyrus: Dic mihi Tigranes, inquit, vbi tamdem est vir ille, qui nobiscum venari solebat? tu quidem mihi videbaris hominem plurimũ admirari. An nõ, ait, pater hic meus eũ occidit? In quo deprehẽsum facinore malo? Dicebat, me ab ipso corrũpi. At vero mi Cyre, adeo præclarus & honestus vir erat, vt tum etiam, quum moriturus esset, accessito mihi diceret: Ne tu patri, Tigranes, quidquam succẽsueris, quod me morte multabit. Non enim hoc ex maleuolentia, sed ignorantia facit. Quæcumq; vero per ignorantiã peccant homines, ea prẹter animi sententiam cõmitti, equidẽ arbitror. Ad quæ verba Cyrus ait: Hẽ qualem virum. Armenius autẽ hoc modo loquutus est: Nec illi, mi Cyre, qui viros alios cum vxoribus suis familiarius versantes deprehendũt, ob hanc culpã eos interficiunt, quod* magis intelligentes reddãt vxores suas: sed quod existimant amorẽ eos sibi debitũ prẹripere, idcirco pro hostibus illos habent. Itidẽ & ipse illi homini inuidi, quod facere mihi videba[illegible]us ipsum magis, quam me, admiraretur. Et Cyrus: Profecto, inquit, mi Armenie, humanitus quid deliquisse videris: tuque adeo, mi Tigranes, ignoscito patri. Huiusmodi quum in hoc 70 tempore inter se disseruissent, & amanter, vt par erat, se complexi essent a reconciliatione: carpentis vna cum vxoribus conscensis, auecti sunt. Quum autem domum venissent, Cyri alius sapientiam commemorabat, fortitudinem alius, alius mansuetudinem, atque etiam non nemo pulchritudinem ac proceritatem, Atque heic sane Tigranes vxorem interrogabat: Num & tibi, mea Armenia, pulcher esse visus est Cyrus? Profecto, ait illa, non adspectabam hunc equidem. Quem igitur? inquit Tigranes. Eũ profecto, qui aiebat animæ suę pretio se redempturum, ne seruitutẽ ego seruirem. Ac tum quidem, vt par erat, rebus huiusmodi transactis quieti vtrimque se dederunt. Postridie vero Armenius Cyro, & exercitui vniuerso munera tamquam hospitibus misit: ac suis edixit, quibus in militiam eundum erat, vt tertium

Hominis innocẽtis, quum occideretur, vox præclara.

** hoc est, magis ciuiles & politas. Scholion marginis.*

Pudicæ mulieris vox & virum amantis.

ad diem adessent: & pecuniam de qua Cyrus egerat, duplicatam denumerauit. Cyrus accepta summa, quam poposcerat, reliquam remisit: simul interrogans, vter exercitum ducturus esset: filius an ipse. Ad quæ respondit vterque, ac pater quidem, Quemcunq; tu iusseris: filius vero: Equidem abs te, mi Cyre, non abero: non si etiam comitari te calonis instar sarcinarij debeam. Et Cyrus ad hoc risu sublato: Quanti abs te redimerem, inquit, vt vxor tua sarcinas te gestare audiret? At non opus erit vt audiat, inquit. adducam enim illam, vt videre liceat, quidquid egero. Verum iam, ait, tempus fuerit, vt collectis sarcinis ad iter vos comparetis. Existimes velim, inquit Tigranes, nos conuasatis iis, quæcumq; pater dederit, adfuturos. Ac tum quidem hospitum more milites excepti, quieti se dederunt. Postridie Cyrus sumto secum Tigrane, ac Medorum equitum præstantissimis, deque suis etiam amicis, quoscunq; commodũ ei visum esset, regionem obequitans contemplabatur: vt quo loco castellum muniendum esset, consideraret. Quumq; ad iugum quoddã venisset, Tigranem interrogat: quinam illi montes essent, vnde Chaldæi decurrentes, prædas agerent. Quos Tigranes quum ei monstrasset, rursum interrogat: an ij montes tunc deserti essent? Minime vero, inquit: semper enim speculatores suos habent, qui ceteris significant, quidquid viderint. At quid faciũt, ait, quum aliquid senserint? Ad vertices, inquit, defensionis causa, pro suis quisque viribus, adcurrunt. Hæc Cyrus vbi audisset, lustrando passim animaduertebat, magnam regionis partem Armeniis propter bellum desertam & incultam esse. Ac tum quidem reuersi ad exercitum, quum cœnassent, quieti se dederunt. Postridie Tigranes ipse paratis rebus suis aderat, atq; interim equitum ei quatuor millia cogebantur, cum decies mille sagittariis, totidemq; cetratis. Cyrus, dum eæ copiæ cogerentur, mactatis hostiis, quum sacra perlitata cerneret: Persicorum ducum Medorumque concilio aduocato, præsentibus vniuersis hæc verba fecit. Hi montes, amici, quos adspicimus, Chaldæorum sunt, eos si occupauerimus, & castellum in vertice nostrum fuerit: necesse est vtriq; tam Armenij, quam Chaldæi, erga nos in officio

Mõtes inter Chaldaos, & Armenios

71

Cyri de Chaldaorum montibus occupandis cõsilium.

maneant

maneant. Et sacris quidem pulchre litatum, humanam
vero contentionem ad hæc perficiunda nihil adeo iuua-
re poterit, atque celeritas. Nam si montes prius, quam
hostes se colligant, adscenderimus: vel omnino verti-
cem sine vllo prœlio capiemus, vel cum paucis & imbel-
libus aduersariis res nobis erit. Itaque nullus facilior,
magisque periculi expers fuerit labor, quam si iam in ac-
celerendo tolerantes erimus. Ite igitur ad arma, & vos
quidem Medi ad sinistrum latus incedite: vos autem Ar-
menij parte dimidia dextrum tenete, cum dimidia reli-
qua duces nobis itineris estote: vos equites a tergo se-
quimini, vt nos cohortemini, sursumq; protrudatis: ne-
que permittite, vt aliquis remissius se gerat. Hæc quum
Cyrus dixisset, in manipulos siue series rectas instructum
exercitum anteibat. Chaldæi postquã sursum tendi cum
impetu animaduerterunt, mox suis signa dant, & mu-
tuis clamoribus se conuocando, colliguntur. Cyrus autẽ
suos excitans: Hi quidem ait signum dant nobis, o Per-
sæ, vt properemus. Nam si in adscendendo hos anteuer-
terimus, nihil hostiũ conatus efficere poterunt. Gesta- *Chaldæo-*
bant autem Chaldæi crates, & tragulas binas, ac belli- *rum natio*
cosissimi feruntur esse inter eius regionis incolas. Etiam *bellicosa.*
stipendia faciunt, quum ipsorum opera quis eget: quod
& periti rei militaris sint & pauperes. Quippe solum in-
colunt montuosum, & cuius exigua pars opulenta est.
Quum autẽ Cyri milites iam propius a iugis montium
abessent, Tigranes in itinere Cyro proximus, ait: An 72
nosti, Cyre mox pugnandum nobis ipsis esse? Nam Ar-
menij quidem certe vim hostium non excipient. Cyrus
id se non ignorare respondens, statim edixit Persis, vt se
pararent. Nam mox insequendum esse, posteaquam Ar-
menij fuga inita propius ad nos hostem adduxerint. Sic
ergo præcedebãt Armenij. De Chaldæis vero qui aderãt,
vbi propius Armenij accessissent, celeriter sublato mo-
re suo, clamore, cursu in eos feruntur. Armenij more *Cyrus*
itidem suo illos non excipiunt. Verum vbi Chaldæi, qui *Chaldæos*
hos persequebantur, viderũt homines gladiis instructos *de iugis*
aduersus se sursum tendere, partim congressi propius, *montium*
statim interfecti sunt, partim fuga dilabuntur, nonnulli *deturbat.*
hostium in potestatem veniunt. Simul iuga montium

celeriter occupantur. Ea quum Cyri milites tenerent, & Chaldæorum ad domicilia despicerent: animaduertunt eos proximis domiciliis aufugere. Cyrus quum milites omnes conuenissent, vt eranderent, edixit. Pransi quum essent, animaduerso locum esse munitum, & aquis irriguum, vbi speculæ Chaldæorũ erant: statim ibi castellum exstruere cœpit. Simul Tigrani mandat, ad patrem mitteret, eumque statim adesse iuberet, & omnes fabros ac lapicidas, quotquot haberet, secum adducere. Dum hic nuntius ad Armenium pergit, interea Cyrus cum iis, qui aderant structuræ intentus erat. Ibi tum captiui ad eũ vincti deducuntur, nõnullis inter eos vulneratis. Hos vt vidit, mox vinctos solui, vulneratos arcessitis medicis curari præcipit. Deinde Chaldæos adloquitur, non se venisse, quod cuperet eos perditos, nec idẽ bello sibi esse opus: sed inter Armenios Chaldæosq; pacem velle facere. Prius autem, quam a nobis hæc iuga tenerentur, scio vos pacem non expetiuisse, Nam vestræ in tuto positæ res erant, & Armeniorum facultates agere ferre solebatis. Nunc quo sitis loco, perspicitis. Itaque vos ego, qui capti estis, domũ dimitto: vobisque potestatem facio cæteris cum Chaldæis deliberandi, bellumne gerere nobiscum velitis, an amicitiam colere. Bellum quidem si præferetis, inermes huc ne reuertimini, si quidem sapitis: sin pacis egere vos putabitis, inermeis accedite. Quod si nobiscum amicitiã inieritis, equidem curabo, vt bene res vestræ se habeant. Ea Chaldæi quum audissent,* multis verbis collaudato Cyro, eiusque dextram amplexi, domum discesserunt. Armenius, vt a Cyro se arcessi, quasque res ille gereret, audisset: adsumtis fabris, rebusque ceteris, quascumque putabat vsui futuras, quam poterat celerrime ad Cyrum contendit. Eum vbi vidit: Mi Cyre, ait, quam multas res nos homines adgredimur, quum tamen euentus futurorum paucissimos prospicere possimus. Nam & ego nunc in conatu parandę libertatis, maiorem in seruitutem, quã ante hac vmquam, incidi: postquam vero capti sumus, iamq; certo nos periisse putauimus; maiorem nos, quam hactenus vmquam, incolumitatem adeptos videmus. Etenim qui numquam multis nos detrimentis adficere desinebant,

Cyri erga victos humanitas.

Cyrus benignitate suos Chaldæos sibi conciliat.

* 73

Armenius Cyro gratias agit.

bant, hos ego iam illo in statu esse video, quo hactenus optabam. Tuque scias velim, mi Cyre, multo me maiorem daturum fuisse pecuniam, vt iugis hisce Chaldæi depellerentur, quam tu nunc a me acceperis. Adeoq; iam præstitisti, quæ nobis te præstaturum beneficia pollicebare, quum pecuniã illam acciperes. Itaq; præterea debere nos alias etiam tibi gratias manifestũ est, quas sane nos, si homines improbi esse nolimus, turpe fuerit tibi non referre: cui licet referamus, tamen ne sic quidem ex dignitate gerere nos erga virum præclare de nobis merentem reperiemur. Hæc Armenij verba fuerunt. Chaldæi vero ad Cyrum venientes, vt pacẽ sibi cõficeret, orabant. Eos ille interrogabat: Ecqua de caussa, Chaldæi, alia, nunc pacem cupitis, nisi quod existimatis securius vos in pace, quam bello victuros? quando nos etiam pacis hanc ipsam causam adferimus, qui tamen hæc iuga nũc tenemus. Adsensi sunt Chaldæi. Et ille, Quid igitur, inquit, si alia vobis cõmoda ex pace pręterea proueniãt? Maiori etiam, aiunt illi, gaudio adficiemur. Verum quid est aliud, cur esse vos iam pauperes arbitremini, nisi quod fertilis soli vobis copia non est? In hoc etiam quum adsensi essent: Quid ergo, adiecit Cyrus, velletis ne vobis pendentibus ea, quæ ceteri Armenij pendũt, liceret tantum agri Armenij colere, quantum vobis ipsis liberet? Si fidem habeamus, aiebãt Chaldæi, nullam nobis iniuriam illatum iri. Tu vero Armenie, inquit, an velles solũ id, quod modo incultum est, cultum reddi, si cultores id, quod apud te consuetum est, penderẽt? Magno se hoc redempturum ait Armenius, quod ea ratione reditus longe sibi futurus esset auctior. Et quid, inquit, vos Chaldæi, 74 quum montes fertiles habeatis, an etiam velletis Armeniis permittere, vt pascua in his haberent, si vobis illi quod æquum esset, penderent? Adsentiebantur Chaldæi, quod magnas se capturos vtilitates sine vllo suo labore dicerent. At tu Armenie, velles ne pascuis horum vti, si pro paruo Chaldęorum commodo multo maiores ipse vtilitates caperes? Et valde quidẽ, ait, si pascuis tuto frui liceret. Nimirum, ait, tuto his fruemini, si vobis in hisce iugis auxilia pręsto sint? Adsentiebatur Armenius. At nos profecto, inquiunt Chaldæi, nequaquam tuto

non modo istorum, sed ne nostrum quidem agrum culturi simus, si iuga montium isti teneant. Quid vero si vobis, inquit, auxilio sint ista iuga? Nimirũ ita, respondebant illi, bene nobiscum ageretur. Sed profecto, ait Armenius, non bene nobiscum ageretur, si iuga montium hi reciperent, præsertim castello munita. Et Cyrus: Ego vero sic faciam, inquit, neutris vestrũ hæc iuga tradam, sed nos ea custodiemus: ac si alterutri vestrũ auctores iniuriæ fuerint, a læsis stabimus. Hæc quum vtrique audissent, collaudarunt: solaque hac ratione pacem firmam fore dixerunt. Atque his adeo condicionibus fides vltro citroque data est ab vniuersis, quum conuenisset, vt per vtrosque libertas vtrisque sua constaret: vt connubia, cultos agrorũ, pastiones vtrisque communes essent: vt communibus copiis sese iuuarent, si quis alterutros læderet. Ad hunc modum illa tũc gesta sunt, & hæc sane pacta, inter Chaldæos & eum, qui Armeniam tenet, id temporis inita, hodieq; durant Postquam ita conuenisset, statim vtrique castellum, quasi quod esset commune, coniunctis alacriter operis exstruunt, & vna res in id necessarias important. Adpetente autem vespera, Cyrus vtrosque, velut amicos iam factos esse, conuiuas in cœna suos esse voluit. Inter cœnandum autem, quidã ex Chaldæis inquit, ceteris quidem suæ gentis omnibus hæc optabilia accidere: verum quosdam Chaldæos esse, qui rapto viuerent, ac terram neque scirent colere, neque possent: quippe qui victum armis quærere consuessent. Semper enim latrocinari solitos, stipendiaque crebro meruisse partim apud Indorum regem, quem illi auro
75 abundare dicebant, partim apud Astyagem. Et Cyrus: Cur igitur non etiam modo apud me stipendia faciunt? Nam ego tantum eis dabo, quantum aliquis alius vmquam dedit. Adstipulati sunt ei, multosque fore dixerũt, qui hoc facere vellent. Et de his quidem ita conuenit. Cyrus autem, qui audisset Chaldæos ad Indum sæpe proficisci, recordatus venisse ad Medos ab hoc quosdam, qui, quid rerum apud ipsos gereretur, explorarent: eosdemq; deinde ad hostes etiam abiisse, vt illorum quoque res specularentur: scire volebat Indum, quæ ab se gesta fuissent. Itaque sic orsus est: Dicite mihi, tu Armenie, vosq; Chaldæi,

Cyrus pacem inter Armenios & Chaldæos facit.

Pacis condiciones.

Cyrus de

dæi, si quem ego meorum ad Indum mitterē, vestrumne aliquos adiungeretis, qui & itineris duces ipsi, & adiumento essent, ad impetrandum ab Indo ea, quæ ipse cupio? Nam equidem accedere nobis adhuc aliquid pecuniæ velim, vt & ijs stipendia numerare, quibus opus est, abunde possim; & alios militiæ socios pro meritis & dignitate largiendo cohonestare. His ego de caussis quam maximam pecuniæ mihi copiam esse volo. Quamuis † autem statuam mihi opus eis esse: libenter tamen vestris parco (nam vos ego nunc amicorum in numero pono) non illibenter ab Indo has accepturus, si daret. Itaque nuntius, cui duces vt detis, atq; adiumento sitis, hortor, quum eo venerit, in hunc modum loquetur: Cyrus ad te me misit, Inde, pecunia sibi opus esse dictitans, quod a Persis alium etiam domo exercitum exspectet. omnino enim exspecto, inquit. Quapropter si tantum pecuniæ, quantum tibi conceditur, ipsi miseris; ait se, si felicem rerum exitum Deus dederit, effecturum studio suo, vt existimes, bene de rebus tuis consuluisse, qui sis ipsi gratificatus. Hæc qui a me mittetur nuntius, dicet: quos autem vos ablegabitis, eis ipsi, quod ex vsu fore putatis, imperate. Pecuniam quidem, inquit, ab eo si acceperimus, maior nobis illius copia fuerit: nunc autem, sciemus nullam a nobis ipsi gratiam deberi: adeoque nobis integrum erit, quod ipsum adtinet, omnia nostro ex vsu administrare. Hæc Cyrus aiebat, quum quidem existimaret, Armeniorum Chaldæorumque nuntios eiusmodi de se dicturos, qualia de se vniuersos homines & dicere cupiebat, & audire. Ac tum quidem, vbi visum fuisset opportunum, contubernio soluto, quieti se dederunt.

Postridie Cyrus hunc nuntium ablegabat, quum in mādatis ipsi dedisset ea, quæ dixerat, & Armenius ac Chal- 76
dæi cum hoc suos mittebant homines, quos ad agendum hoc negotium maxime idoneos arbitrabantur, & ad prædicandum ea de Cyro, quæ conueniret. Secundum hæc Cyrus, quum & præsidiariis militibus impositis, quod satis essent, & rebus necessariis omnibus castellum absoluisset, ac Medum eis præfecisset, quem si præficeret, maxime Cyaxari gratam se rem facturum existimabat; discessit, sumto secum exercitu, quem adduxe-

mittendo ad Indum legato cōsilium capit.

† lectio marginis.

Cyrus laudis & gloriæ cupidus.

rat:& eo, quem ab Armeniis acceperat; vnaq; illis etiam, qui a Chaldæis accesserant, hominum ad quatuor millia, qui sane reliquorum omnium se præstãtissimos arbitrabantur. Vbi autem in regionis loca culta descendisset, Armeniorũ nemo se domi cõtinuit, nec vir nec fæmina: sed obuiã processerunt omnes ex pace voluptatem capientes: ac secũ quidquid alicuius pretij quilibet haberet, ferebant, agebant. Atq; his Armenius minime offendebatur, quod Cyrum magis hoc modo delectatum iri, delato ab omnibus honore, putaret. Tandem & vxor Armenij occurrit, filias ac minorem natu filium secum ducens: ac præter alia munera, illud aurum quoq; adferebat, quod Cyrus accipere pridẽ noluerat. Hoc Cyrus vbi vidisset: Vos effecturi nõ estis, inquit, vt mercedis causa hinc inde proficiscar, ac bene merear. Retine tu, mulier hanc pecuniam tibi, quam adfers, neque posthac Armenio dederis eam defodiendam: sed filium tuum potius his exornatũ quam pulcherrime, in militiã mittito. De reliquis & tibi, & marito, & sexus vtriusque liberis id parato: ꝙ cõsequuti, & quo ornati, elegãtius atq; iucundius vitam agatis. Vbi vero quisque vita defunctus erit, satis esto, corpora sub terra condi. His dictis Cyrus præteruectus est, deducentibus simul & Armenio, & reliquis hominibus vniuersis: qui quidẽ eum & benefactorem adpellabant, & virum illum bonum: idq; continuo faciebant, donec extra regionem suam deduxissent. Armenius vero etiam maiorẽ exercitum ei adiunxit, quia domi pacem haberet. Sic ergo Cyrus abiit, non solum ea pecunia ditatus, quã acceperat: sed etiã ad multo maiorẽ, quam hæc esset, aditu morũ elegantia parato: vt eas, quoties esset opus, sumere posset. Ac tũ quidẽ in finibus castra metati sunt. Postridie copias & pecuniæ partem, Cyaxari misit: (& aberat is prope, quemadmodum

Armenij Cyrũ redeuntem excipiunt.

77 dixerat) ipse cum Tigrane, ac Persarũ optimatibus venabatur, vbicũq; in feras incidisset, atq; ita se oblectabat. In Medorũ vero regionẽ quũ peruenisset, suis cohortiũ prę-fectis pecunias dedit, quantũ cuiq; satis esse arbitrabatur: vt illis etiã non deesset, vnde honoris ergo suos ornarẽt, si quos magni facerẽt. Existimabat enim, si quisq; partẽ exercitus sibi mandatã efficeret talẽ, vt laudari mereretur:

Cyri liberalitas in milites.

tur:

tur: etiā futurum, vt totus exercitus egregie cōparatus esset. Quin & ipse, si quid videret, quod exercitui posset esse ornamēto, id vbi adquisiuisset, dignissimis quibusq; donabat. Nam arbitrabatur, quidquid in exercitu pulchrum esset ac præclarū, id omne sibi ornamēto cedere. Quādo autē accepta distribuebat, huiusmodi verbis inter cohortiū præfectos, & manipularios, & omnes illos, qui erāt apud ipsum in honore, vtebatur: Frui quadam, amici, lætitia in hoc tempore videmur, tum quod opum copia quædā nobis accesserit, tum quod nobis sit, vnde honorē habere liceat iis, quibus visum fuerit: & existimare, quibus quisq; præmiis sit dignus. Omnino autem reuocandū nobis est ad animū, cuiusmodi studia nobis hæc cōmoda pepererint. Nam si rem cōsiderabitis, reperietis hæc vos consequutos, & vigilando, quū opus erat, & laborādo, & accelerando, & nihil hosti cedēdo. Quapropter deinceps quoq; viri fortes sitis necesse est, atq; etiam statuatis, voluptates magnas, & ingentia bona non nisi ab obœdientia, & tolerantia, & ferēdis, vbi possit occasio, laboribus periculisq; proficisci. Quia vero animaduerteret Cyrus, & corpora militum recte ad labores militares perferēdos esse comparata, & animos itidem ad cōtemnendū hostem: prætereà peritos eorum esse, quæ vsus armorū in vnoquoq; requireret: ac omnes etiam ad parendū præfectis suis paratos esse videret: de caussis hisce iam aliquid eorū gerere cupiebat, quæ aduersus hostē suscipi solent. Intelligebat enim, in cunctationibus plerūq; ducibus copiarū etiam, præclare parata labefieri & mutari. Videbat itē plerosq; milites ambitione ductos, in iis de quibus erant inter ipsos certamina, sibi mutuo inuidere. Quare hac quoq; de caussa quam primū eos in hosticum educere volebat. Nam pericula cōmunia beneuolētiam inter cōmilitones mutuā excitant: ad quæ vbi peruētum est nemo aliis, quib. ornatissima sunt arma, nemo glorię cupidis inuidet: sed potius, & collaudant, & cōplectuntur huiusmodi sibi similes, quod eos secū in iuuāda publica re coniunctos existimant. 78 Primum igitur armatum exercitum, quam poterat pulcherrime & optime, instruxit: deinde duces decem millium, & tribunos, & cohortium præfectos, & manipularios ductores con-

Cyrus in hostem ducere cogitat.

uocauit. Nam hi liberi erant, vt in militarium ordinum numeris non recenserentur. Quumque vel imperatori parendum erat, vel denuntiandum aliquid, non idcirco pars vlla rectoris expers relinquebatur: sed reliquæ copiæ per duodenum & senum militum præfectos apte instruebantur. Posteaquam vero iam ad ipsum conuenissent, quorum præsentiam res ipsa postulabat, deducebat eos per aciē Cyrus, & vbi recte instructa esset, ostendebat; & qua parte firma essent auxilia singula, docebat. Quumque in his etiam desiderium & amorem gerendi aliquid excitasset, tunc quidem iussit, suos ad ordines irent, & quemlibet suorū edocerent, quæ ab ipso didicissent, & huius militiæ cupiditatem in omnibus accendere conarētur, vt alacri maxime animo iter omnes ingrederentur, ac mane Cyaxaris ad portā præsto essent. Illi tunc abeuntes, quod iussi erant, fecerunt. Postridie quum illuxisset, aderant ei de suis ad portam quos oportebat. Itaque cum eis ingressus ad Cyaxarē Cyrus, huiusmodi orationem orsus est: Scio equidem ea mi Cyaxares, quæ dicturus sum, iam pridem tibi non minus, quam nobis videri: sed fortassis proferre te pudet, ne si mentionem exercitum educendi facias, grauiter ferre videaris, annonas abs te nobis dari. Quando tu igitur taces, ego tam tuo, quam nostro nomine rem exponam. Quippe nobis omnibus videtur, quum parati simus, non tunc demum pugnandū esse, quum tuos fines hostis inuaserit, nec in regione pacata residentibus illum expectandum esse: sed in agrum hostilem quamprimum eundum esse. Quum enim modo tua in regione simus, multa tuorum per nos etiam inuitos detrimentū capiunt. At si hostium in regionem discedamus, agros eorum cum voluptate populabimur. Præterea magno sumtu tuo nunc alimur. Sin tuos extra fines exercitum educamus, ex ipsorum ditione victum habebimus. Iam vero si maius nobis isti periculum, quam heic, immineret: fortassis id quod tutissimum, esset eligēdum. Nunc autem & illi futuri sunt iidem siue adeo † heic eos exspectemus, seu in ipsorū ditionem progressi obuiam eis eamus: & nos iidem futuri
79 sumus, siue ipsos aduenientes heic excipiemus, seu prodeuntes aduersus eos manum conseremus. Verum longe nos

Cyaxari Cyrus dat consilium de ducendis in hoste copiis.

† Lectio marginis.

nos militum animos alacriores & firmiores experturi sumus, si aduersus hostem contendemus, & in aduersariorũ conspectum non inuiti venire videbimur. Itidem illi multo nos magis metuent, quum nos audient, non vt formidolosos, ipsorum metu percelli, ac domi desidere, sed animaduerso eorum aduentu occurrere, vt quam celerrime pedem conferamus: non idem opperiri, dum regio nostra detrimento adficiatur, sed præcepto ipsorũ conatu, terram eorum populari. Atqui formidolosiores ipsos reddi, nos audentiores, in lucro nobis insigni ponendum existimo. Nam equidẽ statuo, minus hoc modo nobis, hostibus plurimum periculi futurum. Quin & pater meus, & tu dicere soletis, ceteris omnibus adsentientibus: de prœliis iudiciũ fieri potius ex animis, quam corporum viribus. Hæc Cyri oratio fuit, cui Cyaxares respondit: Mihi quidem, mi Cyre, ac vos Persæ, ne suspicemini esse graue, vos alere. Sed in hostilem tamen agrũ vt progrediamur, etiam mihi iam ad omnia melius esse videtur. Quando igitur, ait Cyrus, eadem in sententia sumus, colligamus vasa: & si res diuina votis nostris confestim adnuerit, quamprimum egrediamur. Quumque militi secundum [redacted] colligerent: rem sacram Ioui primum Regi, deinde Diis ceteris fecit: additis precibus, vt & propitij benigniq; essent, & exercitui se duces, bonosq; commilitones & socios, atque etiam rerum vtilium consultores præbere vellent. Præterea Heroas Medorum terræ incolas & curatores implorauit. Quum autem rite litasset, & totus exercitus ad fines sine mora peruenisset: bonis auibus hostile solum inuasit. Vt vero primum fines transierat, Tellurem libationibus propitiam sibi reddidit, & Deos atque Heroas regionem Assyriorũ incolentes sacrificiis placauit. Quibus peractis, rursum Ioui patrio rem diuinam fecit, nec si quis alius se Deorum offerret, vllum neglexit. His ita rite curatis, statim peditibus itinere non magno promotis, castra metati sunt: equitatu vero ad excursionem vsi, prædam ingentem ac variam obtinuerunt. Deinde motis castris, a commeatu abunde instructi, regionem omnem depopulabantur, & hostem exspectabant.
Qui quũ aduenire iam & abesse nõ amplius decem die- 80

Cyrus cũ exercitu Assyriam inuadit.

rum itinere diceretur, tũ vero Cyrus ait: Iam tempus eſt, mi Cyaxares, vt occurramus: neq; cõmittendum, vt vel hoſtibus, vel noſtris metu præpediri videamur, quo minus aduerſus ipſos progrediamur: ſed palã declaremus, non illubẽter nos prœlium inituros. Quæ quũ Cyaxari quoq; placerent, ſemper deinceps inſtructi tantũ cottidie procedebant, quantum ipſis cõmodum videretur. Et cœnam quidẽ numquam non ſumebant, dum adhuc luceret, noctu vero ignes in caſtris nullos accẽdebãt. Ante caſtra tamen excitabantur, vt ignis adiumẽto cernerent, ſi qui noctu accederent, atq; ipſi ab iis contra non cernerentur. Sæpe numero etiam poſt caſtra fallendis hoſtibus ignes accẽdebant. Itaque nonnumquam exploratores in excubias ipſorum primas incidebant, quod ſe procul adhuc a caſtris abeſſe arbitrarentur, quia poſt caſtra ignes excitati eſſent. Et Aſſyrij quidem cum iis, quos ſecum habebant, quum iam exercitus propius ad ſe inuicem acceſſiſſent, foſſa ſe cingebant; quod barbari reges hodieque faciunt. Nam caſtra quum metantur, facillime ſe foſſa, ob ingentem hominum multitudinem circũdant. No[redacted]pias equeſtres noctu eſſe tumultuoſas, & vſum habere di[redacted]cilem, præſertim ſi de barbaris coactæ ſint. Etenim hi equos habent ad præſepia compeditos. Itaque ſi quis eos inuadat, operoſum eſt noctu equos ſoluere, frenare operoſum, operoſum inſternere, operoſum induere loricas: atq; vbi iam equos conſcenderint, fieri prorſus nequit, vt equites per caſtra vehantur. His omnibus de cauſſis quum alij barbari, tum illi munitionibus ſe circumdant. Simul etiam exiſtimãt, ſi locis ſint munitis, habere ſe poteſtatem prœlij, quum volunt, non committendi. Dum hæc agerent, adpropinquare ſibi cœperunt. Quumque iam accedendo alteri ab alteris ad paraſangæ interuallum abeſſent, Aſſyrij hoc, quem indicauimus, modo metabantur caſtra, loco quidem foſſa munito, ſed oculis expoſito: Cyrus autem ſic ſua locabat, quantum ſañe poterat, vt minime conſpicerentur, etiam a fronte vicis & tumulis obiectis. Nam exiſtimabat in bellis omnia, ſi ſubito conſpiciantur, aduerſariis eſſe formidabiliora. Et illa quidẽ nocte, quemadmodum par erat, vtrique conſtitutis excubiis, quie-

Aſſyrij foſſa ſe cingere ſoliti.

Cyri ſollertia in locandis caſtris.

quieti se dederunt. Postridie Assyrius, & Crœsus, ducesque ceteri, copias intra munitiones quiescere iusserunt: 81
Cyrus & Cyaxares instructis suis, tamquam pugnaturi, si hostes accederent, exspectabant. Quum autem iam pareret, hostes extra munitiones illo quidem die non prodituros, neque conserturos manum, Cyaxares arcessito Cyro, & omnibus, quos adesse oporteret, in hanc sententiam loquutus est: Equidem, viri, nobis existimo sic, vti nūc instructi sumus, ad horum munitiones accedendum esse, ac declarādum nos pugnandi cupidos. Etenim hoc modo illis contra non prodeuntibus, nostri eos longe audentius inuasuri sunt, & hostes audacia nostra perspecta, magis sibi metuent. Hæc illius sententia fuit. Verum Cyrus: Ne per Deum immortalem, mi Cyaxares, ita faciamus, inquit. Nam si modo, de tui consilij sententia, prodierimus in hostium conspectum: nimirū, nec in hoc tempore nos accedentes vllo cum metu spectabunt aduersarij, qui esse in tuto se sciant, vt accidere quid ipsis aduersi nequeat: & deinde, quum nulla re gesta recedemus, rursus inspectis copiis nostris, easdem vt suis impares numero contemnent: crastinoque die multo firmioribus animis prodibunt. Nunc quum adesse nos sciant, neque tamen videant: crede mihi, non cōtemtui habent: sed quid hoc sibi velit, sollicite cogitant: atque etiam, sat scio, colloqui de nobis non desinunt. Sed vbi prodierint ipsi, tum vero & conspiciendos eis nos exhibere debebimus, & manum cum eis cōserere, deprehēsis illic vbi iamdudum cupiebamus. Hæc quum Cyrus dixisset, tam Cyaxares, quam alij adsensi sunt. Itaque tunc cœnati, constitutis excubiis, & ignibus ante has excitatis, quieti se dederūt. Postridie diluculo Cyrus coronatus rem sacram faciebat, iussis etiam ceteris Persarum æqualibus adesse rei diuinæ coronatis. Peracto autem sacrificio, conuocatis illis, hanc orationem habuit: Dij quidem milites, quemadmodum & "
haruspices aiunt, & mihi quoque videtur, prœlium fore "
denuntiant, & victoriam largiuntur, & incolumitatem "
per exta policentur. Me vero pudeat vos commonefacere "
velle, quo pacto in huiusmodi negotio gerere vos- "
met debeatis. Nam huiusmodi æque vos tenere noui, "

Cyrus Cyaxare prudentior.

Cyri ad homotimos exhortatio.

82 ac me ipsum: eademque non aliter ac mihi ipsi & meditata & audita vobis esse, atq; etiam adhuc perpetuo vos audire: vt non abs re doctores aliorum in his esse posse videamini. Si tamen hæc necdum animi consideratione complexi estis, me audite. Nostris scilicet hisce sociis, quos recens adsciuimus & nobis ipsi similes efficere conamur, redigendum in memoriam erit, quem ad finem Cyaxares nos aluerit, quæ exercitationes nostræ fuerint, ad quæ illos ita cohortati simus, & libenter etiam se contendere nobiscum velle dixerint. Hoc quoque in memoriam eis reuocate, hodiernum diem declaraturum esse, quibus quisque præmiis dignus sit. Nam quas res sero mortales discunt, in iis mirum videri non debet, quosdam monitoris opera egere. Nimirum æqui boni faciendum est, si etiam aliorum instinctu viri fortes esse possint. Atque hæc dum agetis, simul de vobis etiam periculum facietis. Nam qui alios tali tempore nouit reddere fortiores, is sibi quoque procul dubio conscius fuerit ad perfectionem virtutis se peruenisse. Qui vero hæc sibi soli suggerere potest, atq; hoc adeo satis esse sibi ducit, is merito se perfectum ex semisse duntaxat arbitretur. Atq; [redacted] n expono, sed eam ob rem vobis exponenda mando; vt se vobis quoque probare studeant. Vos enim estis eis proximi, suæ nimirum parti quilibet. Hoc etiam scire vos volo quum his, tum multis aliis vos non verbis, sed reabse futurus fiduciæ magistros, quam diu vosmet fiduciæ plenos eis ostenderitis. Tamdem subiecit, irent pransum coronati, peractisque libationibus, cum ipsis sertis ad ordines venirent. His abeuntibus, arcessitos illos, qui vltimis in cohortium partibus curabant, in hunc modum compellauit: Vos æqualium in ordinem cooptati, viri Persæ, atque etiam delecti quidam estis, qui vt rebus ceteris, vel præstantissimis pares estis: sic per ætatem etiam prudentia excellitis. Quæ caussa est, vt loco non minus, quam antistites, honesto sitis. Nam quum extremo in agmine curetis, facile viros fortes intuendo, & cohortando, fortiores etiam efficitis: & si quis remissior fuerit, eum itidem obseruando, ignauum esse non sinitis. Quod si cuiquam alij, vobis expedit certe superiores vt sitis: tum

tum ob ætatem, tum ob armaturæ pondus. Itaque si an- "
teriores forte vos inclamauerint, & ad sequendum hor- "
tati fuerint: velim ipsis obtemperetis, atque vti hac in "
parte non sitis eis inferiores, vicissim & ipsos cohorta- "
mini, quo vobis præeundo celeriter in hostem ducant. "
Nunc quidem abite, inquit, & pransi quum eritis, ad or- 83
dines vna cum aliis coronati accedite. Dum his rebus Cyri milites occuparentur. Assyrij iam ante pransi, audacter e castris prodibant, & in aciem præsentibus animis se componebāt. Instruebat autem eos rex ipse curru vectus & verbis huiusmodi cohortabatur: Nunc vos, Assyrij viros esse fortes oportet. Iam enim & de vita certamen propositum vobis est, & de solo, in quo estis orti: de domiciliis, in quibus educati: de vxoribus, liberis, bonis, quæ possidetis vniuersis. Nam si victoria potiemini, horū omnium, vt antea, domini futuri estis: sin victi fueritis, certo vos scire volo, hostibus istæc omnia vos esseædituros. Itaq; standū vobis, & pugnandum erit, quotquot apiscendæ victoriæ studio flagratis. Quippe stultū est eos, qui superiores esse velint, cæcas corporis partes, & armis ac manibus destitutas, per fugam hostibus obuertere Stultus idem, quicumq; vitæ cupidus fugæ se cōmittit. quum sciat victores salutem conseruare, ac fugientes citius interire, quam resistentes. Est & is stultus, qui opum cupiditate accensus, vinci se patitur. Nā quis ignorat, & suas res saluas esse victoribus, & eosdem præterea fortunis illorum, quos vicerint, potiri? quum victi & se ipsos, & omnia sua simul amittant. Hæc dum Assyrius ageret, Cyaxares misso ad Cyrum quodā, tempus esse dicebat, in hostem ducendi. Licet enim pauci iam, ait, extra munitiones progressi sunt, tamen interea dū nos ad eos accedemus, permulti erunt. Itaq; nō expectemus, donec ipsi plures nobis sint: sed eamus dum adhuc facile superiores eis nos futuros arbitramur. Ad ea respondebat Cyrus: Certo te scire velim, mi Cyaxares, nisi eorum plures parte dimidia victi fuerint: dicturos esse, nos multitudinis metu paucos e suis inuasisse. Idcirco se minime victos existimabunt, sed aliud tibi prœlium subeundum erit, in quo melius fortasse sibi consuluerint, quam hoc tempore, quo seipsos nobis offerunt, velut e penu promendos,

Assyriĳ regis ad suos exhortatio.

vt cum quanto velimus eorum numero pugnemus. His auditis nuntij diſcedebant. Interea Chryſantas Perſa venit, & alii nonnulli ex æqualium ordine, ſecumq; tranſfugas adducebant. Eos Cyrus, vt par erat, de rebus ho-
84 ſtium interrogabat. Illi vero narrabant, armatos iam e caſtris prodire, atque a rege inſtrui, qui & ipſe progreſſus extra caſtra, cohortatione copioſa & vehementi ad eos vteretur, quotquot continuo prodirent, vti quidem adfirmaretur ab illis, qui eum audiſſent. Heic Chryſantas: Quid vero, inquit, ſi & tu, Cyre, militem conuoces, dum adhuc exhortandi facultas conceditur? an non & ipſe redderes eos animoſiores? Cui Cyrus: Ne tibi moleſtæ ſint, ait, exhortationes iſtæ Aſſyrij, mi Chryſanta. Nam admonitio nulla tam præclara futura eſt, quæ homines minime fortes eodem, quo auditur, die fortes ſit effectura: non ſagittarios, niſi eam artem prius exercuerint: non iaculatores, nec equites: immo ne id quidem efficiet, vt corporibus in labore perferendo valeant, niſi ſe prius exercuerint. Et Chryſantas: Satis eſt mi Cyre, inquit, animos eorum cohortando meliores reddi. Num queat, ait Cyrus, vna oratio pronuntiata eodem die, non pudore dumtaxat audientium animos implere, vel a turpitudine reuocare; ſed etiam excitare, vt laudis gratia laborem omnem, omneque periculum ſubeundum ſtatuant, ac mentibus ſuis infixum habeant, optabilius eſſe pugnando mori, quam fugiendo ſalutem apiſci? Nonne ſi huiuſmodi cogitationes hominū animis inſeri debeant, & durabiles eſſe, primum leges ſint tales oportet, vt earum beneficio viris fortibus honeſta & liberalis vita paretur: ignauis abiecta, plena doloris, acerba victu vita incumbat? deinde præceptores, vt equidem arbitror, & magiſtros neceſſe eſt accedere, qui eis præficiantur, & tā exemplo, quam doctrina eos ad actiones illas adſuefaciāt; donec inſitum hoc ipſis fuerit, vt viros fortes & laudatos reabſe ducant feliciſſimos, ignauos & infames omnium miſerrimos exiſtimēt. Sic enim animati eſſe debent, apud quos potior futura ſit diſciplina, quam metus hoſtilis. Quod ſi quis militibus armatis ad pugnam prodeuntibus, quo tempore multi etiam diſciplinæ prioris obliuiſcuntur, oratione ſubito concinnata poſſit homi-

Quid exhortationibus militaribus ſit tribuendum.

nes

nes extemplo bellicoſos efficere: nimirum facillima res omnium fuerit, eam virtutem tum diſcere, tum docere, quæ in hominũ vita lõge maxima eſt. Nam equidem ne hos quidem ipſos, qui nobis adſunt exercitati ſtudio noſtro, firmos futuros eſſe, policeri mihi auſim: niſi vos heic pręſentes intuerer, qui & exemplo inſtruere, quales eſſe oporteat, & ſuggerere poteritis, ſi quid exciderit. Apud eos vero, qui ad virtutem prorſus inſtituti non ſunt, mirum mihi ſane videatur, o Chryſanta, præclare habitam orationem plus ad virtutem & fortitudinẽ adferre momenti: quam apud muſicæ imperitos bene cantatum carmen ad muſicam percipiendã conferat. Dum huiuſmodi ſermones inter ſe haberent, mittit denuo Cyaxares, Cyrum non recte facere ſignificans, qui tempus tereret, & non quã primum in hoſtem duceret. Tum vero Cyrus nuntiis reſpondit: Sciat plane Cyaxares, inquit, nondũ hoſtes eo numero caſtris egreſſos eſſe, quo oporteat, atq; hoc cunctis audientibus ei renunciate. Quãdo tamen ei ſic videtur iam copias ducturus ſum. Hæc loquutus, ac Diis adoratis, exercitũ produxit. Quumq; celerius etiã ducere cœpiſſ[illegible]ioſe, milites ſequebantur, ſeruatis illi quidẽ ordinibus, quod vſu diuturno exercitati, ordines in progrediẽdo ſeruare ſcirẽt: & præſentibus animis, quod æmulatiões inter eos exiſterent, corporaq; roborata laboribus haberent, & antiſtites in ordinum principiis extra ſolos præfectos nulli eſſent: & libenter denique, quia prudentia valerent. Sciebãt enim, iamdudum edocti, tutiſſimum eſſe, facillimumque, comminus hoſtes inuadere præſertim qui ſagittarij ſint, & iaculatores, & equites. Quumque adhuc extra ictum telorum eſſent, Cyrus hanc teſſeram militarem eis ſignificari iuſſit: *Iupiter auxiliaris & dux.* Ea quum reddita viciſſim, ad Cyrum rediiſſet ibi tũ pæana Caſtoribus pro more primus exorſus eſt, & milites vniuerſi religioſe magna voce ſimul inſonuerunt. Nã tali rerũ momento, qui religioſi ſunt erga deũ, minus homines metuũt. Pæane abſoluto, æquales illi Perſici vna pergebãt, hilari vultu, periti ex inſtitutione, mutuo conuerſis in ſe oculis, adſtites ſubſtitesq; nominatim compellantes, atque hæc iterantes verba: Heus viri cari, heus viri for-

Cyrus feſtinantem ad ineundum prælium Cyaxarem impedit.

Laus militum Cyri.

tes: ad ſequendum ſemet exhortabantur. Quæ quum audiiſſent, qui pone ſequebantur; viciſſim primos, vt præſentibus animis præirent, clara voce incitabant. adeoq; totus Cyri exercitus alacritatis, cupiditatis gloriæ, roboris, fiduciæ, cohortationis, intelligentiæ prudentis, obœdientiæ plenus erat: quod equidem maxime aduer-
86 ſariis formidabile arbitror. Apud Aſſyrios autem, qui de curribus ante aciem primi pugnare ſolebant, poſtquam propius acceſſit agmen Perſicum, conſcenſis curribus ad copias ſuas receſſerunt. Sagittarij vero, & iaculatores, & funditores tela ſua multo prius emiſere, quam ad hoſtem peruenire poſſent. vbi Perſæ accedentes emiſſa iam tela conculcarent, tū Cyrus, ita locutus eſt: Iam viri fortiſſimi: celerius aliquis veſtrum procedens ſui ſpecimē edat, & aliis hæc eadem ſignificet. Quæ illi verba dum aliis rurſum traderent, quidam præ alacritate atque impetu animi, præque ſtudio conſerendi manum, currere cœperunt: eosq; tota ſimul phalanx curriculo ſecuta eſt. Ipſe adeo Cyrus gradatim incedere oblitus, curſu præibat, ſimul hæc proferens: Ecquis ſequitur? ecquis vir fortis? ecquis primus virum proſternet? Quibus illi auditis, idem proferebant, a[redacted] vt ipſe cohortabatur, ita vox hæc didita fuit: Ecquis ſequetur? ecquis fortis? Hoc igitur Perſæ cum impetu in hoſtem ferebantur. Is vero non amplius ſubſiſtere poterat, ſed terga dans ad munitiones ſe fuga recipiebat. Perſæ ad ipſos caſtrorum aditus eos inſequuti, dum illi ſe protrudēdo premerent, multos occiderunt. Si qui in foſſas delaberentur, in eos inſilientes, vna cum hominibus equos etiam interfecerunt. Nam currus quidam in fuga coacti ſunt in foſſas decidere. Quæ quum Medorum equites cernerent, in hoſtium equitatum inuecti ſunt: qui quum eorum impetum declinaret, tum vero & equorum & hominū fugientium perſecutio, & cædes vtrorumq; fieri. Qui Aſſyriorum intra munitionē ſupra caput editave loca foſſæ conſtiterant, de ſagittis & iaculis in eos emittendis, qui ſuos occidebant, ne cogitabant quidem: vti nec facere poterant, quum ob iſta terribilia ſpectacula, tum quia metu perculſi eſſent. Quumq; mox etiam animaduertiſſent, quoſdam Perſas ad munitionis aditus vi perrupiſſe, terga

Ardor militum Cyri in conflictu.

Cyri Victoria.

terga vertebant, & a partibus fossarum editioribus diffugiebant. Vbi vero & Assyriorum & sociorum vxores viderunt, etiam in castris iam fugam fieri: clamore sublato discurrebant hinc inde territæ, partim liberum matres, partim iuuenculæ: vestibusq; discerptis, etiam vnguibus ora dilaniabant: obsecrantes eos, quibuscumq; occurrerent, ne se fugiendo desererent: sed liberos, vxores seipsos tuerentur. Atq; heic demum reges ipsi cum fidissimis ad portas castrorum constiterunt, & conscensis eminentioribus locis, partim ipsi pugnabant, partim excitabant alios cohortando. Cyrus, vbi quid ageretur, animaduertit; veritus, ne si etiam intro vi perrumperent, pauci tamen a multis detrimenti aliquid caperent: extra telorum ictus pedem referrent, & dicto audiētes essent, edici iussit. Ibi tum adgnouisset aliquis æquales Persicos etiam ita institutos, vt oporteret. Nam & ipsi celeriter obœdiebāt, & aliis idem celeriter denuntiabant. Quūq; iam extra telorum ictus essent, suo quisq; loco constiterunt aptius, quam quisquam musicorum chorus: quod accurate locus vnicuiq; suus notus esset. 87

Cyrus a castrorum oppugnatione suos reuocat.

XENOPHONTIS HISTORIARVM DE INSTITVTIONE CYRI, LIB. IIII.

Argvmentvm.

1. Cyrus parta victoria, cum ergo Deos, tum etiam homines, gratum se demonstrat. 2. Manifestissimum obœdientiæ militaris exemplum, in Chrysanta persona. 3. Cyrus hostes persequendos censet: Cyaxares negat. 4. Quomodo Cyrus Cyaxarem fefellerit. 5. Hyrcaniorū ad Cyrum legatio. 6. Cyri fœdus cum Hyrcaniis initum. 7. Varia Medorum erga Cyrum studia, & causæ. 8. Generosa Cyri oratio. 9. Cyro, copiisq; Cyri, noctu lux clarissima cœlitus oblata, quid portenderet, & in omnium animis quid effecerit. 10. Hyrcanij, quando, quomodo, cur ad Cyri castra transierint. 11. Cyrus alteram victoriam ab

hostibus industria sua reportat. 12. Crœsi fuga. 13. Cyrus qua ratione procurarit, ut suis militibus commeatus suppeteret. 14. Idem ad temperantiam, & continentiam suos hortatur. 15. Cyri de instituendo Persarum equitatu consilium, quod Chrysantæ iudicio, sententiaq; comprobatur. 16. Quibus conditionibus Cyrus captiuis salutẽ dederit, libertatem concesserit, omniaq; pristina bona restituerit. 17. Cyri obsonia, & potus. 18. Cyaxaris temulentia, inhumanitas, ac importunitas. 19. Cyri consilium de aliis militibus ex Persia arcessendis. 20. Cyri prudens ad Cyaxaris nuntium responsio. 21. Epistola Cyri ad Cyaxarem. 22. Cyrus de præda diuidunda, verba facit. 23. Idem suadet ut equi hostibus erepti Persis tradantur. reliqua præda singulis pro dignitate, meritisq;, tribuatur. Ac primum quidem ipsis Diis id eximendum censet, quodcumq; Magi ex sua disciplina declararint eximendum. Deinde vero Cyaxari seligenda, quæ ipsi gratissima fore crederentur. 24. Cyrus ingenuos homines in libertatem vindicat. 25. Gobryas Assyrius ad Cyrum venit. tempus, modus, causæ. 26. Regis Assyrii filius, vbi, quando, quomodo, cur, Gobryæ filium interfecerit. 27. Gobryas Cyrum orat, vt filii mortem vlciscatur.



YRVS, quum paulisper istic exercitum continuisset, ac suos paratos esse declarasset ad pugnandum, si quis egredi castris vellet: exeunte nemine, tanto suos interuallo, quantum ex re fore putabat, abduxit: castraq; metatus, & locatis excubiis, atq; præmissis etiam exploratoribus, ipse in medio consistens, ad militẽ conuocatũ huiusmodi orationem habuit: Primum equidem, Persæ, Deos laudibus prosequor, atq; idem vos facere arbitror: quod victoriã salui & incolumes adepti simus. Et ob hæc quidem Diis gratias, quibuscumq; rebus possumus, persoluere nos oportet. Vos autẽ non possum non equidẽ omnes collaudare. Nã quod gestũ est rei, cum magno vestrũ omnium decore patratum est. Verũ vbi ab iis, a quibus par est, sciscitatus fuero, quænã quisq; promeritus sit: tunc ex dignitate cuiusq; conabor & verbis & ipsa re præmia vobis tribuere. De Chrysanta quidem, cohortis præfecto mihi

Cyrus erga Deos & homines gratũ se declarat.

mihi proximo, ſciſcitari alios nõ neceſſe habeo, quũ ipſe norim, qualẽ ſe geſſerit. Nã & alia, quęcumq; vos etiam feciſſe arbitror, pręſtitit: & quũ ego pedem referre iuſſi, cõpellato nominatim ipſo, tametſi gladiũ ſuſtulerat, vt percuſſurus hoſtem: ſtatim tamen mihi paruit, 88 eoq; omiſſo quod facturus erat: id fecit quod imperabatur. Nã & ipſe ſuos abduxit, & aliis idem faciundum magna diligẽtia ſignificauit. Adeoq; prius extra tela cohortem abduxit, quam hoſtes animaduerterẽt, nos pedem referre: quamq; arcus tenderent, & tragulas in nos eiacularẽtur. Vnde fit vt & ſeipſum, & milites ſuos per obœdientiã incolumes ſeruet. Equidẽ alios quoſdã vulneratos video, de quibus, vbi conſiderauero, quo tempore vulnera acceperint, tum deinde ſententiã meam aperiã. Hunc vero Chryſantã, vt bellicis in rebus ſtrenuũ & prudentem, & ad parendũ, & imperandum idoneum, in præſentia quidẽ honore tribunatus adficio: & quum Deus aliquid aliud boni largietur, ne tunc quidem eius obliuiſcar. Quin vos etiã vniuerſos, ait, admonitos volo. Nã quæ modo in hac pugna vidiſtis, ea vobis apud animos veſtros nunquã non cogitanda ſunt: vt vobiſcum ipſi ſtatuatis, vtrũ virtute [illegible] an fuga: vtrum cũ iis, qui pugnare volũt, melius agatur, an cum illis, qui pugnare nolũt: cuiuſmodi voluptatem adferat victoria. Nã de his optime iam ſtatuetis quũ & periculũ feceritis, & res ipſa recens geſta ſit. Atq; hæc ſi cogitabitis, nimirũ meliores euaſuri eſtis. Nũc vt accepti Deo, & fortes, & moderati viri cœnã inſtruite, Diis libate, pæana præcinite, ſimul vt fiat id, quod imperatũ eſt, prouidete. Hęc quũ dixiſſet, equo conſcenſo auectus eſt, & ad Cyaxarem venit. Cũ hoc vbi cõmunẽ ex gratulatione mutua, ceu par erat voluptatẽ cepiſſet quæq; gererẽtur ibi, vidiſſet, ac nũ aliqua ipſi re opus eſſet rogaſſet: ſuũ ad exercitũ reuectus eſt. Milites eius, poſteaq̃ cœnati eſſẽt, & excubias locaſſẽt vti cõueniebat, quieti ſe dederunt. Aſſyrij vero, quorũ & princeps, & cũ hoc fere fortiſſimus quiſq; occubuerat, vniuerſi magno erãt in mœrore: multi etiã fuga noctu e caſtris dilabebãtur. Quæ quũ Crœſus, & reliqui ſocij viderent, animis angebantur. nam erãt omnia dira. præſertim vero maximum mœrorem vniuerſis adferebat, quod ea natio,

Regem ipſum intelligit, & infra.

cuius in exercitu principatus esset, nec animis nec con-
Assyrij, & ipsorũ socij fugiũt noctu.
siliis amplius sibi constare videretur. Itaque nocturna fu-
ga castra deserunt. Quum vero illuxisset, & solitudo in
castris hostium cerneretur: mox Cyrus Persas primos eo
traduxit. Reliquerant autem hostes permultas oues, &
89 boues multos, & multa multis bonis referta plaustra.
Deinde Medi etiã, qui erant cum Cyaxare, omnes tran-
sierunt, & hostium in castris prandium pararunt. Quo
peracto, Cyrus conuocatis suis cohortium præfectis in
hunc modum loquutus est: Qualia, milites, quantaque
bona diuinitus nobis oblata, dimittere videmur! Nam
videtis ipsi, metu nostri perculsos hostes fuga sibi con-
suluisse. Qui autem munitionibus, in quibus erant, de-
sertis aufugiunt: hos quonam modo possit existimare
quisquam substituros, vbi nos in planicie viderint? Qui
nos item minime sustinuerunt, quum nec dum experti
nos essent: quo pacto nunc sustinebunt, quum & victi
sunt, & multis a nobis incommodis adfecti? Quorum
fortissimi quique ceciderunt, quomodo vilissimi pug-
nare nobiscum velint? Heic quidã: Cur igitur non quam
celerrime, inquit, eos persequimur, quum tanta nobis
bona manifeste offerantur? Et Cyrus: Equis ad hoc no-
bis opus esset, ait. Hostium vero qui præstantissimi sunt,
& quos esset iam opportunũ maxime vel capere, vel oc-
cidere, domum equites redeunt. Eos deorum ope nos
in fugam quidẽ vertere potuimus, at idonei non sumus
ad capiendum eos persequendo. Cur igitur, inquiunt,
Cyri de persequẽdis hostibus consilium.
non Cyaxarem accedis, atq; hæc ipsi exponis? Vos vero
ait, omnes vna me sequimini, vt omnibus nobis hæc pla-
cere videat. Itaq; vniuersi tum Cyrũ sequebantur, & quæ
viderentur ad rem, quam postulabant, accommodata,
dicebant. Cyaxares partim, quod ipsi primi de hoc retu-
lissent, quasi subinuidebat: partim, quod recte se fortasse
facturum existimaret, si rursum periculo se non expone-
ret, (nam & ipse hilaritati tunc indulgebat, & complu-
res Medos idem facere videbat) in hũc modum respon-
dit: Inter homines ceteros Cyre, vos Persas maxime hoc
Cyaxares negat persequẽdos.
operam dare, vt immodice nulli voluptati addicti sitis,
equidem & oculis & auribus cognoui. Mihi vero multo
magis expedire videtur, vt in maxima voluptate conti-

nentiam

nentiam aliquis suam declaret. Quid vero voluptatem hominibus maiorem conciliauerit, quam fortuna prospera? quæ quidem hoc tempore nobis obtigit. Si ergo quum res nobis secundæ sint, prudenter hanc conseruemus; fortassis in vita beata sine periculis senescere possimus. Sin eius nulla nos capiet satietas, sed aliam ex alia persequi conabimur: videte, ne idē nobis accidat, quod accidisse multis in mari dicitur, vt elati fortuna prospera finem nauigandi facere nollent, donec interirent: iti- 90
demq; multis, qui victoriam adepti, dum alteram expeterent, priorē quoq; amiserunt. Nam si hostes, qui sunt in fuga, pauciores nobis essent, fortasse tutum esset pauciores persequi. Nunc vero consideres velim, cum quantula ipsorum parte nos omnes prœlio congressi, vicerimus. Ceteri pugna abstinuerunt, quos si ad pugnandum non cogemus, & nostrum & sui ipsorum ignari, propter imperitiam, & animi molliciem, discedent. Sin animaduertent, nihilo se minus in periculo fore, si abeant, quam si resistant: vide, ne cogamus eos, vt præter animi sententiam fortiter se gerant. Nam scire debes, non tam illorum vxores ac liberos capiundi te cupidum esse, quam illi seruandi sint cupidi. Feras fuisse cogita, posteaquam conspectæ sunt, cum subole sua fugere, tametsi multæ numero sint. At si quis subolem venetur, non iam amplius, ne si vna quidem sit, fugit: sed eum, qui capere conatur, inuadit. Nunc quidem intra munitionem occlusi, potestatem nobis fecere velut e penu quodam promendi, & pugnandi cum tanto ipsorum numero, quanto nobis visum esset. At si lata in planicie cum ipsis congrediemur, diuisisque copiis discēt partim nobis a fronte, quemadmodum modo accidit, obsistere: partim ab latere vno, partim ab altero, partim denique a tergo: vide, ne cuique nostrum multis & oculis & manibus futurum sit opus. Præterea nolim, inquit, Medos equidem quos nunc hilaritati indulgere video, surgere iussos ad periculosum iter cogere. Cuius sermonem Cyrus excipiens: Neminem vero coegeris, ait: sed illos mihi tantum concedito, qui lubentes sequentur. Fortassis etiam ita redibimus, vt & tibi, & amicis hisce tuis singulis adferamus ea, quæ grata omnibus futura sint. Nos enim totas

G

Callidum Cyri consilium fallendo Cyaxari.

hostium copias non persequemur. nam quo pacto possi-
mus eas adsequi? verũ si quid vel auulsũ ab exercitu nan-
cti erimus, vel a tergo relictum: id ad te redeuntes ad-
ducemus. Enimuero tu quoq; cogita nos rogatu tuo ve-
nisse longo itinere, vt tibi rem gratam faceremus, Itaque
te vicissim nobis gratificari æquum est, vt & ipsi aliquo
cum emolumento domum redeamus, & omnes ad the-
saurum tuum non respiciamus. Heic Cyaxares: Si quis,
inquit, sponte sua te sequatur, equidem tibi gratiam
quoque habiturus sim. Mitte igitur mecum quemdam
de tuis hisce fide dignis, vt quæ tu iusseris, exponat. Age
91 vero, inquit, quemcumque horum volueris, accipe. For-
te Medus ille aderat, qui aliquando cognatum se Cyri
dixerat, & osculum ab eo tulerat. Itaq; mox Cyrus: Suffi-
cit, ait, hic mihi. Licet ergo, inquit, te sequatur. Tuque
adeo dicito, ait, vt eat cum Cyro, qui volet. Ita recepto
Cyrus ad se homine, quum exisset, statim dixit: Iam sa-
ne declarabis, verum ne loquutus sis, quum te diceres
voluptatem ex adspectu mei capere. Equidem te non
deseram, inquit Medus ille, si quidem hoc dicis. Et Cy-
rus: Ergone ceteris itidem, ait, hæc studiose expones?
Ille Iouem testatus: Profecto, inquit, donec efficiam, vt
etiam tu me libenter adspicias. Missus igitur a Cyaxare,
quũ alia Medis animo promto denuntiauit: tum etiam
addidit, se a viro præstantissimo & pulcherrimo, atque
etiam quod maximum esset, a Diis oriundo, abesse nolle.

Cyrus Medi opera, de quo libro primo, vtitur.

Hyrcaniorum ad Cyrum legatio.

Dum hæc a Cyro geruntur, diuinitus quodammodo ac-
cidit, vt ab Hyrcaniis nuntij venirent. Sunt autem Assy-
riis Hyrcanij finitimi, natio non illa quidem magna, qua
etiam de causa imperio Assyriorum subiecti erant: sed
equestris tamen & tunc fuit habita, & adhuc habetur.
Idcirco vtebantur opera ipsorũ Assyrij, quemadmodum
Lacedæmonij Sciritarum: nec in laboribus, nec in peri-
culis eis parcebant. Atq; hoc ipso tempore iusserãt, vt a-
gmen ipsi extremum tuerentur, qui erãt equites circiter
mille numero: vt si quod a tergo periculum immineret,
id ante se subirent. Et Hyrcanij, quod vltimo loco iter
facturi erant, etiam currus suos, & domesticos, vltimos
habebant. Nam pleræque nationes Asiaticæ in expedi-
tionibus eos, quos habent in familia, secũ ducunt: quem
morem

morem Hyrcanij hac etiam in expeditione seruabant. Quumq; ad animos eis accidisset, cuiusmodi quædã ab Assyriis perpeterẽtur, & horum principẽ e viuis excessisse, victos ipsos esse, magno exercitũ metu teneri, socios deiectis esse animis, ac deficere: hęc quũ secum ipsi cogitarẽt, visum est opportune, hoc tempore defectione fieri posse, si secum Cyri exercitus hostes adoriri vellet. Itaq; nuntios ad Cyrum mittũt, cuius nomini a prœlio maxima celebritas accesserat. Qui missi erãt, exponunt Cyro, iure se Assyrios odisse: ac si quidem eos hoc tempore adgredi vellet, se quoq; socios ac duces itineris futuros: simulq; cõmemorabant, quo loco res hostiũ essent, quod eum excitari maxime ad expeditionẽ hanc suscipiẽdam 92
cuperẽt. Et Cyrus eos interrogãs: An existimatis, inquit, nos adhuc eos adsequuturos prius quã intra munitiones se recipiant? Nam hoc ipsum nos magnæ cladis loco ducimus, quod clam nobis aufugerint. Ea vero dicebat, q illos fiducia sui maxime confirmari vellet. At illi responderunt, etiã postridie fieri posse, si statim a diluculo expediti pergerent, vt eos adsequerentur. Nã præ turba, & plaustris eos tarde iter facere: ac prætcrea, quod nocte superiore vigilassent, idcirco iam paulũ progressos castra fecisse. Ergone fidei pignus aliquod habetis, quo planum nobis fiat, vos in eis, quæ diciris, veraces esse? Obsides, inquiunt, actutũ hinc profecti, hac nocte vobis adducere volumus. Tu modo Diis testibus fidẽ nobis dato, dextraq; iungito, vt quæ abs te acceperimus, ad alios etiam adferamus. Secundũ hæc fidem eis dedit, si præstent ea quæ polliceantur, ita se illos omnino & amicorũ & fidorum hominũ loco habiturum: vt deteriori apud se cõditione nõ essent, quam vel Persæ vel Medi. Atq; hac etiã tempestate videre est, & fidẽ Hyrcaniis haberi, & eosdem nihilo sequius ad magistratus gerendos admitti, quam qui de natione Persarũ & Medorum iisdẽ digni videntur esse. Cyrus posteaquã cœnati essent, copias eduxit, quũ adhuc luceret, iussitq; Hyrcanios opperiri, vt vna proficiscerentur. Ac Persæ quidẽ vniuersi ceu par erat, statim castris egrediebantur, itidẽq; Tigranes suis cum copiis. Medorũ autem alij prodiere, quod pueri cum Cyro puero amicitiã contraxerant; alij, quod eius cõsuetudine in

Cyri cum Hyrcaniis fœdus.

Medorum diuersis de caussis erga Cyrum studia.

venationibus vsi mores ipsius admirati fuissent: alij, quod gratiã ipsi haberent, qui metum eis ingentẽ depulisse videretur: alij, spe concepta, quod Cyrum virtute præstare pareret, etiam valde felicem & magnũ aliquando futurum: alij quod vicissim gratam ei rem facere vellent pro collatis in se beneficiis, dum apud Medos educaretur. Et multis sane multa commoda, quæ humanitas eius erat, apud auum confecerat. Multi etiam, quum & Hyrcanios cernerent, & rumor esset diditus, hos ad optimam prædam eis duces futuros, illa ipsa de causa proficiscebantur, vt aliquid consequerentur. Ita factũ, vt & Medi prope vniuersi prodirent, extra eos, quicumque Cyaxaris forte in contubernio erant. Nam hi, cum subiectis imperio suo, manebant. Ceteri omnes lætis & alacribus animis illinc mouere, veluti qui non coacti, sed sponte sua,
93 gratificandique studio prodirẽt. Quum vero iam egressi essent, primum medos adit, iisque collaudatis precatus est: maxime quidem, vt Dij propitij, & ipsis, & sibi duces essent: deinde, vt & ipse gratiam eis pro hoc studio referre posset. Tandem pedites præituros dixit, vtq; cum equis ipsi sequerentur, iussit. Ac sicubi vel requiescerent, vel in itinere subsisterent: mandauit, ad se quidam equis adueherentur, vt quid pro tempore fieri oporteret, cognoscerent. Secundum hæc iussit vt duces itineris Hyrcanij præirent. Illi vero interrogantes: Cur non exspectas, inquiũt, donec obsides adducamus, vt & tu fide prius a nobis accepta, progrediaris? Respondisse tum Cyrus fertur:
Magnanima Cyri oratio. Equidem cogito, habere nos omnes fidei pignus in animis & manibus nostris. Sic enim instructi nobis videmur, vt abunde nobis suppetat facultas adficiendi vos beneficiis, si veraces inueniamini: sin vti fraude velitis, ita nos comparatos existimamus, vt minime nos in potestate vestra, sed vos potius in nostra, Diis volentibus, futuri sitis. Et vero, Hircanij, quia postremo loco vestros proficisci dicitis: vbi eos videritis, significate nobis, illos esse vestros, vt eis parcamus. His auditis Hyrcanij, & pręibant vt duces itineris, quemadmodum Cyrus mandarat, & animi robur admirabantur. neque iam Assyrios, neq; Lydos, neque socios horum amplius metuebant: sed vnum hoc, ne Cyrus vllo modo parũ in ipsis esse momenti

menti situm existimaret, siue secum eos haberet, siue non haberet. Quum autem progrederentur, & nox adpetiisset, proditum est, Cyro & exercitui lucem clarissimam cœlitus oblatam fuisse: quo factum vt in animis omnium quidam horror erga numen diuinũ, & in hostes confidentia existeret. Et quia expediti celeriterq; pergerent, par est credi, magnum ab ipsis iter confectum esse. adeoque cum ipso crepusculo prope ab Hyrcaniorum copiis aberant. Id quum nuntij animaduertissent, referũt Cyro, hos esse suos. Nam hoc & inde se intelligere, quod essent vltimi, & de igniũ copia. Tum ille, misso ad ipsos altero, iubet, eis dicat: si quidem essent amici, statim elatis in sublime dextris occurrerent. Quosdam etiam suorum adiungit, quibus mandat, Hyrcaniis dicerent, futurum, vt in ipsos ita se sui gererent, quemadmodum eos in se ferri viderẽt. Ita nuntius alter apud Cyrum remanet, alter ad Hyrcanios prouehitur. Interea vero, dum quid Hyrcanij facturi essent, cõsiderabat Cyrus, exercitum subsistere iussit. Tum aduecti ad eũ principes Medorum, ac Tigranes, quid faciendum esset, interrogabant. Quibus ille: Agmen hoc proximum, inquit, Hyrcaniorũ est, ad quos nuntiorũ alter abiit, cumque hoc de nostris aliqui significaturi eis, vt si quidem amici sint, elatis in altum dextris omnes occurrãt. Quapropter si hoc pacto accesserint: dextris eos suo quisque loco excipite, simulque animum ipsis addite: sin arma expedierint, aut fugæ consilium ceperint, date operam, ne quis ex hostium primis hisce supersit. Huiusmodi Cyrus præcipiebat. Interea nuntiis auditis, Hyrcanij gaudio efferri, equisque celeriter conscensis, adesse: dextras, vti denuntiatum fuerat, protendere. Medi ac Persæ vicissim porrectis dextris eos excipere, atque etiam animos eorum confirmare. Deinde Cyrus: Nos quidem, inquit, vobis iam fidem habemus, Hyrcanij, ac vos itidem erga nos adfici conuenit. Sed hoc primũ nobis dicite, quantũ distet hinc is locus, vbi hostium magistratus, & totæ copiæ sunt? Responderunt illi, paullo maius interuallũ esse parasanga. Heic Cyrus: Agite ergo, inquit, vos Persæ, Medi, Hyrcanij, (nam vos etiam modo tamquam auxiliares & socios adpello) plane sciendum nobis est, eo res

nostras esse loco, vt si molliter & remisse agamus, grauissima quæq; mala nobis euentura sint. non enim ignorant hostes, quarum rerum caussa huc aduenerimus. sin totis viribus irruentes, fortiter animoseq; hostē aggrediemur: illico videbitis eos, seruorum fugitiuorum more, qui reperiuntur, alios ritu supplicum vti, alios aufugere, alios ne ad hæc quidem posse animos intendere. Nam victi nos adspicient, ac nihil minus existimabunt, quam nos aduentare: non in ordines dispositi, nō ad pugnam parati deprehendentur. Quamobrem si suauiter & cœnare, & noctem hāc exigere, & viuere deinceps volumus: nec spatiū eis consultandi concesserimus, nec parandi, quod ipsis ex vsu sit, adeoq; ne animaduertendi quidem, quod homines simus: sed non nisi crates, & copidas, & secures, & ictus ac vulnera venisse putent. Et vos quidem Hyrcanij, ait, vosmet nobis prætendendo anteriore loco pergite, quo vestris armis conspectis quā longissimo tempore hostes fallere possimus. Verum vbi ad hostium ego copias peruenero, cohortē equitum apud me singuli relinquite, quibus ipse apud exercitum manens vtar, sicubi opus fuerit. Vos autem, qui principes estis, & ætate prouectiores, ordinibus seruatis cateruatim procedite, si sapitis; ne in confertas hostium copias delati, per vim repellamini: iunioribus persequendi potestatem facite, qui hostes obtruncent. Nam id tutissimum hoc tempore fuerit, vt ex hostibus quam paucissimos superstites relinquamus. Quod si accidat id, quod multis vsu uenit, qui rerum potiuntur, vt euertamus ipsorum fortunam; cauendum erit, ne ad prædam nos conferamus. Nam qui hoc facit, non miles & vir est, sed sarcinarius calo: quem vti mancipium tractare cuiuis licet. Illud autem sciamus oportet, victoria nihil esse quęstuosius. Nam qui victor est, is simul omnia corripit, viros, mulieres, opes, regionem vniuersam. Ad hæc vnicū illud videndum, vt victoriam conseruemus: quippe qua etiam raptor ipse continetur. Deniq; memineritis inter persequendum, vt ad me, dum adhuc lucebit, redeatis. Postquam enim tenebræ accesserint, neminē admissuri sumus. Hæc loquutus vnumquemq; suos ad ordines dimisit, simulq; iussit, vt quum ad suos venissent, quilibet decurioni-

curionibus suis hæc significaret. Nam quia in fronte decuriones erant, audire poterant. Decurionũ vero quemque iuberent eadem decuriæ suæ denuntiare. Secundum hæc antecedebant Hyrcanij, & Cyrus cum Persis medium agmen tenens iter faciebat. Equites ex vtroque latere, ceu par erat, disposuit Quum autẽ illuxisset, hostium alij ad ea, quæ cernebãtur, obstupescebant: alij iam quid ageretur, animaduertebant: alij nuntiabant: vociferabantur alij: alij soluebant equos: alij vasa colligebant: alij de iumentis arma deiiciebant: alij ea induebant: alij in equos insiliebant: alij fræna eis iniiciebant: alij vehiculis vxores imponebant: alij res maximi pretij sumebant, tamquam eas conseruaturi: deprehendebantur alij, qui huiusmodi defodiebant: maxima vero pars fugã inibat. Etiam alia multa variaq; fecisse tunc eos existimare licet, extra illud vnum, quod nemo pugnabat, sed sine prœlio peribant. Crœsus Lydorum rex mulieres, quod æstas esset, noctu carpentis præmiserat, vt in frigore facilius iter facerent: ipse cum equitatu subsequebatur. Eadem fecisse perhibent etiam Phrygem illum, qui sitæ ad Hellespontum Phrygiæ imperabat. Verum vbi fugere quosdam, & ad se iam peruenire senserunt: comperto quid fieret, etiam ipsi summa virium contentione fugerunt. Cappadocum regem, & Arabum, qui prope adhuc erant, & absque loricis resistebant, Hyrcanij trucidant. Itidem qui interficiebantur, maxima ex parte Assyrij & Arabes erant. Nam quod suam in regionem venissent, perquam lente progrediebantur. Dum Medi & Hyrcanij patrarent huiusmodi quædam inter persequendum, qualia consentaneum est victores facere: Cyrus equitibus apud se relictis mandat, vt circum castra obequitarent, ac si quos armatos exire viderent, eos occiderent: remanentibus per præconem edicebat, vt quicumque milites hostium vel equites essent vel cetrati, vel sagittarij: arma colligata adferrent, equis ad tabernacula relictis. Hæc quicumque non faceret, mox capite plecteretur . . . . & cum copidibus strictis in ordine circumstabant. Itaque ij, quibus erant arma, vnum in locum illa delata abiiciebant, vbi Cyrus iusserat: quæ deinde concremabant illi, quibus

Altera victoria Cyri sollertia parta.

96

Crœsi fuga.

Cyrus de procuratione commeatus cõsilium capit.

hoc negotij dederat. Quum vero in mentem Cyro venisset, neque se ab esculentis, neque a potulentis instructos accessisse, sine quibus nec vlla suscipi expeditio, nec fieri quicquam aliud queat: consideraret autem quo pacto & celerrime copiam horum & rectissime parare posset: animaduertit, omnibus militantibus opus esse quodam, qui & tabernaculi, & rerum necessariarum, vt eæ paratæ militi aduentanti essent, curam gereret. Itaque intelligens, esse vero consentaneum, maxime tunc illos in castris deprensos ac repertos esse, colligẽdis videlicet vasis intentos: per præcones edixit, vt procuratores Castrenses omnes adessent, & sicubi procurator nonnullus esset, maximus natu e tabernaculo veniret: grauissima quæq; interminatus iis, qui nõ paruissent. Illi quum etiam dominos obtemperare cernerent, statim paruerunt.
97 Quum adessent, primum sedere iussit illos, quibus esset plus in tabernaculo commeatus, quam pro duobus mensibus. Hos quum adspexisset, rursus imperat, vt sederent, quibus esset vnius mensis cõmeatus. Ibi tum fere omnes adsederũt. Quumq; hæc comperisset, his eos verbis adlocutus est: Agite vero, inquit, o viri, quicumque vestrum mala exosi estis, & boni quidpiam a nobis consequi cupitis, promtis animis procurate, vt quolibet in tabernaculo cibi ac potus plus duplo paratum sit & dominis & famulis, quã cottidie parare consueuistis. Quin & alia parata sint omnia facite, quæcumque dapes effectura sint bonas. Quippe mox aderunt, vtricumq; vicerint, æquumq; putabunt esse, vt res necessarias omnes adfatim habeant. Itaque scire vos volo e re vestra futurum, si eos sine querela exceperitis. Hæc illi quum audissent, magno studio imperata faciebant.

Cyrus ad temperãtiam continẽtiamque suos hortatur.

Cyrus autem conuocatis cohortium præfectis, huiusmodi quædam ad eos protulit. Non ignoramus, amici, licere iam vobis, vt priores prandeatis ante cõmilitones illos nostros, qui absunt, adeoque paratis exquisite cibis ac potu fruamini. Verum arbitror equidem, plus ex hoc prandio nos
„ vtilitatis minime percepturos: quam si pareat, de sociis
„ nos esse sollicitos: neque tantum vinum nobis additurũ
„ esse hoc conuiuium, quantum si perficere possimus, vt
„ horum commilitonum nostrorum studia nobis constẽt.

Quod

Quod si eos, qui iam persequuntur, & interficiunt hostes
nostros, & cum resistentibus prœlio decertant, vsq; ad-
eo negligere videbimur, vt etiam prius quam cognoue-
rimus, quid rerum agant, prandeamus: vereor, ne tur-
pitudinis manifestæ macula nosmet adspergamus, & in
penuria sociorum vires nostræ debilitentur. At vero cu-
ram eorum gerere, qui & labores perferunt, & periculis
semet exponunt, vt aduentantes scilicet res habeant ne-
cessarias: hoc vero epulum multo nos magis exhilara-
uerit, de mea quidem sententia, quam si statim ea, quæ
gulæ grata sunt, faciamus. Etiam hoc cogitetis velim,
vt ipsos maxime reuereri non debeamus: nihilo tamen
minus alienam a nobis & satietatē nimiam, & temulen-
tiam esse debere. Necdum enim confecimus ea, quæ
volumus; sed constituta nunc in acie discriminis omnia
studium diligentiæ requirunt. Nam in castris hostes ha-
bemus numero longe plures nobis ipsis, eosque solutos:
a quibus adhuc cauere nos conuenit, & eosdem custo-
dire, vt sint, qui nobis res necessarias parēt. Absunt præ- 98
terea nobis equites, qui quidem sollicitudinem nobis
adferunt, vbi nam sint: ac si redeant, mansuri ne sint
nobiscum. Quapropter, mea quidem sententia, cibus
eiusmodi hoc tempore potusque nobis est sumendus,
cuiusmodi quis existimet ad hoc idoneū maxime, vt nec
somno nec dementia repleamur. Scio itidem magnam
in hisce castris pecuniæ copiam esse: de qua non ignoro
fieri posse vt nos auertamus, quantam voluerimus: vtut
illa nobis sit cum iis, qui nobiscum eam capere, commu-
nis. Verum non tam nobis futurum ego fructuosum ar-
bitror, si has ipsi sumamus, quam si iustos illis nos decla-
remus: atque hoc ipso id comparemus, vt nos maiori,
quam modo, beneuolentia complectantur. Etiam ipsa-
rum pecuniarum diuisionē Medis, & Hyrcaniis, & Ti-
grani postquam aduenerint, permittendam arbitror: ac
si minus quoque nobis tribuerint, id ipsum in lucro po-
nendum esse. Nam ob hæc lucra lubentius nobiscū ma-
nebunt. Nos quidem hoc tempore commodi proprij ra-
tionem habere, parum duraturas opes nobis conciliarit.
Verum his neglectis illa parare, vnde diuitiæ nascuntur:
hoc nimirum meo iudicio nobis ac nostris omnibus opes

» ſuppeditare magis perennes poſſit. Arbitror autem pro-
» pterea domi quoq; nos adſuefactos ad frænandam libi-
» dinem gulæ pariter, & intempeſtiui quæſtus: vt vtroq;,
» quum ita res exigit, commode poſſimus vti. Quibus au-
» tem in rebus potioribus, quam præſentibus, edere quea-
» mus diſciplinæ ſpecimen; equidem non video. Hæc Cy-
ri fuit oratio, quam Hyſtaſpas Perſa, vnus ex æqualium
numero, huiuſmodi verbis comprobauit. Abſurdũ nem-
pe fuerit, Cyre, nos in venatione quidem ſæpenumero
ciborum ab vſu toleranter abſtinere, quadam vt fera po-
tiamur, eaq; non admodum magni pretij: at in conatu
venandi ſolidam felicitatem & opulentiam, ſi nobis ea
patiamur eſſe impedimẽto, quæ prauis illa quidem ho-
minibus imperiosè dominantur, ſed bonis ac fortibus
cedunt, non exiſtimari debere, fieri quiddã à nobis, quod
minimè deceat. Hoc modo Cyri ſententiam Hyſtaſpas
adprobauit, omnibus etiam aliis adſentientibus. Et Cy-
rus: Agite verò: inquit, quando de his eadẽ eſt omnium
noſtrum ſententia: mittite de ſuo quiſq; manipulo viros
quinq; inprimis ſerios qui per caſtra circumeuntes, col-
laudent eos, quoſcunq; res neceſſarias parare viderint:
in neglig ẽtes autem nihilo parciùs, quàm ſi eſſent ipſo-
rum domini, animaduertant. Et hæc quidem illi facie-
bant. Medorum verò quidam, quum partim plauſtra re-
bus exercitui neceſſariis referta, quæ dudum è caſtris ho-
ſtium exceſſerant, adſequendo reuerti coegiſſent, adue-
99 hebantur. partim intercepta carpenta cum præſtantiſſi-
mis mulieribus, quas vel coniuges legitimas, vel concu-
binas ſuas, formæ cauſſa viri ſecum ſumſerant, ad caſtra
adducebant. Nam Aſiatici quũ expeditiones inſtituunt,
ſic eas hodieq; ſuſcipiunt: vt res maximi pretij ſecum ſu-
mant. Aiunt enim, ſe pugnandi auidiores eſſe, quum eæ
res adſunt, quas ſibi cariſſimas habent: quaſi has animo-
sè defendendi neceſſitas eis imponatur. Ac fortaſſis ita ſe
res habet, aut etiam fortaſſis hæc, vt voluptati indulge-
ant, faciunt. Cyrus, quum Medorum & Hyrcaniorũ fa-
cinora cerneret; ipſe ſibi ac ſuis quaſi ſuccenſebat; quòd
alij viderentur ipſos hoc tempore vigore quodam ſupe-
rare, atq; etiam aliquid adquirere, dum ipſi loco ab ex-
ercenda induſtria remotiori hærerent. Nam qui prędam
adduce-

adducebant, commonstratis Cyro rebus iis, quas adferebant: rursum persequuturi ceteros hostes aueheban-tur. Id enim vti facerent, imperatum sibi suis ad præfectis aiebant. Quę res tametsi mordere Cyrum, suis tamen illelocis singula reponere. Conuocatis autem denuo cohortium præfectis, quum ita constitisset, vt audiri, quæ dicerētur, possent: hæc protulit: Arbitror ego vos omnes animaduertere, amici, Persas vniuersos bonis ingentibus collocupletatū iri, maximisq; adeò nos ceu par est, quorum adquiruntur opera: si quidē illis, quæ iam ante nobis in cōspectu sunt, potiemur. Verum quo pacto nos his potiri queamus, quum, a nobis ad ea comparanda, non satis virium nobis suppetat, nisi proprium equitatum Persæ habeant, equidem non video. Nam velim vobis in mentem veniat, ait, nos Persas instructos iis armis esse, quibus hostes comminus nobiscum congressos videmur in fugam vertere posse. Verum vbi iam eos in fugam verterimus, quosnam vel equites, vel sagittarios, vel cetratos, vel iaculatores fugientes aut capere possimus, aut interficere, quum ab equis, destituamur? Quinam itidem contra nos tendere formident, ac maleficiis nos infestare, siue sagittarij siue iaculatores, siue equites: quum certo sciant, nihil esse periculi, ne plus a nobis detrimenti accipiant, quam a consitis arboribus? Quæ quum ita sint, annon perspicuum est, illos equites qui modo nobiscum sunt, existimare vniuersa hæc quæ capta sunt, non minus esse sua, quam nostra? Immo profecto magis etiam fortasse. Sic ergo res iam necessario comparatæ sunt. At vero si nos equitatū paremus, nihilo deteriorē horum equitatu, annon clarissime paret omnibus, futurum, vt aduersus hostē ea sine his geramus, quæ cum his modo gerimus, & vt hos ipsos erga nos modestiores experiamur? 100 Minus enim curæ nobis erit, velintne illi adesse, vel abesse: si nobis ipsis, etiam absque his, suffecturi nosmet simus. Verum mittamus hæc. meo certe iudicio nemo sententiæ huic aduersabitur, quin omnino præstet, Persas proprium equitatum sibi parare. Sed vos fortasse, quo pacto confieri hoc possit, cogitatis. Consideremus ergo, si quidem equitatum instituere volumus, quid nobis adsit, & a quo desti-

Cyri de instituendo Persarum equitatu consilium.

tuamur. Sunt igitur hi nobis equi multi numero, capti in castris sunt fræna, quibus ad parandum adsuefiunt: sunt alia, quibus opus est ad vsum equorum. Quin & illa nobis suppetunt, quibus vti eques debet, nimirum loricæ, muniendis corporibus, & tragulæ, quibus & eiaculandis, & retentis, vti possumus. Quid ergo reliquum? Palam est, viris esse nobis opus, quod quidem potissimum habemus. Nihil enim adeo nostrum est, atque nosmet nobis sumus. At enim dixerit fortasse quidam, nos imperitos esse. Ne quidem illorum quisquam profecto, qui iam periti sunt, prius, quam disceret, peritus erat. Forte quis obiecerit, eos, dum pueri essent, didicisse. An ergo pueri plus mentis habent ad discendum ea, quæ dictantur, & monstrantur, quam viri? Vtris, postquam didicerint, ad exercendum ea, magis idonea corpora sunt, pueris, an viris? Quin etiam tantum nobis est ad discẽdum opportunitatis & otij, quantum nec pueris, nec aliis virilis ætatis. Non enim sagittandi nobis est ars discenda, sicut pueris, quum hanc iam ante tenemus: neque iaculandi, quod illam quoque non ignoremus. Nec item nobis accidit, quod hominibus ceteris: quibus negotium partim agrorum cultura, partim artificia, partim aliæ domesticæ res exhibent. Nobis ad tractandã rem militarem nõ otium duntaxat est, sed etiam necessitas imponitur. Præterea nõ heic est, quod in aliis multis rebus ad bellum necessariis: quæ sunt illæ quidem vtiles, sed difficultatem habent. An non equitatio iucundior est in itinere, quam pedes incedere? an non in festinando iucundum est celeriter, si sit opus, amicum conuenire: celeriterq; vel hominem, vel feram, si poscat vsus, persequendo intercipere? An non est commodum ac leue quodcumque armorum genus ferendum sit, id vna gestari ab equo? Nimirum idem est, & habere illa, & gestare. Quod autem maximè quis vereri possit, ne si necesse sit in equo prius nos periculum prœlij subire, quàm equitandi rationem accurate teneamus, tum deinde neque pedites amplius simus, neq; satis idonei equites: hoc ipsum adeo non omnino est explicatu difficile. Nam vbicumq; voluerimus, mox nobis licebit, vt pedites dimicemus. Quippe disciplinã equestrem edocti, nihil eorum,

quæ

quæ pedites sciũt, dediscemus. Hæc Cyri fuit oratio, quã Chrysantas adprobans, in hunc modum loquutus est: Equidem, inquit, vsque adeo equitandi artem discere cupio, vt existimem, me hominem volatilem fore, si eques factus fuero. Nam modo satis mihi fuerit, si cum aliquo currere pariter adgressus, solo capite ãteuertam: & si feram prætercurrentem videam, ita contento cursu præuertere possim, vt prius eam vel iaculo, vel sagitta feriam, quam procul admodũ euaserit. At eques si factus ero, virum interficere tanto ex interuallo potero, quanto conspectus a me fuerit: & feras persequens, partim eas potero comminus interceptas, partim quasi stantes iaculando ferire. Nam si velocia duo sint, propius ad se delata, quodam modo stare videbuntur. Quo autem nomine, inquit, maxime cunctis ex animalibus hippocentauros, si qui fuerunt, admirari soleo, quod & humana prudentia consilium caperent prius: & quod opus esset manibus efficerent, & equi celeritatem ac robur haberent ad capiendum id, quod fugeret, & prosternendum, quod subsisteret: hæc vniuersa & ipse factus eques, in me conferam. Mente humana prouidere cuncta potero, manibus arma geram, persequar equo, & eiusdem robore aduersarium prosternam. Neque tamen vt hippocentauri concretus equo adligabor: quod quidẽ melius est, quam a natura equo adhærescere. Nam hippocentauros equidem ignorasse arbitror, quo pacto plerisque commoditatibus ab hominibus inuentis vtendum esset: quoque pacto multis rebus iucundis quas equis natura concessit, frui conueniret. Ego vero si equitare didicero, quum in equo consedero, quæ hippocentauri sunt, faciam: quum descendero, hominum reliquorum more & cœnabo, & vestiar, & dormiã. Quare quid aliud futurus sim, quam hippocentaurus, qui & diuidi & rursum componi poterit? Ero præterea hac etiam in parte meliori condicione, quã hippocentaurus. Nã oculis ille duobus prospiciebat, & aurib. duabus audiebat. Ego vero quatuor oculis vtar in explorãdo, & auribus quatuor præsentiã. Aiunt enim equum oculis multa prospicientem homini significare, & indicare itidẽ multa, quę auribus ipse prius percipiat. Itaq; me illorũ in numerũ refer, 102

Chrysantas idem, quod Cyrus, suadet.

» qui equitare cupiunt. Et nos quoque profecto inquiunt reliqui omnes. Tum Cyrus: Quid igitur? ait, quando nobis hæc mirifice probantur, legemne nobis ipsis feremus, vt turpe sit quemquam eorum, quibus equos ego suppeditauero, peditem in profectione conspici, siue adeo magnum siue paruum iter faciendum sit: vt omnino nos hippocẽtauros, esse homines arbitrẽtur? Hęc illo rogante, simul adscensi sunt omnes, Quo fit, vt hoc ipsum inde vsque ab eo tempore Persis nunc etiam in more sit, neque quisquam e Persis elegantioribus vsquam pedes incedere, sua quidem sponte, conspiciatur. His igitur illi tum sermonibus intẽti erant. Posteaquam vero iam meridies præteriisset, aduentabant equites Medi & Hyrcanij, secumque tum equos tum homines adducebãt. Non enim occiderant quemquam eorum, qui arma tradiderant. Quum aduenissent, primum eos interrogabat Cyrus, an omnes sibi salui adessent. Quum adnuissent, ita deinde quid rerum gessissent, quærebat. Illi quæ perpetrassent, narrabant: & quam fortiter singula, magnifice prædicabant. Et Cyrus, quum omnia, quæ dicere volebant, lubenter audisset: hunc eos in modum etiam collaudauit. Satis adparet, inquit, quod fortiter vosmet gesseritis. Nam & grandior, & pulchrior, & acrior est species vestra, quam prius: Inde quãtum itineris confecissent, interrogabat: & an incolas regio haberet. Respondebãt illi, se † per maiorem eius partem prouectos, totamque regionem habere incolas, & esse refertam ouibus, capris bobus, equis, frumento, & cõmodis omnibus. Duo nobis inquit, curanda sunt, tum vt superiores simus iis, qui hæc

lectio marginis.

» possident: tum vt illi maneant. Nam, quæ incolas habet,
» regio magni pretij possessio est: eademque si ab homini-
» bus deserta sit, etiam commodis ipsis caret. Scio trucidatos a vobis eos, qui se defendebant: ac recte quidem a vobis factum. Nam hoc victoriã imprimis conseruat. Qui autem . . . . tradiderunt, eos captiuos fecistis: quos si quidem dimittimus, facturi hoc, vt equidem aio, nostro cum commodo sumus. Primum neque cauere ab his, neque custodire nos eos necesse fuerit, neque cibos eis parare. Non enim certe fame eos necabimus. Deinde his dimissis, pluribus etiam captiuis vtemur. Nam si regione po-

Cyri de captiuis sententia.

ræ potiti fuerimus, omnes eius incolas captiuos habebimus. Magisque adeo ceteri, quum hos viuos dimissosque videbunt, mansuri sunt: & parere potius volent, quã prœlio decernere. Hæc mea sententia est. Si quid alius quisquam melius videt, proferat. Illi hæc audita faciũda consentiebant. Itaque Cyrus aduocatos captiuos his verbis adloquitur: Animas vestras conseruastis, viri, eo ipso, quod paruistis: ac si deinceps vos ita gesseritis, nihil mali vobis accidet, extraquã quod idem, qui ante hac, vobis non imperabit. incoletis autem domos easdem, & idem solum excoletis, & earumdem mulierum consuetudine domestica vtemini, & itidem vti modo, in liberos vestros vobis erit imperium. Neque tamen aduersus nos, vel quemquam alium pugnabitis. Ac si quis alius iniuriam vobis intulerit, nos ipsi pro vobis pugnabimus. Ne quis vero militiam vobis imperet, ad nos arma deferte. Ea qui detulerint, tum pacem, tum cetera, quæ dicimus, sine fraude habebunt: quotquot autem arma bellica non deposuerint, aduersus eos etiam expeditionem suscepturi sumus. Quod si quis vestrum animo beneuolo ad nos accesserit, & agere quid ipsum nostra caussa, nosque docere paruerit: eum nos vt bene de nobis promerentem, atque amicum, non vt seruum tractabimus. Hæc vos & scire volo, & ceteris denuntiare. Quod si quidam, voluntati nostræ refragando, parere noluerint: aduersus eos nos ducite, quo nobis in illos, non illis in nos sit imperium. Hæc quum dixisset, illi eo adorato, se præstaturos hæc dixerunt. Quumque discessissent: Tempus iam fuerit, inquit Cyrus, o Medi & Armenij, vt omnes prandeamus. Res quidẽ necessarias vobis studio, quo potuimus, maximo parauimus. Ite ergo, nobisque partem parati panis dimidiam mittite, quandoquidem satis pro vtrisque paratum est: obsonij vero, ac potus, nihil mittite. Hæc enim ipsi, quantum satis est, parata habemus. Vos autem Hyrcanij deducite ipsos ad tabernacula, & principes quidem ad maxima, quæ nota vobis sunt: ceteros, vt visum fuerit commodissimum. Quin & ipsi prandete, vbi iucundissimum vobis fuerit. Nam tabernacula vobis integra sunt, in quibus itidem parata sunt omnia, sicut & istis. Illud vtriq; scitote, nocturnas excubias nos

Cyrus certas captiuis conditiones proponit.

103 … 104

obituros vobis esse, quod ea, quæ foris sunt, adtinet: vos ea, quæ in tabernaculis fiũt, ipsi curate, atq; arma eis inferte. Nec dũ enim amici nobis sunt, quos in tabernaculis habemus. Itaq; Medi Tigranisq; milites lauabant, ꝙ parata essent omnia: mutatisq; vestibus, cœnabant. Etiã ipsorum equi necessaria habebant, mittebantq; Persis de panibus dimidios singulis, nullo nec obsonio, nec vino addito: quòd Cyri milites hæc habere putarent, quia Cyrus esse ipsis hæc adfatim dixerat. Is verò famem dixerat obsonium, & potum eum, qui de præterfluente amne hauriretur. Itaq; Cyrus præbita Persis cœna, quum tenebræ iam essent: complures eorum, quinos ac denos, hinc inde misit, vtq; se circum castra occultarent, iussit. Existimabat enim simul hanc custodiam fore, si quis extrinsecus accederet: simul futurum, vt si quis pecunias auferens, extra castra fugeret, caperetur. quod quidem ita accidit. Nam & aufugiebant multi, & multi fuere capti. Cyrus autem pecunias quidem iis, qui hos cepissent, relinquebat: sed homines ipsos mactari iussit. Quo factum est, vt deinceps ne si cuperes quidem, quemquam noctu obuersantẽ reperisses. Et Persæ quidem hoc modo degebant. Medi verò & potabant, & epulabantur, & tibiarum cantu semet oblectabant, & omni hilaritate ad satietatem fruebantur. Nam eiusmodi multa capta fuerant, vt vigilantibus, quod agerent, minimè deesset. Medorum verò rex Cyaxares ea nocte, qua Cyrus abierat, & ipse cum contubernalibus ebrius erat, veluti, re bene gesta: & Medos ceteros in castris, exceptis paucis adesse putabat, quòd ingentem strepitum audiret. Nam Medorum familia, quia domini discessissent, & perpotabant, & perstrepebant: præsertim quòd ab Assyriorũ exercitu vinũ, & alia multa huiusmodi accepissent. Quum autẽ illuxisset, atq; ad portam nemo veniret præter eos, qui cum ipso cœnati fuerant, audiretq; castra Medis & † equitibus esse vacua, & egressus ipse rem ita se habere cerneret: tum verò cum fremitu & cõtra Cyrum & contra Medos excanduit, quòd se relicto solo discessissent: statimq; iussit, vti sanè crudelis & amens fuisse perhibetur, vnum ex iis qui aderant, equitibus suis secum sumtis, quàm celerrime ad copias Cyrum secutas proficisci, atq; hæc di-

Cyri obsonia & potus.

Cyaxaris temulentia.

† al. equis

Cyaxaris inhumanitas.

105

hæc dicere: Ne te quidem, Cyre, arbitrabar adeo imprudens consilium de me capturum fuisse. Si tamen esset ea Cyri sententia, saltem vos Medi, minime putaram voluisse sic me solum relinquere. Nunc adeo Cyrus quidem veniat, si volet; vos autem quam celerrime adestc. Hæc eis mandabat. Is autem, cui profectio hæc imperabatur: Ego vero, ait, mi domine, quonã modo eos inueniam? Quonam, inquit Cyaxares, modo Cyrus cum istis, qui eum secuti sunt, illos inuenit, aduersus quos profectus est? Quoniam profecto, ait, quosdam Hyrcanios ab hostibus defecisse audio, quumque huc venissent, abiisse ita, vt Cyri copiarum duces essent. Quibus auditis, Cyro Cyaxares multo magis succensere, qui hæc ei non indicasset; maiorique studio ad Medos mittere, quo Cyri vires adtenuaret. Quin etiã grauioribus cum minis, quam antea, Medos auocare: additis ad eum quoque minis, qui ablegebatur, si non hæc acri cum vehemẽtia nuntiasset. Proficiscebatur ille cum suis plus minus centum equitibus, grauiterque ferebat, quod non & ipse cum Cyro discessisset. Quumque in itinere pergerent, ac viæ diuiderentur; quamdam in semitam delati oberrarunt, neque prius ad Cyri exercitum peruenere, quam in Assyrios quosdam a castris digressos incidissent, atq; illos, vt sibi duces essent, vi coegissent. Hoc modo conspectis ignibus, peruenerũt eo circa noctem mediam. Quum vero ad castra accessissent, excubitores eos, quemadmodum mandatum a Cyro fuerat, ante lucem non intromiserunt. Die vero iam illucescente, Cyrus primum arcessitis Magis iubet, vt Diis rite, quæ fas esset ob res adeo prosperas, eximerent. Qui tum in hoc erant occupati, conuocatis æqualibus Persicis dixit: Multa bona, commilitones, Deus nobis ostendit. At nos, o Persæ pauciores hoc tempore sumus, quam vt illa tenere in potestate possimus. Nam siue ea, quæcumque laboribus nostris adipiscimur, nõ conseruabimus, rursus aliena erunt: siue quosdam ex nostris custodes adquisitorum relinquamus: statim nullas nobis esse vires, parebit. Quamobrem mihi videtur, cuidam e vobis quamprimum in Persiam eundum esse, qui doceat ea, quæ a me dicuntur, & vt quam celerrime mittatur exercitus, iubeat: si quidem Persæ & imperium, & fructum,

Eiusdem importunitas.

Cyri consilium de arcessendis aliis e Persia militibus.

106 Asiæ, suam in potestatem venire cupiant. Ito ergo tu, qui natu maximus es, inquit, ac postquam eo veneris, hæc exponito. Adde, mihi curæ futurum, vt milites, quos miserint, vbi ad me peruenerint, annonas habeant. Vides ipse, quæ habeamus, eorumque nihil cælaueris: ex quibus sane quidnam potissimum in Persiam mittendo, recte atq; ordine fecero, Deos quod attinet, patrē meum: quod rempublicam, magistratus interroga. Etiam inspectores eorum, quæ gerimus, & consultores in iis, quæ interrogaturi sumus, huc mittant. Ac tu quidem, ait, ad iter te para: manipulumque tuum, qui te deducat, tecum sumito. Secundum hæc Medos arcessit, quum simul Cyaxaris nuntius adesset, & coram omnibus iram eius aduersus Cyrum, & minas aduersus Medos indicaret, tandemque diceret: mandare Cyaxarem, vt Medi discederent, etiā si manere Cyrus vellet. Quæ nuntij verba quum Medi audiissent, silebant: vt inopes consilij quo pacto arcessenti non parerent, atque etiam præ metu nescientes, quo pacto minanti obtemperarent, præsertim quod ipsius crudelitatem nossent. Cyrus autem: Minime

Cyri prudens ad Cyaxaris nuntium responsio.

miror equidem, ait tu nuntie, ac vos Medi, Cyaxarem & de nobis, & de seipso sollicite trepidare: quum multos id temporis hostes viderit, & quid nos agamus, ignoret. Verum vbi senserit, multos ex hostium copiis periisse, fugatos vniuersos: primum metuere desinet, deinde adgnoscet minime se iam desertum esse, quū amici hostes ipsius interimūt. Et quonam modo queri de nobis iure possit, quum bene de ipso promereamur, & quidem nihil ex arbitrio nostro temere faciamus? Nam ego ei suasi permitteret mihi, vt vobis adsumtis digrederer: vos non vt cupidi profectionis, an exeundum esset, interrogastis, atq; ita iam huc peruenistis: sed iussi estis ab ipso prodire, si cui vestrum graue non esset. Quapropter hæc ira, sat scio, secundis hisce rebus mitigabitur, & vna cum metu desinente, abibit. Ac tu quidem modo, nuntie, quia laboribus confectus es, quietem capito: nos autem Persæ, quia sic hostes adfuturos exspectamus, vt vel pugnent, vel imperium accipiant: ordines elegantissime instructos habeamus. Nam ita si conspiciamur, fortasse citius ea sumus effecturi, quæ desideramus. Tu vero princeps

Hyrca-

Hyrcaniorum heic opperire, militumque tuorum ducibus impera, vt suos arma capere iubeant. Quibus ef- 107
fectis, quum Hyrcanius accessisset, inquit Cyrus: Periucundum mihi est, Hyrcanie, quod animaduerto, te non solum ita nobis adesse, vt factis amicitiam declares: sed etiam indicia mihi præbere acris, quo præditus es, ingenij. Ac nunc quidem nobis eadem conducere, perspicuum est. Nam & mihi sunt hostes Assyrij, & tibi iam infestiores sunt, quam mihi. Quare sic vtrique consultandum est, vt eorum sociorum, qui iam nobis adsunt, nemo deficiat: & alios quoque, si possimus, adiungamus. Audisti vero, Medum hunc equites auocare: qui si discedant, quo pacto nos pedites soli manebimus? Itaque hoc agendum est & tibi & mihi, vt hic ipse, qui suos auocat, nobiscum manere velit. Tu igitur repertum aliquod ei tabernaculum tradito, vbi commodissime degat, & omnia, quibus opus fuerit, habeat. Ego vero daturus sum operam, vt homini laboris aliquid imperem, quem lubentius suscepturus sit, quam hinc abiturus. Præterea cum ipso de bonis iis disserito, quæ spes sit euentura nostris omnibus, si recte gerantur ea, quæ fieri oporteat. Hæc vbi feceris, ad me redito. Itaque abiit Hyrcanius vt Medum ad tabernaculum deduceret; & qui proficisci debebat in Persiam, paratus aderat. Ei Cyrus mandauit, vt Persis diceret, quæ oratione superiori sunt indicata: Cyaxari vero litteras redderet. Volo autem, ait, tibi recitare, quæcumque perscribo: quo & scias ea, & profitearis, si quis te de his interroget. Hæc autem litteris inerant: Cyrus Cyaxari salutem. Nos neque te solum reliquimus, quum nemo tunc ab amicis solus relinquatur, quum hostes per eos vincit: neque propterea, quod abs te discessimus, in periculo te nos constituisse arbitramur: sed quo maiori abs te interuallo absumus, tanto tibi plus securitatis a nobis parari existimamus. Nam qui apud amicos proxime desident, non eos maxime tutos efficiunt: sed qui hostes quam longissime repellunt, ij potius amicos extra periculum collocant. Considera vero, quem me erga te expertus, ipse vicissim quē erga me te geras, dum modo de me quereris. Equidē auxilia sociorum adduxi tibi, nō quibus tu

Epistola Cyri ad Cyaxarem.

persuasisses, vt venirent: sed quã maxima potui. Tu mihi, dum adhuc pacato in solo essem, tot cõcessisti, quot persuadendo adducere possem: & nunc me in hostium regione constituto, non eos, qui redire velint, sed vniuersos
108 auocas. Itaque tunc quidem arbitrabar, me vobis vtrisq; gratiam debere: nũc tu me cogis, vt tui obliuiscar, & illis, qui me sequuti sunt, omnem gratiam referre studeam. Verum facere non possum, vt tibi similis fiam; sed hoc ipso tempore copiarum caussa misso in Persiam nuntio, mandatum dedi, vt quotquot ad me venturi sunt, si quidem eorum opera tibi sit opus ante, quam ad nos veniãt, eis tibi potestas sit, non ex ipsorum arbitrio, sed vti tu voles, vtendi. Consilium autem tibi do, quamquam ipse iunior, ne quæ concesseris, auferas: vt inimicitiæ tibi gratiarum loco non debeantur: nec minitabundus arcessas, quum aliquem ad te celeriter venire vis: nec simul te solum esse dixeris, & multis miniteris: ne doceas eos, nihili te facere. Nos autem vt adsimus, operam dabimus, vbi primum ea confecerimus, quæ confecta tibi ac nobis ex æquo fore fructuosa censemus. Vale. Hanc epistolam ei reddito & de quocunque horum interrogarit, id ita se habere dicito, vt in epistola perscriptum est. Nam & de Persis itidem tibi mando, quemadmodum est perscriptum. Atq; hunc quidem, ista loquutus, & tradita epistola, dimisit: addito mandato, vt ita festinaret, quẽadmodum ipse reditum celerem haud parum commodi adlaturum, non ignoraret. Secundum hæc armatos iam omnes, tam Hyrcanios, quam Tigranis milites spectabat. Aderant & Persæ armis instructi. Tunc etiam finitimi quidam equos adducebant, & adferebant arma. Hos ille tragulas eum in locum, vbi & ceteros antea, iussit abiicere: vtque concremarent eas, quibus id negotij dederat, si quibus ipsi non egerent. Equos autem vt illi remanentes in castris custodirent, qui eos adduxerant, edixit; donec aliquid eis significatum esset. Conuocatis autem præfectis equitum & Hyrcaniorum, huiusmodi orationem habuit: Ne mirum vobis sit, amici & socij, quod sæpius vos conuenire iubeo. Nam quum res præsentes nouæ sint, pleræque adhuc ordine carent. Quæ vero nec dum in ordinem reuocata, & adhuc confusa sunt, ea semper negotia facessere necesse

Cyrus de præda diuidunda agit.

necesse est, donec suum quæque locum acceperint. Multa iam bona, multi a vobis homines capti sunt: sed quoniam & ignoramus ipsi quænam horũ cuiusq; nostrum sint, neque his ipsis constat, quem quisque dominum habeat: idcirco non admodum multos ex eis videre est officium facere, fereque ambigere omnes, quid abs se fieri oporteat. Quapropter itane comparata sint, vos ista discernite. quumq; adeo tabernaculum aliquis adeptus est, 109
quod satis & ab esculentis est instructum, & a potulentis, & famulitio, & stragula, & alia veste, rebusq; ceteris, quæ requiruntur vt in tabernaculo militari commode degi possit: huic sane nulla opus est accessione alia, nisi vt is, cui obtigit, sciat horum curam sibi, tamquam suorum gerendam esse. Qui vero in ea diuertit tabernacula, quibus pleraq; desunt: his vos inspectis, quod deest, supplete. Scio equidem, multa etiam superatura esse. Nam hostibus omnia fuere copiosiora, quã pro multitudine nostra. Venerunt etiam ad me Assyriorum regis aliorumq; præpotentium quæstores, & penes se aurum signatum esse dixerunt, ac tributorum quorumdam mentionem fecerunt. Itaque per præconem imperate, vt istæc ad vos omnia deferant, vbicumque consederitis, & terrorem incutite, si quis id, quod imperatum est, non fecerit. Quumq; acceperitis ea, duplum quidem equiti, pediti simplum tribuite: vt habeatis, si quibus indigueritis, atque etiam vt aliquid emere possitis. Forum vero castrense, inquit, ab vllo violari statim præco prohibeat, iubeatq; caupones ac mercatores vendere merces suas venales, iisque distractis, alias aduehere, vt castra nostra frequentiam hominum habeant. Hæc illi statim proclamabant. Medi vero & Hyrcanij: Quo pacto nos, inquiunt, absque te ac tuis hæc distribuerimus? Quæ ipsorum verba Cyrus ita excepit: Eane vestra sententia est, vt quidquid tamdem agatur, rebus omnibus nos omnes interesse oporteat? neque satis ego facturus sim vobis, agens pro vobis, quod vsus postulet: neq; vos, pro nobis? Quanam alia ratione, si non hac, plus habituri negotij simus, & minus effecturi? Enimuero videte obsecro, ait. Nos hæc vobis custodiuimus, & vos creditis, a nobis esse recte custodita. Vos igitur itidem distribuite, nosq; credemus vobis, recte distri-

buta esse:ac vicissim nos aliis in rebus quiddam, quod sit ex vsu publice, peragemus. Primum videte, quod nobis partim adsint equi, partim adducantur. Eos ita si relinquemus, vt insideat nemo, neque quidquam nobis proderunt, & ob curam ipsorum molesti etiam nobis erunt.
110 Sin equites eis imponemus, eadem opera tum negotiorum molestia liberabimur, tum virium accessione nos confirmabimus. Iam si sunt alij, quibus eos detis, & quibuscum, si sit opus, pericula libentius adeatis, quam nobiscum: nimirum his eos tradite. Sin nos in primis adstites habere vultis, nobis eos date. Nam modo, quum prouecti absque nobis ad hostes, prœlij discrimen adiretis, magnum nobis metum incussistis, ne quid vobis accideret: atque etiam magno pudore nos adfecistis, quod istic non essemus, vbi vos eratis. Verum si accipiemus equos, sequuturi vos sumus: ac si quidem vna vobiscum in equis dimicantes, maiores adferre vtilitates videbimur, nihil ad alacritatem summam reliqui faciemus: sin pedites putabimur opportunius vobis adesse, procliue fuerit descendere, statimque adeo vobis pedites adfuturi sumus, & quibus equos tradamus, excogitabimus.

Cyrus suadet, vt Persis equi ab hostibus capti tradantur.

Hæc Cyrus dixit, ad quæ illi responderunt: Nos, Cyre, neque viros habemus, quos equis hisce imponamus: neque si haberemus, quum tu hoc velis, aliud sententiæ tuæ præferremus. Itaq; nunc equos ipsos accipe, & quod optimum facto putabis, facito. Ego vero accipio, inquit, adeoque nos, quod felix & faustum sit, equites efficiamur: & vos, quæ communia sunt, diuidite. Ac primum quidem, ait, Diis eximite, quodcumque Magi e disciplina sua indicarint. Deinde Cyaxari seligite, quæ seligendo maxime rem gratam vos ipsi facturos arbitramini. Illi cum risu, mulieres formosas deligendas huic aiebant. Ergo mulieres, inquit, deligite, & quidquid aliud visum vobis fuerit. Postea vero, quam huic selegeritis, Hyrcanij, facite quantum potestis, vt omnes hi Medi, qui me vltro sequuti sunt, nihil habeat, quod querantur. Et vos item Medi primos hosce socios nostros honoribus & præmiis ornate, quo recte se consuluisse suis rebus existiment, quum nostræ se amicitiæ adiungerent. Etiam de omnibus partem nuntio tribuite, qui a Cyaxare venit: nec

Cyri de partienda reliqua præda consilium.

rit: nec ipsi solum, sed iis quoque quos secum habet: atque etiam hunc obsecrate, vt nobiscum maneat, idque mihi probari dicite, vt quum rectius intellexerit singula, vera renuntiare Cyaxari possit. Persis autem, qui mecum sunt, quæcumque vobis præclare instructis superarint, sufficient. Quippe nos in deliciis non admodum educati sumus, sed populari ratione quadam. Itaque III fortassis etiam risui vobis essemus, si quid splendidius nobis adtribueretur: sicuti futurum scio, vt equis insidentes admodum nosmet vobis ridendos præbeamus; ac fortassis, vt arbitror, etiam in terram decidentes. Secundum hæc illi ad prædæ diuisionem accessere, quum ob equitatus huius mentionem valde riderent. Cyrus arcessitis cohortium præfectis, iussit vt equos reciperent, & instrumenta equestria, cum equorum curatoribus: & quidem ad numerum acciperent, pares videlicet militum singulorum numero, sorte quamlibet in cohortem ducta. Proclamari etiam per præconem iussit, vt si quod in Assyriorum, aut Syrorum, aut Arabum exercitu mancipium esset, vel e Media, vel Persia, siue Bactriana, siue Caria, siue Cilicia, siue Græcia, siue aliunde vi abductum, se conspiciendum exhiberet. Quo quidem audito præconio, multi se lubenter exhibuerunt. Cyrus ex eorum numero selectis, qui forma præstabant, vt liberis hominibus arma esse gestanda dixit; ab se data: sibi autem curæ futurum vt res necessarias haberent. Simul eos ad præfectos cohortium mox deducens, iisdem commendat: & iubet, vt crates, ac gladios exiles eis darent, quibus instructi, sequerentur equitatum: atque vt pro eisdem commeatum perinde, ac pro Persis suis, acciperent. Ipsi vero cohortium præfecti loricati, & hastati semper equis veherentur, quod quidem primus orsus est facere: ac singuli suo loco peditibus æqualium præfectum ex æqualibus alium constituerent. His illi rebus intenti quum essent, interea Gobryas Assyrius, senex cum equestri famulatu, eques & ipse aderat. Gestabant autem omnes arma equestria. Quibus vero datum hoc erat negotij, vt arma reciperent, iubebant hastas tradi: vt eas perinde, atque arma cetera,

Cyrus ingenuos homines in libertatē vindicat.

Gobryas Assyrius ad Cyrum venit.

comburerent. Gobryas, velle se primum videre Cyrum, ait. Itaq; ministri ceteris ipsius equitibus relictis, ad Cyrum Gobryam deducunt. Is vbi Cyrum cõspexit, his verbis vsus est: Equidem, domine, natione sum Assyrius, & castellum munitum habeo, & amplæ regioni cum imperio præsum, & equos circiter mille regi Assyriorum exhibere solebam, cui quidem carus eram, vt qui maxime. Sed quando cæsus ille a vobis diem obiit, vir sane fortis & bonus illiusque filius rerum modo potitur, inimicissimus mihi: ad te venio, meque supplex ad pedes tuos pro-
112 sterno. Trado autem me tibi seruum, & belli socium: ac te rogo, vt iniurias meas vlciscaris; teq; pro eo ac possum, filium mihi adopto. Nam orbus sum liberis sexus virilis. Quem enim, domine, solum habebam, forma & virtute præstantem, & amantem mei, & eum honorem mihi deferentem, quo filius patrem persequendo maxime beare possit: hunc rex ille nunc meus, arcessitum ab illius temporis rege, huius patre, vt qui vellet filio meo filiam suam vxorem dare: (atque equidem eum sic a me dimittebam, vt elato essem animo, qui filium meum regis filiæ maritum visurus essem) hunc inquam rex iste nunc imperans, ad venationem inuitauit, & potestatem ei fecit venandi totis viribus, quod longe se illo meliorem equitem duceret. Itaque venatus est cum eo, tamquam amico: quumque prodiisset in conspectum vrsa, & vterque hanc persequeretur: noster iste modo princeps emisso iaculo aberrat, quod vtinam ne vmquam accidisset, at meus ille filius telo cõiecto, quod minime factum oportuit, vrsam sternit. Et tunc quidem ille dolore adfectus, inuidiam occulte repressit. Quum autem interuenisset leo, atque hic rursus aberrasset, quod ei accidisse mirum opinione mea videri non debuit, filius vero meus ictu † denuo non aberrante leonem conficiens, feram vtramque se ictu gemino diceret, vno alterum sequuto, strauisse: tum vero sceleratus ille non amplius inuidiam cohibuit, sed ereptam vni comitum cuspidem in pectus adegit, atque ita meo illi vnico caroque filio animam abstulit. Ego vero miser mortuum pro sponso retuli, ac tam grandis * berbescentem tunc prima lanugine filium optimum & dilectissimum sepelij. At interfector ille, quasi hostem aliquem

Assyriorũ regis filius vt Gobryæ filium interfecerit.

† al. ictu infeliciter felici.

** fortasse, barbescẽtem. Æ.P.*

quem peremisset, neque pœnitere visus est vmquam, neque pro atroci hoc facinore terra conditum honore vllo dignatus est. Pater quidem eius misertus mei fuit, ac palam declarauit, sibi quoque calamitatem meam molestam accidisse. Itaque si ille viueret, numquam ego ad te cum ipsius damno venissem. Nam & multa exstiterunt eius in me officia plena amoris, & ipse vicissim ei mea præstiti. Quia vero ad interfectorē filij mei rerum summa peruenit, non equidem animo in illum vmquam esse beneuolo possim: nec ipse me vmquam, sat scio, amicum duxerit. Non enim ignorat, quæ mens in eum mea sit, atque vti ante hac hilariter viuere solitus, nunc in hac
orbitate adfectus sim, senectam in luctu exigens. Quapropter si tu me receperis, & aliqua mihi vindicandæ per te mortis cari filij spes fiat: etiam repubescere mihi videbor: neque me cum dedecore viuere, neque cum dolore mori putabo. Sic Gobryas quum loquutus esset, respondit, Cyrus: Si constet, ea te sentire, mi Gobrya, quæ dicis: equidem te supplicem recipio, & de interfectore me pœnas sumturum, Diis iuuantibus, policeor. Verū dic mihi, ait, si hæc a nobis tibi contingant, & castella retinere te sinamus, & regionem, & arma, & potestatem, cum qua fuisti hactenus, quidnam pro his obsequij nobis præstabis? Munitionem, inquit, vbi voles, tradā tibi, vt domus tua sit: & tributum, quod illi ex agro meo pendebam, ad te deferam: & vbi necesse fuerit expeditionem suscipere, signa tua sequar, adductis meæ regionis viribus. Præterea mihi filia est, eaque virgo, quam vnice diligo, ætate iam nubili. Eam me antehac regi nunc rerum potienti putabam coniugem futuram educare. Verum modo me ipsa filia multis cum lacrumis suppliciter orat, ne se fratris interfectori tradam: quæ quidem mea quoque sententia est. De hac etiam tibi nunc permitto: vt ita consulas, quemadmodum me re ipsa de te consulere manifestum est. Itaque Cyrus: His conditionibus, ait, ego vere & ex animo dextram tibi meam do, & tuum accipio. Dij testes nobis sunto. Quibus actis, Gobryam arma retinentem abire iussit; sciscitatus, quantum itineris ad ipsum esset, quod eo venire vellet. Si cras mane, inquit, proficiscaris: postridie nobiscum degere poteris. Itaque Gobryas:

113 *Gobryas Cyrum orat, vt filij mortem vlciscatur.*

itineris duce relicto, discessit. Iam & Medi aderant, quæque Magi Diis eximia seruanda dixerant, ea Magis tradiderunt. Cyro pulcherrimum selegerāt tabernaculum, & mulierem Susianam, quæ omnium in Asia fuisse formosissima perhibetur, & insigniter peritas musicæ duas. Secundo autem loco, Cyaxari secundaria. Simul aliis talibus ipsimet sibi supplebant ea, quibus deficiebantur: vt rei nullius indigi militarent. Nam magna omnium erat copia. Itidem & Hyrcanij acceperūt ea, quibus ipsis opus erat. Etiam Cyaxaris nuntium ad æquales cum ceteris
114 partes admiserunt. Tabernacula vero, quæ superabant, Cyro tradiderunt, vt ea Persæ haberent. Nummos tum se distributuros aiebant, vbi collegissent vniuersos, idque deinde præstitum. † Hæc ab eis & acta tunc, & dicta. Cyrus autem Cyaxari selecta vt illi acciperent atque custodirēt, iussit: quos ei maxime familiares esse norat. Ac mihi quidem quæ datis, ait, lubens accipio. Vtetur autem his vestrum quilibet, qui eis potissimū indigebit. Et Medus quidam musicæ studiosus: Ego vero, inquit, mi Cyre, quum audirē vespere musicas mulieres istas, quas tu nūc habes voluptatem audiēdo percepi: ac si quidem harum vnam tu mihi dederis, existimabo iucundius esse, versari in castris, quam domi manere. Ego vero, subiecit Cyrus, dono hanc tibi, & maiorem tibi videor habere gratiam, qui petieris: quam tu mihi, qui eam accipis. Vsque adeo vobis gratificari sitio. Atque ita mulierem accepit is, qui petierat.

† *Heic multi libri veteres. Quintum librum ordiuntur.*

XENOPHONTIS HISTORIARVM DE INSTITVTIONE CYRI, LIB. V.

ARGVMENTVM.

1. Panthea forma, virtus. 2. Amoris vis. 3. Araspes Pantheæ amore capitur. 4. Apum erga suum regem qualia studia esse consueuerunt, talia quoq; erant hominum

studia

studia erga Cyrum regem. 5. Cyrus ad Gobryam quando, & quomodo profectus. 6. Gobryas Cyrum, eiusq; copias quomodo exceperit. 7. Persarũ temperantia. 8. Imperatoris boni munus in Cyri persona demonstratur. 9. Cyrus de pluribus socijs sibi iungendis consiliũ capit. 10. Idem Babylonem adire statuit, ac Babyloniorum fines inuadit. 11. Liberalis hominis vox, & exemplum. 12. Cyrus Assyriorum Regi duellum offert. 13. Eiusdem consilium de noua societate paranda. 14. Cyri stratagema, quo Regem Assyriorum fefellit. 15. Cyrus suas copias quibus modis auxerit. 16. Assyrius Gadatæ agrum inuadit. 17. Cyrus ad opem Gadatæ ferendam se parat. 18. Idem qua ratione suum exercitum reddiderit expeditissimum. 19. Cyri quanta memoria. 20. Bonus imperator cur omnia suorũ ducum nomina tenere debeat. 21. Cyrus in itinere noctu faciendo, quam industrius, ac diligens esset. 22. Gadatam quidam de subditis prodere conatur. tempus; caussa, modus. 23. Gadatas per imprudentiam in insidias defertur, vulneratur, ac propemodum interficitur. Sed Cyri beneficio seruatur: eiusq; proditor a Cyri militibus occiditur. Ipse vero Gadatas ob insperatæ salutis lætitiam Cyro gratias agit. 24. Cadusii, qui temere longius excursionem fecerant, ab hoste cæduntur. 25. Cyrus Cadusios, ob grauem eorum cladem commiseratione motus, verbis humanis consolatur: nec multo post, ipsorum cædem vlciscitur: hostes armatos, bello persequitur: solis agricolis parcit, idq; ex pactis inter ipsum, & Assyrios initis. 26. Cyrus equitatum Persicum quando, quomodo, quantum auxerit. 27. Babylonem iterum adit: sed ad eius muros propius non accedit caussa. 28. Cyrus Cyaxarem epistola missa rogat, vt ad exercitum veniat, quo de rebus bello partis, aliisq; deinceps gerendis secum consultet. 29. Cyaxaris inuidia, qua factum est vt Cyrum de more nollet osculari. 30. Cyrus Cyaxari se purgat, eiusq; criminationes refellit. 31. Sua in eum collata beneficia commemorat, vt eius inuidiam, indignationem, iramq; non iustam sedet. 32. Cyaxares inuidiam animi sui patefacit. 33. Cyrus Cyaxaris querellas abrumpit. 34. Cyaxares in gratiam cum Cyro tandem redit. 35. Medi, partim sua sponte, partim Cyri iussu, splendida munera Cyaxari ferunt. 36. Cyrus cæ-

nam delicatam recusat. Interea vero dum Cyaxares, & alij varijs victoriæ voluptatibus indulgent, ipse de continuanda expeditione cogitat. Quare suis amicis, & fortissimis quibusq; ducibus conuocatis animum, consiliumq; suum aperit.



YRVS autem arcessito Araspe Medo, qui erat ei sodalis a puero, & cui vestem quoq; Medicam exuens, quum in Persiam discederet ab Astyage, dederat; iussit, vt sibi & mulierem illam, & tabernaculum adseruaret. Erat autem † mulier ea Susorũ regis Abradatę vxor. Quo vero tempore capiebantur Assyriorum castra, forte maritus eius non adfuit, sed ad Bactrianorũ regem legatus abiuerat, ab Assyrio societatis ineundæ gratia missus, quod huic cum Bactrianorum rege ius esset hospitij. Hanc igitur vt adseruaret Araspes, donec eam ad se reciperet, Cyrus iussit. Et Araspes, quum id facere iuberetur, Cyrum interrogans: Vidistine, inquit, mulierem hanc, Cyre, quam adseruare me iubes? Non profecto, ait Cyrus. Ego vero, inquit,

† al. mulier ea cõiux Abradatæ Susiani.

115 Araspes, hãc vidi, quũ eam tibi seligerem. Ac sane quum tabernaculum eius ingrederemur, primum eam non adgnouimus. Nã & humi sedebat, & circum eam sedebant ancillæ omnes, habebatque vestem illarum vestibus similem. Quum autem studio cognoscendi, quænam esset hera, circumspectaremus vniuersas: mox alias omnes excellere visa est, tametsi sederet, ac velata terram intueretur. Postquam vero surgere eam iussimus, consurrexere cum ea cunctæ, quæ aderant. Tum vero præstabat hæc primum proceritate, deinde robore, virtute, gestuum elegantia licet habitu vili vestita constitisset. Etiam lacrumas videre erat destillantes partim in vestem, partim ad ipsos vsque pedes. Quumque natu maximus inter nos diceret: Bono animo sis, mulier: nam tametsi præstare virum tuum corporis & animi bonis audiamus, tamen ei te modo seligimus, quem scire debes neque formæ elegantia illi cedere, neque ingenio neque potestate. Nimirum si quisquam alius, Cyrus certe nostra sententia dignus est admiratione, cuius tu deinceps eris. Id vbi mulier audiuit, dilacerato superiori veste cepit eiulari, ancillis

Panthea excellens forma.

Panthea virtus.

vna

vna vociferantibus. Atque heic iam maxima ex parte facies eius adparuit, & collũ & manus adparuerunt. Adeoque scito, mi Cyre, tam mihi quam aliis eam intuentibus visum esse, numquam mulierem in Asia vel esse natam, vel exstitisse talem ex mortalibus. Sed enim, inquit, omnino tu eam spectabis. Et Cyrus: Immo vero multo minus, ait, si talis est, qualem tu prædicas. Quid ita? inquit adulescens ille. Quia si nunc, ait, postquam de te audiui, eam esse formosam, persuaderi mihi patiar, vt ad spectãdum illam abeam, non admodũ otiosus: vereor, ne multo citius illa mihi rursum persuadeat, vt spectatum redeam, ac deinde neglectis fortasse rebus iis, quæ mihi gerendæ sunt, oculis in hanc fixis desideam. Et adulescens ille cum risu inquit: Existimasne, mi Cyre, formam humanam tantum habere virium, vt nolentem cogat facere, quod facto non sit optimum? Nam si hoc ita comparatum esset a natura, omnes eodem modo cogeret. Ignẽ, inquit, adspice, vt omnes itidem vrat. Nam talis a natura est. At ex formosis alij amantur, alij nõ amantur: & alius alios amores habet. Est enim hęc res in voluntate posita, & vnus quisque quos vult amat. Iam neque frater sororis amore tenetur, sed alius: neq; pater filiã, sed alius amat. Etenim metus & lex ad coercendum amorem virium satis habent. At vero si lex promulgaretur, vt qui non comedunt, non esuriant: & qui non bibunt, non sitiant: vtque nec hyeme algeant, nec æstate caleant: in his vt homines parerent, lex nulla posset efficere. Sunt enim a natura sic comparati, vt his sint inferiores. Amare vero, in voluntate positũ est. Vnusquisq; sane amat, quæ sibi conueniunt, vt vestes & caligas. Qui fit igitur, inquit Cyrus, si voluntarium quiddam est amor, quod fieri nequit, vt aliquis desinat, quũ vult? Vide ego, qui præ dolore, quem ex amore percipiebant, flerent: & iis, quos amabant, seruirent; tametsi prius, quam amarent, seruitutem rem malam esse arbitrarentur: quique multa largirentur, quibus carere suo sine incommodo non poterant. Tum qui optarent, vt amore non secus atque morbo quodam alio liberarentur, neque tamen liberari possent: sed validiore necessitate vincti essent, quam si ferro fuissent constricti. Itaq; etiam se suis amoribus exhibent aman-

Poßit ne cogere homines etiam inuitos amor.

116

tes ad obsequia multa sine fructu, ac ne quidem aufugere conantur, quum eiusmodi habeant mala, sed potius amores suos ipsi, ne aufugiant, obseruant. Et adulescens ille ad hæc: Faciunt vero, quæ dicis, ait. Et sunt profecto huiusmodi homines secordes & futiles. Quo fit, mea quidẽ sententia, semper vt optent mori, tamquam miseri: quumq; rationes infinitæ sint e vita excedendi, non tamen excedũt. Iidem furari quoq; conantur, & ab alienis haud abstinent. Verum vbi quid vel rapuere, vel furto subtraxere, vides ipse, inquit, te primum increpare furantem & rapientẽ, quum nulla necessitas eos ad furtũ adigat; neq; veniã dare, sed pœnas sumere. Sic ergo neq; formosi ad amandum se cogunt, nec ad adpetendũ ea, quæ adpetenda non sunt: sed nullius momenti homunciones in omnibus cupiditatibus sunt impotẽtes, ac deinde in amorẽ culpam conferunt. At honesti probiq; viri tametsi & aurum, & equos bonos, & mulieres formosas expetant: nihilo tamen minus ab his omnibus facile semet abstinere possunt, vt per iniuriã ea non adtingant.
117 Ego quidem certe, tametsi hanc cõspexerim, perque mihi venusta visa sit: tibi tamen adsum, & equito, & cetera, quæ mei sunt officij, præsto. Profecto, inquit Cyrus, discessisti fortasse citius, & ante id tempus, quo solet a natura machinis suis amor homines occupare. Nam fieri potest, vt etiam ignem quis tangens, non statim vratur: & e lignis flamma non statim emicat. Ego tamen nec ignem vltro tangere, nec formosos adspicere soleo. Ne tibi quidem consulo, mi Araspa, vt oculos formosis diutius immorari sinas. Nam ignis quidem nõ nisi tangentes vrit, ac formosi etiam eos, qui e longinquo spectant, sic accendunt, vt amore flagrent. Bono animo sis, ait, mi Cyre. non enim futurum, vt ita capiar, ne quidẽ si numquam hãc spectare desinam, vt aliquid præter decori rationem admittam. Rectissime, inquit, ais. atq; adeo hãc mihi adseruato, quemadmodũ iubeo, eiusq; curam gerito. Nam fortasse mulier hæc opportune nobis vsui magno fuerit. His dictis ab se inuicem tunc discesserũt. Adulescens autem ille tum quod supra modum formosam mulierem videret, tum quod eius honestam bonitatem animaduerteret, tum etiam, quod coleret eam, seq; putaret ei

Araspes erga Panthea amore captus.

taret ei

taret ei gratificari, & illam non ingratam esse sentiret, quæ vicissim per famulos suos curam adhiberet, vt venienti necessaria suppeterent, ac si quando ægrotaret, nihil vt ei deesset: his igitur omnibus factum, vt amore caperetur, nec mirum aliquid ei fortassis accidit. Atque hæc quidem hoc modo gerebantur. Quum autem Cyrus & Medos & ceteros socios vltro secum manere vellet, conuocauit omnes, quos adesse duceret opportunum: & vbi conuenissent, huiusmodi protulit: Equidem, Medi, vosque omnes, qui adestis, certo scio, non ob penuriam pecuniæ vos mecum profectos esse, nec quod existimaretis in hoc voluntati Cyaxaris inseruiri, sed quia mihi gratificari, meque honore prosequi velletis, libitum vobis est mecum & nocturnum iter ingredi, & salutem in discrimen coniicere. Quas ob res equidem vobis gratiam habere debeo, ni esse iniustus velim; nec dum tamen ex dignitate referendi facultatem habere mihi videor, quod quidem me minime pudet dicere. Sed quo minus dicam, si mecum manseritis, me relaturum; pudore præpedior. nam existimarem videri posse, me dicere hoc eam ob caussam, vt libentius apud me remanere velletis. Itaque pro eo hæc dico: Ego 118
apud vos, etiam si nunc Cyaxari morem gerendo discesseritis, id efficere conabor, si quid prospere gessero: vt vos ipsi me laudetis. Non enim iam discedo, sed Hyrcaniis, quibus & iusiurandum, & dextram dedi, fidem seruabo: neque vmquam committam, vt hos deseruisse conuincar. Atque etiam facere conabor, ne Gobryam, qui modo & munitiones, & regionem, & copias nobis tradidit, vmquã itineris ad me suscepti pœniteat. Quod denique maximum est, quum Dij tam manifesto bona nobis largiantur, & metus eorum, & pudor retinere me debet, quo minus relictis his temere discedam. Hoc equidem, ait, facturus sum. Vos quod ex animi vestri sententia visum vobis fuerit, agite: & mihi, quæ vestra sententia sit indicate. Hæc eius verba fuerunt. At is, qui Cyri se cognatum esse dixerat aliquando, primus adhæc: Ego vero sic aio, mi rex, inquit. Nam regem natura nihilo te minus ortum arbitror: quam ille rex est, qui dux apum in alueo nascitur. Illi enim semper apes vltro

Apum erga regem suum studia.

parent, ac quocunq; loco manserit, ab eo nulla earum discedit. Quod si aliquo prodierit, nulla ipsum deserit. tam mirificus eis amor erga principem hunc suum innascitur. Itidem erga te mihi quodam modo videntur hi homines adfecti esse. Nam quo tempore a nobis in Persiam proficiscebare, quisnam Medorum vel iuuenis vel senex abfuit, quo minus te sequeretur, donec Astyages nos retrogredi iussit? Postquam vero domo nobis e Perside opitulator aduenisti, videbamus iterum amicos tuos prope omnes sponte sua te sequi. Quum rursus expeditionem in hæc loca suscipere cupiuisti, omnes te Medi lubentes sequuti sunt. Et nunc adeo sic adfecti sumus, vt te præsente etiam in hostico simus animosi, & absque te domum reuerti formidemus. Itaq; ceteri quid facturi sint, ipsi exponent: ego vero, mi Cyre, atq; illi, qui mea in potestate sunt, manebimus apud te: te intuendo, quæuis sustinebimus: te beneficiis nos adficiente, tolerantes erimus. Posthæc Tigranes ita loquutus est: Nolim mireris, ait, mi Cyre, quod taceam. Animus enim meus non ad consultandum paratus est, sed ad faciundum, quidquid imperaueris. Hyrcanius autem: Dicerem ego, inquit, si iam discederetis Medi, numinis id alicuius voluntate fieri, quod valde beatos vos fieri non sineret. Humanæ quidem mentis iudicium quod adtinet, quis vel hoste fugiente se patiatur auerti vel arma tradente non ea capiat, vel se cum suis rebus dedente non recipiat? Præsertim quum eiusmodi ducem habeamus, qui mihi videtur, quod iuratus equidem deos omnes testor, maiorem ex eo voluptatē capere, si bene de nobis mereatur, quam si seipsum locupletet. Tum deinde Medi omnes hæc dixerunt: Tu nos eduxisti, Cyre. Tu domum nos, vbi tibi visum erit commodum; tecum abducito. Cyrus his auditis, hoc votum adiecit: Te vero maxime Iupiter oro, fac vt eos, qui honore me prosequuntur, beneficiis superem. Ex eo iussit, vt ceteri quidem locatis excubiis, corpora curarent: Persæ vero tabernacula distribuerent, in equites ea, quæ equitibus conuenirent: in pedites, quæ his sufficerent. Vt item hoc modo res constituerent, quo vniuersi, qui essent in tabernaculis, necessaria conficerent, ac Persis ad ordines ipsorum adferrent, & equos etiam

Hominū erga Cyrū studia.

119

etiam curatos eis exhiberent: Persis autem nihil aliud negotij relinqueretur, quam vti res bellicas elaborarent. Hoc modo diem hunc exegerunt. Mane autem quum surrexissent, iter ad Gobryam ingressi sunt, Cyrus quidem in equo, cum Persarum equitibus, qui iam ad duo millia excreuerant. Hos sequebantur, qui crates & copides eorum habebant, numero eis pares Itidem exercitus reliquus instructus iter faciebat. Et iussit Cyrus, vti quisque famulis suis nouitiis futurum diceret, vt quisquis eorum vel post agminis postremi custodes conspiceretur, vel ante frontem, vel ab vtroque latere extra eos qui essent in ordine, deprehenderetur, pœnas daret. Postridie circa vesperam ad locum Gobryæ perueniunt, & munitionem supra modum firmam vident, & in mœnibus parata omnia quibus egregie locus propugnaretur. Quin etiam multos boues, & permultas pecudes subter munitiones adductas cernebant. Gobryas autem misso ad Cyrum quodam, dici iussit, vt Cyrus circumuectus dispiceret, vbinam accessus esset facillimus; atque etiam fidos quosdam homines intro ad se mitteret, qui renuntiarent ei, quæ intus vidissent. Itaque Cyrus re ipsa videre volens, num alicubi castellum capi posset, an Gobryas mendax esse deprehenderetur: vndique obequitabat, & omnia munitiora videbat esse, quam vt * accedi posset. Illi vero, quos Cyrus ad Gobryam miserat, † renuntiant Cyro: tantã intus bonorũ esse copiam, quanta in hominum ætatem, de suo quidem iudicio, suffectura iis, qui essent in castello, videretur. Cogitabat secum Cyrus quænam illæ res essent: quum Gobryas ipse ad eum egreditur, & omnes, quotquot intus erant, educit: alios quidem ferentes vinum & farinas, alios vero agentes boues, & sues, oues, capras: & quidquid esculenti requireretur, id omne adferebant, vt totus Cyri exercitus egregia cœna exciperetur. Quapropter ij, quibus id erat datum negotij, distribuebant hæc, & cœnam adparabãt. Gobryas vero, quum suos omnes eduxisset: Cyrum ingredi iussit eo modo, quem arbitraretur ipse tutissimum. Itaque Cyrus præmissis speculatoribus & agmine suorum, tamdem & ipse ingreditur. Quum esset ingressus, portas tenens apertas, amicos omnes & præfectos mili-

Cyrus ad Gobryam iter facit.

* Si legas ἢ προεῖπεν, sententia est, Vidit omnia munitiora esse, quã Gobryas prędixerat. Si πόρρωθεν, munitiora quã e longinquo.

† 120

Gobryas Cyrũ cum exercitu excipit.

tum aduocabat. Postquam hi iam intus erant, Gobryas de promtis pateris aureis, & gutturniis, & vrnulis, & omnis generis ornamentis, & immensa vi Daricorum, & vniuersis rebus pulchris, ad extremum etiam filia (quæ quidem erat admiranda forma & proceritate, lugubri habitu, propter mortem fratris) producta, dixit: Pecunias hasce tibi trado, mi Cyre, ac filiam hanc tibi committo vt de ea, sicut ipse voles, statuas. Obsecramus vero te supplices, ego quidem etiam antea, vt filij: hæc vero nunc vt fratris ipsius vltor sis. Ad quæ Cyrus inquit: At ego tibi tunc quoq; policitus sum, me vltorem tibi futurum pro viribus, si minime nos mendacio falleres. Nunc quia te veracem video, reus sum promissi. Quin & huic polliceor eadem me, Diis iuuantibus, facturum. At pecunias quidem istas accipio, & huic puellæ, atq; illi, cum quo nuptura est, dono. Munus tamen vnum abs te accipiens, discedam, pro quo mihi donato ne quidem ea, quæ Babylone sunt, tametsi plurima, nec quæ sunt vspiam, lubentius habiturus sim, ac discessurus. Et Gobryas miratus, quid tamdem illud esset, ac suspicatus, an filiam diceret, interrogauit: Quid istud est, mi Cyre? Tum respōdens Cyrus: Multos arbitror esse homines, ait, mi Gobrya, qui nec impij, nec iniusti esse velint, ac sponte sua
121 ne quidem mentiantur aut fallant. Sed quia nemo potestati eorum permittere voluerit, nec pecuniæ vim magnā, nec regnum, nec castella munita, nec amabiles liberos: eo fit, vt prius moriantur, quam quales sint, cognosci possit. Tu vero, quum mihi iam mœnia munita, & omnis generis opes, & copias tuas, & filiam dignam sane, quam sibi quis adquirat, in manus tradideris: fecisti sane, vt apud omnes homines constet, eum me esse, qui nec in hospites impius esse velim, nec pecuniæ caussa iniustus, nec in præstandis pactis, quod me quidem volente sit, fallax. Igitur huius ego tibi, sat scio, donec vir iustus ero, & ob existimationem eiusmodi laudem mortalium promerebor, numquam obliuiscar: sed omnibus te rebus honestis ac bonis vicissim ornare conabor. Neq; verendum est tibi, filiam quod adtinet, ne viro sis cariturus, qui hac dignus sit. Nam multos ego, & egregios amicos habeo, quorum quisquis tamdem hanc duxerit,

an eas

an eas quidem pecunias sit habiturus, quãtæ abs te dantur, vel etiam alias multo iis plures: equidem dicere nequeo. Te quidem certo scire volo, esse quosdã inter eos, qui ob pecuniam, quam tu largiris, ne tantillo quidem magis te sint admiraturi. Me autem hoc tempore suspiciunt, & omnes deos precantur, vt declarare possint, se quoq; nihilominus, quam me, fideles amicis esse hostibus numquam cedere, dum vita sit eis superstes, nisi numen obstet. Virtuti vero, & existimationi bonæ, ne Syrorum quidem, & Assyriorum omnia bona, tuis addita, prætulerint. Tales viros certo scias heic iam consedisse. Ad ea Gobryas quum adrisisset: Per Deos immortales, inquit, indica mihi mi Cyre, vbinam illi sint, vt abs te petam, liceat mihi horum aliquem adoptare filium. Nihil profecto, ait, opus est ex me sciscitari, sed si nobiscum sequaris, poteris ipsemet etiam alij quemlibet horum ostendere. Hæc loquutus, prehendit Gobryæ dextram, & surgens abiit, suis omnibus secum eductis. Quumque multum a Gobryâ rogaretur, vt intus cœnaret, noluit: sed in castris cœnauit, & Gobryam in cœna conuiuam adhibuit. Accumbens autem stramineo in toro, sic eum interrogauit. Dic mihi mi Gobrya, inquit, vtrum existimas plura tibi esse toralia, quam cuiq; nostrum? Profecto, inquit, vobis plura sunt, sat scio, tum stragula, tum lecti: & domus vestra longe amplior est, quam mea, quibus terra & cœlum domus vsum præbent. Etiam tot vobis lecti sunt, quot supra terram cubilia. Præterea lanas 122
ouium non habetis pro stragulis, sed quæcumq; sarmenta tum montes, tum campi suppeditant. Ac Gobryas quidem tunc primum apud eos cœnans, quum ciborũ, qui adponerentur, vilitatem cerneret: multo illos liberalius suis degere iudicauit, eorum in vescendo moderatione considerata. Etenim ad nullum neq; cibum neq; potum Persam disciplina institutum gentilicia sic commoueri vel oculis adparet, vel rapacitate, vel animo: minus vt prouidus sit, quam si cibus non adesset: sed vt homines equestres propterea, quod in equis non perturbantur, inter equitandum & cernere, & audire, & dicere, quæ sit necesse, possunt: ita & illi prudentiam ac moderationem in vescendo exhibendam censent, ac prorsus

Persarum temperãtia.

caninum belluinumq; ducũt, a cibis & potu commoueri. Animaduertit etiam eos de rebus eiusmodi sese interrogare, de quibus iucundius esset interrogari, quam non interrogari: & salse quædam dicere, quibus perstringi iucundius esset, quam non perstringi: & ita iocari, vt omnis contumelia longe abesset, longe turpis actio, longe animorum ex indignatione contra se inuicem commotio. Maximum vero ei visum est, quod quum essent in expeditione, nemini eorum, qui periculum idem adibant plura putarent adponenda: sed epulum id lautissimum ducerent, si eos, quos belli socios habituri essent, quam fortissimos & optimos efficerent. Quum autem Gobryas domum iturus surgeret, dixisse perhibetur: Equidem, mi Cyre, non amplius miror nos copiam maiorem poculorum, vestium, auri possidere, quam vos: sed vobis tamen multo esse minoris æstimandos. Quippe nobis est curæ, vt copia illorũ adfluamus: vos id eniti studiose mihi videmini, vt longe præstantissimi sitis. Hęc Gobryas quum dixisset, subiecit Cyrus: Vide mi Gobrya, cras mane cum equitibus armatis adsis, vt copias etiam tuas inspiciamus: simulq; per agrum tuum nos ducas, vt sciamus, quæ pro amicorum, quæ hostium rebus nobis habenda sint. At tunc quidem his dictis, vterque ad sua discessit. Quum autem illuxisset, aderat cum equitibus
123 Gobryas, & præibat. At Cyrus, velut eum facere par est, qui cum imperio sit, non solum itineri faciundo intentus erat, sed inter progrediendum considerabat, fieri ne posset, vt hostes imbecilliores redderentur, ipsi firmiores. Itaque arcessito Hyrcanio & Gobrya, quos inprimis ea scire putabat, quibus sibi cognitis opus esset: Arbitror, inquit, amici me nequaquam in consiliis de hoc bello meis aberraturum: si vos, homines fidos, eis adhibeam. Vobis enim magis etiam cogitandum esse video, quam mihi, ne superior nobis Assyrius euadat. Nam me quod attinet, si frustratus in his fuero, fortassis aliud est quo me vertam: a vobis, si superior hic euaserit, omnia quæ possidetis, alienatum iri video. Etenim meus hostis est, non quod me oderit: sed quod sibi non expedire arbitratur, nos magnos esse: eaq; vna caussa est, cur bellum nobis faciat. At vos & odit, & adfectum

Boni imperatoris munus in persona Cyri declaratur.

adfectũ se a vobis iniuria ducit. Ad quæ respondit vterq; curæ sibi esse, res istas vt ita peragerent, quod ipsi hæc non ignorarent: ac præterea sibi vehementer esse curæ, qui negotiorum præsentium futurus sit exitus. Ibi tum ipse sic orsus est dicere: Velim mihi significetis, ait, an vos solos Assyrius existimarit erga se hostiliter adfectos, an & alium quemdam infestum ei nouistis? Immo, inquit Hyrcanius, maximi profecto eius hostes sunt Cadusij, populosa gens & robusta: itidemq; finitimi nobis sunt Sacæ, quos Assyrius iste multis maleficiis infestauit. Nam & illos æque, ac nos, conatus est sibi subiicere. Ergo existimatis, ait, iam libenter hos vtrosq; nobiscum inuasuros Assyrium? Immo etiam acriter, inquiunt, si quo modo coniungere se nobiscum possent. At quid obstat, ait, quo minus coniungantur? Nimirum Assyrij, dixere, gens ea, per quam nunc pergis. Quum hæc audisset Cyrus: Quid enim mi Gobrya, inquit, an non tu adulescentem hunc, qui modo regno potitur, ita accusas, vt qui moribus & indole supra modum superba sit? Nimirum talem, ait, eum expertus sum. Vtrum vero, subiecit Cyrus, in te solum se talem gessit, an etiam erga quosdam alios? Profecto, inquit Gobryas, erga multos etiam alios. Et quibus sane contumeliis imbecilliores adficiat, quid adtinet dicere? Etiam viri cuiusdam longe me potentioris filium, sodalem a iuuentute suum, sicut & meus erat, compotantem apud se comprehendit & castrauit: idq; propterea, quemadmodum nonnulli narrant, quod concubina regis eum laudauerat a formæ præstantia, felicemq; futuram dixerat, quam ille coniugem habiturus esset: vt autem iste nunc ait, quod eius concubinæ pudicitiã tentasset. Itaq; iam ille castratus est, & patre mortuo, imperium obtinet. Ergo, subiecit Cyrus, existimas hunc quoque nos lubenter conspecturum, si nos arbitraretur opem sibi laturos? Id vero sat equidem scio, ait Gobryas. Verum difficile est, mi Cyre, in conspectum eius venire. Quid ita? inquit Cyrus. Quia si quis cum eo coniungere se velit, eum necesse est præter ipsam Babylonem transire. Quid autem in hoc, ait Cyrus, difficultatis est? Quia profecto, inquit Gobryas, scio copias ex ea multo maiores his, quas tu nunc habes, prodiisse: at

Cyrus cõsilium capit de sociis pluribus adiũgendis.

124

que adeo plane tibi cōſtare volo, hanc ipſam ob cauſſam minus Aſſyrios nunc & adferre arma, & equos adducere, quam antea: quod exercitus tuus exiguus eſſe viſus ſit iis, qui eum conſpexerunt, quodque paſſim rumor hic iam ſparſus ſit. Quamobrem cōſultius arbitror eſſe, vt caute proficiſcamur. Huiuſmodi quum ex Gobrya Cyrus audiſſet, ita reſpondit: Recte, mi Gobrya dicere videris, qui profectionem nos inſtituere tutiſſimam iubes.

Cyri conſilium de adeunda Babylone.

Mihi vero negotium hoc conſiderandi nullum tutius iter ad animum accidit, quam ſi ad Babylonem ipſam tentamus: ſi quidem ibi robur hoſtium maximum eſt. Nam multos iſtic eſſe, fateris ipſe: qui ſi fidentibus animis ſint, etiam terrori nobis erunt, vt equidem arbitror. Iam vero ſi nuſquam nos conſpiciant, ſed deliteſcere nos in obſcuro exiſtiment, quaſi eos metuamus: certo futurum ſcias, inquit, vt metu liberentur, quem conceperunt: proque hoc tanto maior in eis fiducia exiſtat, quanto nos diutius non conſpexerint. Sin iam in eos pergemus, multos inueniemus plorantes adhuc illos, qui a nobis interfecti ſunt: multos, quibus erunt obligata vulnera, quæ a noſtris acceperunt: omnes denique recēti habebunt in memoria noſtri huius exercitus audaciam, & fugam calamitatemque ſuam. Scire autem plane debes, mi Gobrya, ſic comparatum eſſe: vt plerique mortales, quum fiduciæ pleni ſunt, ea ſint animorum elatione, quæ ſuſtineri nequeat. Verum vbi ſibi metuunt, tanto maiori ſtupidiorique formidine tenentur, quanto plures numero fuerint. Nam de multis & aduerſis rumoribus is terror eis
125 adauctus adeſt, deque multis & triſtibus rebus, ac multis etiam conſternatis exanimatiſque vultibus collectus. Adeoque ob magnitudinem terroris huius facile fieri nequit, vt vel ille verbis extinguatur, vel in hoſtem ducēdo robur animis addatur, vel ab eiſdem abducēdo militum ſpiritus excitentur: ſed quo magis hortere, præſentibus vt animis ſint, tanto ſe grauioribus in periculis eſſe putant. Quin & illud quo pacto ſe habeat, accurate conſideremus. Nam ſi deinceps in rebus bellicis apud eos futuræ ſunt victoriæ, qui maiorem hominum turbam adnumerabunt: recte tu nobis metuis, & nos reabſe in periculo verſamur. Sin vt antea, ſic etiam adhuc, ex virtute dimican-

dimicantium de prœliis decernitur: recte feceris, si bono sis animo. Nam Diis iuuantibus multo plures apud nos inuenies, qui pugnare velint, quam apud illos. Atque vt plus etiam fiduciæ sumas, hoc quoque tecum cogita. Sunt hostes iam multo minores, quam prius, postquam a nobis victi sunt: & multo nunc item minores, quam quum aufugerunt. Nos † autem & maiores nunc sumus, quam prius, quum vicerimus: & firmiores quum fortuna vsi prospera simus: & plures, quum vestrum accessione simus aucti. Noli enim deinceps ne de tuorum quidem honore detrahere, quando iam nobiscum sunt. Nam cum victoribus certo scire debes, mi Gobrya, etiam eos, qui sequuntur exercitum, fidentibus animis pergere. Ne id quidem te lateat, inquit, posse hostes hoc etiam tempore nos videre: sed magis illis strenui nequaquam parebimus, quam si aduersus ipsos progrediamur. Quum igitur hæc mea sententia sit, Babylonem nos recta ducito. Itaque sic pergentes, die quarto ad fines agri Gobryæ peruenerunt. Quumque iam esset in hostico, secum instructos consistere iussit tum pedites, tum equites, quot ipsi sufficere viderentur. Reliquis equitibus excurrendi potestatem fecit, hoc etiam præcipiens, vt armatos occiderent: reliquos cum pecudibus, quascumq; cepissent, ad se deducerent. Iussit & Persas cum ceteris populatum excurrere, quorum multi redierunt ab equis delapsi, multi etiam prædam amplissimam adduxerunt. Ea quum adesset, conuocatis Medorum Hyrcaniorumque principibus, & æqualibus Persicis, sic eos adloquutus est: Gobryas, amici, nos vniuersos hospicio exceptos liberaliter habuit. Itaque si rite Diis eximia pro more selegerimus, & reliquo exercitui, quantum satis erit, ac deinde prædam aliam huic dabimus: recte facturi sumus, vt statim cõstet, conari nos bene de nobis promerentes vicissim benefaciẽdo vincere. Quod vbi auditũ esset, & comprobatum & celebratũ fuit id quidem ab omnibus, sed vnus tamen huiusmodi quiddam protulit: Maxime, mi Cyre, faciendum hoc nobis est. Nam mea quidem sententia, Gobryas hic nos mendicos quosdam esse arbitratus est, quia Daricis onusti non venimus, nec aureis e pa-

† *Lectio marginis.*

Cyrus Babyloniorũ fines inuadit.

126

Liberalis cuiusdam hominis vox.

teris bibimus. At si hoc fecerimus, fortassis adgnouerit, posse homines etiam absque auro liberales esse. Ite igitur, inquit, atque vbi Dijs debita Magis tradideritis, & quæ exercitui suffecerint, selegeritis: cetera Gobryæ arcessito donate. Quamobrē acceptis illi rebus omnibus, quibus opus erat, cetera Gobryæ dederunt. Secundum hæc ad ipsam Babylonem progressus est Cyrus, instructo exercitu eodem modo, quo instructus pugnæ tempore fuerat. Quum vero Assyrij contra non prodirent, Gobryam Cyrus adequitantem dicere iussit, vel seipsum cum rege dimicaturum, si rex egressus pro regione dimicare vellet. Sin regionem suam non defenderet, necessario victoribus parendum sciret. Itaq; Gobryas eo profectus, vbi dicere tutum erat, hæc dixit. Is vero quemdā ad eum prodire iussit, qui verbis huiusmodi responderet. Hæc ait dominus tuus Gobrya: Non me pœnitet, quod filium tuum interfeci: sed quod præter ipsum, nō etiam te occiderim. Quod si pugnare vultis, ad diem ab hoc trigesimū adeste. Nunc enim nobis haud vacat, adparatu belli occupatis. Gobryas autem: Vtinam perpetuo te horū pœniteat, inquit. Satis enim adparet, te ab illo tempore quo eorum pœnitere cœpit, a me cruciari. Deinde renuntiat Cyro responsum Assyrij Gobryas, quo ille audito, copias abduxit, & arcessito Gobrya: Dic mihi, ait an non perhibebas, existimare te futurum, vt ille castratus ab Assyrio nobiscum se coniungeret? Equidem hoc, ait, certo mihi persuasum habeo. Nam multa iam pridem nos inter nos libere colloquuti sumus. Quando igitur commodum tibi videtur, hominem accedito, ac primum quidem sic facito, *quemadmodum ipse tibi significabit. Vbi vero cum eo congressus fueris, si quidem animaduertes, eum nobis amicum esse velle: prorsus hoc struendum erit, vt
127 clam sit, eum nobis amicum esse. Nec enim aliquis in bello amicos vlla ratione alia pluribus beneficiis adfecerit, quam si hostis esse putetur: nec inimicos vlla ratione alia quis adfecerit detrimentis pluribus, quam si amicus esse videatur. Noui equidem, ait Gobryas, idem turum quoque Gadatam, vt magno aliquo malo regem hunc Assyriorum adficere posset. Sed nobis cōsiderandum est, quid possit. Dic igitur, ait Cyrus, an in castellum hoc,

Cyrus Assyrio duellū offert.

Cyrus cōsilium capit de ineunda noua societate.

** Lectio marginis.*

quod est ante regionem hanc, & quod ipsi dicitis aduersus Hyrcanios & Sacas ad eum vsum, vt belli propugnaculum huic regioni sit, exstructum esse: in hoc inquam castellum existimas admissum iri a præsidij magistro castratum illum, si cum copiis accedat? Prorsus, inquit Gobryas, si quidem haud suspectus, vti nunc est, ad eum veniat. Ergo, ait, quamminime suspectus fuerit, si ego castella ipsius adoriar, tamquam ea capere velim, & ille totis viribus defendat: & capiam ego quiddam, quod ipsius sit, ille contra vel quosdam alios nostrum capiat, vel etiam nuntios eos, qui mittentur a me ad illos, quos regi Assyriorum infestos dicitis. Ex his qui capti fuerint, ad exercitum se proficisci dicant, vt scalas ad illud castellum deportent. At iste castratus, his auditis, adesse se simulet velut hæc indicaturum. Et Gobryas: si res ita geratur, ait, certo scio recepturum, atque etiam eum rogaturum, vt secum maneat, donec tu recedas. Ergo ait Cyrus, si semel castellum ingrediatur, an nostram illud in potestatem redigere possit? Ita videtur inquit Gobryas, siquidem intus ille adparando iuuet, ac tu foris impetu vehementiori exercitum admoueas. Ito igitur, inquit Cyrus, & enitere, castratum vt istum hæc edoceas, & re confecta nobis præsto sis: Fidem vero neque dederis, neque ostenderis ei maiorem illa quam a nobis ipse accepisti. Secundum hæc discessit Gobryas, cuius conspectus quum gratus illi castrato fuisset: ita cum eo conuenit & pactus est, vt oportuit. Quumque renuntiasset Cyro Gobryas, videri sibi apud eunuchum certa iam & firma esse omnia, quæ mandasset: tum deinde copias postero die Cyrus admouit: Gadata ex aduerso sua propugnante. Castellum a Cyro captum, id erat: quod Gadatas iusserat oppugnari. Nuntios autem, quos Cyrus miserat, prædicens eis quo proficisci deberent, alios Gadatas elabi siuit, vt copias adducerent, & scalas adferrent: quos vero 128 cepit, quæstionibus in multorum præsentia subiecit. Quumque audisset, ad quæ proficisci se dicerent: statim rebus ad iter adparatis, tamquam hæc enuntiaturus, noctu profectus est. Tamdem quum ei fides habita esset, velut opem laturus castellum ingreditur: ac primum quidem vna cum eo, qui castello præfectus erat, omnia pro

Strategema Cyri.

viribus adparabat. Posteaquam vero Cyrus accessit, castellum Gadatas occupat, vsus ad hoc etiam captiuorum de Cyri copiis opera. Quo confecto, statim Gadatas eunuchus rebus in eo constitutis ad Cyrũ egreditur, quem vbi pro more adorasset: † Gaudere, inquit, te Cyre iubeo. Gaudeo vero, subiecit ille. Nam tu cum Diis non solum me iubes, sed etiam cogis gaudere. Nam plane scias, magni me facere, quod sociis heic nostris castellum hoc pacatum relinquo. Tibi vero Gadata, liberum quidem procreandorum, vti videtur, facultatem Assyrius ademit, amicos parandi facultatem non abstulit. sed velim tibi persuadeas, te nos hoc facto tibimet amicos adiunxisse: qui tibi conabimur, si poterimus, haudquaquam deteriores opitulatores esse, quam si vel filios, vel nepotes haberes. Huiusmodi verba Cyri fuerunt. Atque heic Hyrcanius, qui jam primum animaduerteret, quid esset gestũ, adcurrit ad Cyrum, prehensaque ipsius dextra, inquit: O ingens tu bonum amicis, Cyre, quãtam vt Diis gratiam modo debeam, effecisti: quod tibi me coniunxerunt. Tu vero abito, inquit Cyrus, & recepto in potestatem tuam castello, cuius causa me tantopere cõplecteris, ita res eius componito: vt † & tibi amico nostro, quantiuis pretij sit: & reliquis sociis, inque primis huic Gadatæ, qui captum nobis tradit. Quid igitur? inquit Hyrcanius, an vbi Cadusij, Sacæque venerint, & ciues mei, hunc etiam vocabimus, vt omnes, ad quos res pertinet, in commune consulamus, quo pacto maxima cum vtilitate nostra castello fruamur? Placuit hoc Cyro, quumq; conuenissent, ad quos castelli cura pertinebat, hoc consilij ceperunt: vt communiter ab iis custodiretur, quibus expediret illud habere pacatum: quo ipsis belli propugnaculum esset, ac aduersus Assyrios munimentum. Id vbi factũ esset, multo alacrius Cadusij, Sacæ, Hyrcanij militiæ societatem amplectebãtur. Coactusque hinc est exercitus, ex Cadu-
129 siis, ad vicies mille cetrati, quatuor circiter equitum millia: de Sacis, decies mille sagittarij & duo sagittariorum equitum millia: & Hyrcanij quantũ poterant, peditum suorum numerum auxerunt, & equitum numerum expleuerunt ad duo millia. Nam domi antehac ab eis maior equitum pars relicta erat, quod Cadusij & Sacæ ho-

stes

Salutatio Græca. Sic & Horatius: Celso gaudere.

Vt & nationi vestræ,

Cyrus exercitũ auget industria singulari.

ſtes Aſſyriorum eſſent. At toto illo tempore, quo Cy-
rus hærebat heic, vt caſtelli res conſtitueret, multi Aſ-
ſyriorum, qui his locis erant vicini, equos adducebant,
multi deferebant arma, quod iam finitimos omnes
metuerent. Poſtea venit ad Cyrum Gadatas, & nun- *Aſſyrius*
tios ad ſe veniſſe dicit, qui narrarent Aſſyrium, poſt- *Gadatæ*
eaquam de caſtello inaudiuiſſet, grauiter moleſteque *agrum in-*
tuliſſe, ſeque ad incurſionem in Gadatæ agrum para- *uadit.*
re. Quamobrem ſi me Cyre dimiſeris, ait, ſaltem tue-
ri munitiones enitar. quippe res ceteras minoris fa-
cio. Et Cyrus: Si ergo iam diſceſſeris, inquit, quan-
do futurus es domi? Nimirum die tertio mea in di-
tione cœnabo, inquit Gadatas. An & Aſſyrium iſtic,
ait Cyrus, offenſurum te iam arbitraris? Sat ſcio, in-
quit Gadatas. Tanto magis enim feſtinabit, quan-
to tu abiiſſe longius videris. Verum ego, ſubiecit Cy-
rus, quoto die cum copiis eo peruenire poſſim? Et Ga-
datas ad hæc: Magnæ iam tibi, mi domine, copiæ
ſunt: vixque poteris ſex ſeptemve diebus meum ad
domicilium peruenire. Tu ſane, ait Cyrus, quam ce-
lerrime te eo confer: ego pro viribus iter faciam. Diſ-
ceſſit ergo Gadatas. Cyrus autem coactis omnibus ſo- *Cyrus ad*
ciorum principibus, qui iam multi, ac præclari for- *defenden-*
teſque viri videbantur adeſſe, huiuſmodi orationem *dũ Gada-*
in eorum cœtu habuit: Perfecit nobis Gadatas, ſo- *tam ſepa-*
cij, quæ nos omnes magni æſtimanda duximus, at- *rat.*
que etiam prius, quam vllo a nobis beneficio eſſet ad- “
fectus. At nunc Aſſyrius fines eius inuadere nuntia- “
tur, qui nimirum eadem vult opera ſupplicium de il- “
lo ſumere, a quo ſe magnum accepiſſe detrimentum “
putat: & fortaſſis etiam cogitat, ſi nihil ab ipſo acci- “
dat illis mali, qui ad nos deficiunt, & ipſius ſocij ad in- “
ternecionem a nobis deleantur: par eſſe creditu, bre- “
uiſſimo tempore neminem ab ipſo futurum. Præcla- “
rum ergo quiddam facere videbimur, ſi alacribus ani- 130
mis opem Gadatæ tulerimus, homini bene de nobis pro- “
merenti: & iuſte fecerimus, ſi gratiam referamus: atq; “
etiam, mea ſententia, rebus noſtris recte conſulueri- “
mus. Nam ſi videbimur in oculis omnium eniti, vt eos, “
qui nos lædũt, lædendo vincamus, & bene merentes be- “

" neficiis superemus: consentaneum est, multos amicitiæ
" se nostræ libenter adiuncturos, & neminem futurum,
" qui nos sibi hostes esse cupiat. Sin Gadatam negligere
" videamur, quo ore per Deos immortales aliis, persuase-
" rimus, vt nobis gratificentur? qui nosmet audeamus lau-
" dare? qui possit aliquis nostrum Gadatam intueri, si tot
" ipsi numero, beneficiis ab vno superemur, & quidẽ hoc
" modo rebus ipsius comparatis? Hæc Cyrus dixit, eaque consenserunt omnes acriter esse faciunda. Agite igitur, inquit, quando vobis hæc etiam placent, relinquamus singuli eos apud iumenta & vehicula, qui quam maxime sint ad iter cum his faciundum idonei: & Gobryas his præfectus sit, qui eos præcedat. Est enim peritus itinerum, & ad quæuis alia idoneus. Nos autem cum equis & viris quibusq; valentissimis, trium dierum commeatu instructi, pergamus. Quanto quidem leuius & vilius nos onerauerimus, tanto sequentibus hisce diebus proximis iucundius & pransuri, & cœnaturi, & dormituri sumus. Nunc vero iter hoc modo instituamus. Primũ tu Chrysanta loricatos ducito, quando plana & lata via est: cohortiumq; præfecti omnes in fronte tibi sunto, & cohors quælibet ita procedito, vt singuli singulis succedant. Quippe cateruatim & celerrime & tutissime iter fecerimus. Loricatos ea de caussa præire iubeo, quod exercitus ea pars maxime grauis sit. Grauissima vero si præeant, facilius omnia sequantur necesse est, quæ leuiora sunt. Quod si pars expeditissima noctu præeat, mirum non est, diuelli copias. Tunc enim id, quod prima est in acie, celerius aufugit. Post hos * Artabazus Persas, qui cetrati sunt, & sagittarij, ducat: post eos Andramias Medas, peditatum Medicum: post eos peditatum Armeniorum, † Embas: post eos, Artuchas Hyrcanios: post eos, * Thambradas peditatum e Sacis: post eos, † Damatas Cadusios. Atque omnes hi sic ducant, vt cohortium præfectos in fronte habeant, cetratos ad dextram, ad læuam agminis sui sagittarios. Nam si hoc modo incedant, etiam paratiores quemlibet ad vsum fuerint. Post hos, inquit, calones cum impedimentis omnium sequantur, quorum præfecti dent operam, vt omnes conuasent prius omnia, quam somnum capiant, ac ma-

Cyrus exercitũ quibus modis expeditissimũ reddiderit.

*al. *Artabatas.*

†*Embatas.*

131

* *Sambacas.*

†*al. Datamas.*

ac mane cum impedimentis loco conſtituto adſint, &
ordine ſequantur. Poſt impediměta Perſas equites *Ma- *al. Damatas.
datas Perſa ducat, & centuriones equitum itidem in
fronte habeat. Quilibet autem centurio cohortem du-
cat ſingillatim, perinde atque peditum etiam præfecti
faciunt. Poſt hos Rambacas Medus equites itidem ſuos,
& poſt eos tu Tigranes tuas equeſtres copias. Reliqui
deinde magiſtri equitum ducant eos, cum quibus ad
nos quiſq; venit.* Secundum hos Sacæ ducunto. Cadu- * Lectio marginis.
ſij quemadmodum vltimi venerunt, ita etiam poſtremo
ſint in agmine: tuq; Alceuna ductor eorum ſtudioſe cu-
ram gerito in hoc quidem tempore omnium, qui vlti-
mo ſunt in agmine: neq; permittito, vt quiſquam equi-
tes tuos ſequatur. Date vero etiam operam vos præfecti,
& omnes, qui ſapitis, vt cum ſilentio progrediamini.
Quippe noctu magis auribus, quam oculis, ſingula tum
percipi, tum agi oportet. Quin & maioris res eſt negotij,
ſedatuq; difficilior, ſi perturbatio noctu incidat, quam
interdiu. Quapropter & ſilentium teneri diligenter, &
ordines ſeruari neceſſe eſt. Nocturnæ vero excubiæ, quo-
ties noctu caſtra mouenda vobis erunt, ſemper quam
breuiſſimæ conſtituendæ ſunt, & frequentes: ne cui vi-
giliæ in excubiis, ſi diuturniores ſint, in itinere noceant.
Quum autem proficiſcendi tempus erit, cornu ſignum
eſt dandum. Denique ſinguli a neceſſariis rebus inſtru-
cti, ad viam Babylonem verſus ineundam adeſte. Quiſ-
quis vero progredi cœperit, * ſemper a tergo iter facien- * al. ſemper vltimũ
tem ad ſequendum hortetur. Secundum hæc ibant ad ante ſe, pro
tabernacula, & inter eundum colloquebantur inter ſe, ximum ſi-
quantum memoria valeret Cyrus, ſi quid cum aliquibus bi, ſequi-
eſſet conſtituendum, quo modo nominatim adpellatis tor.
ſuis præciperet. At Cyrus hoc ſtudioſe faciebat, cui per- Cyri memoria.
quam mirum videbatur, eos, qui opificia ſordida profi-
terentur, tenere ſingulos inſtrumentorum opificij ſui
adpellationes, ſicut medicus & inſtrumentorum & me-
dicamentorum omnium, quibus vtitur, nomina nouit:
imperatorem vero tam ſtolidum eſſe, vt ducum ſub ſe 132
nomina ignoraret, quibus ei tamquam inſtrumentis Cur imperator nomina ſuo-
neceſſario eſſet vtendum, ſiue quid occupare, ſiue cu-
ſtodire, ſiue aliquibus animos addere, ſiue terrere cu-

um tenere debeat. peret. Quinetiam si quem honore adficere aliquando vellet, decori rationem postulare putabat, vt nominatim hunc cõpellaret. Præterea existimabat eos, qui principi se notos esse arbitrarentur, magis hoc expetere, vt præclarum aliquid gerentes conspicerentur, & a facinore turpi maiore studio abstinerent. Hoc quoq; stolidum esse statuebat, imperatorem, quum aliquid geri vellet, ita præcipere, quemadmodum domini quidam domi suæ imperant: Erat aliquis ad aquam, ligna quis findat. Nam si hoc modo iubeant, mutuo se respicere putabat omnes, neminemque imperata facere, & omnes eadem culpa teneri, neque tamen quemquam vel pudore ob culpam adfici, vel sibi metuere, quod ea cum multis ipsi communis esset. Has ob caussas quoties aliquid imperaret, omnes adpellabat nominatim. Atque hæc Cyri erat de his sententia. Milites vero tum cœnati, locatis excubiis, & necessariis rebus omnibus conuasatis, quieti se dederũt. Nocte media cornu signum est datum. Quumque Cyrus Chrysantæ dixisset, illum in itinere mansurum ante exercitum: adparitoribus suis secum sumptis, egrediebatur. Paulo post aderat Chrysantas, & loricatos ducebat. Itaque Cyrus datis ei ducibus itineris pedetentim vt pergeret, iussit: donec nuntius adesset. nec tum enim viam omnes ingressi erant. Ipse consistens eodem in loco, quemlibet aduenientem ordine progredi iubebat: cunctantem vero, missis nuntiis, arcessebat. Quum omnes essent in itinere, misit equites ad Chrysantam, qui omnes in via iam esse nuntiarent: vtque propterea celerius ducendo progrederetur. Ipse profectus equo ad partem anteriorem, tacitus ordines inspectabat: & quos quidem composite & cum silentio videbat incedere, ad

Cyri nocturno in itinere singularis industria. eos adequitans, quinam essent, interrogabat: eoque cognito, illos collaudabat: sin quosdam tumultuari animaduerteret, comperta rei caussa motum sedare nitebatur. Restat indicanda eius adhuc vna cura diligentiaque nocturna, quod ante copias vniuersas pedites quosdam

133 expeditos, eosque non multos præmisit, qui & conspicerentur a Chrysanta, & Chrysantam conspicerent: vt auribus captando, & alio quodam modo si persentiscere aliquid possent, Chrysantæ significarent, quidquid

offer-

offerre occasio videretur. Erat autem quidam, qui his præfectus imperabat, & eos instruebat. Ac si quid esset operæ pretium, significabat: sin autem, indicando minime molestus erat. Et nocte quidem haciter hoc modo fecerunt. Quum vero illuxisset, quosdam Cadusiorum equites propterea, quod eorum pedites vltimi pergerent, apud eosdem reliquit: ne ab equitibus hi nudi progrederentur: reliquos in anteriorem partem prætervehi iussit, versus quam & hostes erant: vt si quid vspiam ei se opponeret, cum instructo robore occurrens dimicaret: sin alicubi conspecti essent, qui fugerent, vt quam expeditissime persequeretur. Et erant apud eum semper instructi, si persequendum esset, qui persequi deberent: & quibus esset apud eum manendum. Nam vniuersos ordines * dissolui numquam patiebatur. Hoc modo Cyrus exercitum ducebat. Neque tamen ipse vno tantum loco vtebatur, sed alias alibi circumuectus inspectabat, ac si quo esset opus, id curabat. Sic ergo Cyri agmen pergebat. Quidam vero in equitatu Gadatæ vir potens, quod eum defecisse ab Assyrio videbat: arbitrabatur se, si quid illi accidisset, omnia quæ possideret Gadatas, ab Assyrio impetraturum. Itaque de suis hominem quendam fidum ad Assyrium mittit, & eunti mandat, vt si iam in agro Gadatæ Assyriorum copias offenderet, diceret Assyrio: posse ab eo & Gadatam, & qui essent cum illo, capi: si quidem insidias tendere vellet. Præterea significare iubet, quem copiarum numerum Gadatas duceret, quodque Cyrus cum eo non veniret: indicata etiam via, qua esset accessurus. Dedit & familiæ suæ mandata, quo plus ei fidei haberetur, vt castellum, quod in agro Gadatæ possidebat, Assyrio cum vniuersis in eo rebus traderent. Se quidem venturum aiebat occiso Gadata, si posset: sin autem, velle se tamen deinceps apud Assyrium esse. Is vero, cui datum hoc erat negotij, quum equitando quam fieri poterat celerrime ad Assyrium peruenisset, & cuius rei caussa veniret, exposuisset: audita re, mox castellum Assyrius occupat, & numeroso cum equitatu, multisque curribus, in vicis illic frequentibus insidias locat. Gadatas, quum prope ab his vicis abesset, exploratum quosdam præmittit.

** Si legas χυθῆναι, sententia est, In persequendo dispergi non patiebatur.*

Quidā ex Gadatæ subditis herū prodere conatur.

Gadatas delatus in insidias, pæne opprimitur.

134.

Aſſyrius animaduerſo, exploratores aduenire, currus quoſdā productos caſtris, duos tresve, cū paucis equitibus, fugere iubet: quaſi qui & territi, & numero pauci eſſent. Ea quum exploratores viderent, non ipſi ſolum perſequebantur, ſed etiam Gadatæ innuebant. Is deceptus, totis viribus inſequitur. Aſſyrij quū Gadatam capi iam poſſe putarent, ſtatim ex inſidiis ſurgunt. His Gadatæ milites conſpectis, vt par erat, fugiunt: illi contra, quemadmodum fieri ſolet, inſequebantur. Atq; heic Gadatam is feriens, qui has ei ſtruxerat inſidias, aberrat ille quidem a vulnere letali: ſed icto tamen humero, vulnus homini inflixit. Ea re patrata diſcedit, vt perſequentibus ſe coniungeret. Adgnitus autem, quis eſſet, alacriter vna cum Aſſyriis equo concitato, regem in perſequendo iuuat. Atque heic iam illi ſcilicet, quibus erant equi tardiſſimi, ab iis capiebantur, qui velociſſimos habebant. Quumque iam equites Gadatæ omnes valde premerentur, quod itinere confecti eſſent: Cyrum cum exercitu aduenientem conſpiciunt. Tum vero credi par eſt eos tamquam in portum ex tempeſtate libenter & cum voluptate adpuliſſe. Cyro primum res admirationi eſſe. verum vbi quid ageretur, animaduertit: quam quidem diu illi aduerſi contra ſe ferebantur, & ipſe copias inſtructas in eos ducebat. Quum autem hoſtes eo, quod erat, cognito in fugam verſi ſunt: ibi tum Cyrus illos, quibus hoc negotij dederat, perſequi iuſſit, & ipſe cum ceteris ſubſequebatur prout expedire putabat. Itaque tunc & currus aliqui capti ſunt, de quorum nonnullis aurigæ delabebantur, partim dum conuerterētur, partim aliis modis: aliqui etiam in poteſtatem ab equitibus intercepti venerunt. Interficiunt etiam cum alios multos, tum illum ipſum, qui Gadatam vulnerarat. Pedites autem Aſſyrij, qui forte tunc Gadatæ caſtellum oppugnabant, partim in illam munitionem ſe fuga recipiunt, quæ a Gadata defecerat: partim aduentu hoſtium anteuerſo in magnam quamdam Aſſyrij regis vrbem ſe conferunt, in quā & ipſe cum curribus & equis aufugerat. His rebus confectis, Cyrus in regionem Gadatæ recedit: datisque mandatis ad eos, quorum intererat, vt captiuorum curam gererent, recta pergit, vt Gadatam viſeret, & quo pacto ſe is ex vulnere ha-
135 beret,

Gadata proditor interficitur.

beret, cognoſceret. Illi pergenti Gadatas obligato iam vulnere occurrit. Quem Cyrus vt vidit, lætus ait: Ad te ibam viſutus, qui valeres. Ego vero, inquit Gadatas, iterum te profecto ſpectatum veni, vt videam, quæ vultus tui ſpecies ſit, tali animo præditi viri qui ſane, quum ipſe neſciam, qua nunc in re mei indigeas, nec facturum hæc te receperis, nec adfectus vllo a me vel tantillo ſis beneficio priuatim, ſed ideo duntaxat, quod tibi viſus ſum aliquid amicis vtilitatis adferre, vſque adeo alacriter opem tuliſti, vt iam me quod adtinet, perierim: quod te, ſaluus ſim. Deos teſtor, mi Cyre, etiam ſi talis eſſem, qualis initio natus ſum, liberosq; procreaſſem; haud ſcio, an filium ſic erga me adfectum habiturus fuerim. Nam & alios aliorum filios noui, & hunc ipſum Aſſyriorum modo regem, multo plus doloris & moleſtiæ patri ſuo creaſſe, quam tibi iam creare poſſit. Ad quæ Cyrus reſpondit: Mi Gadata, multo maiori certe miraculo prætermiſſo, iam me admiraris. Et quidnam illud eſt? ait Gadatas. Quod, inquit, tot Perſæ tibi nauarunt operam: tot Medi, tot Hyrcanij, atq; adeo quotquot adſunt Armenij, Sacæ, Caduſij. Et Gadatas adiecto voto: Verum his, ait, o Iupiter, multa Dij bona largiantur, & illi plurima, qui auctor eſt, vt & hi tales ſint. Vt tamen eos, quos tu prædicas Cyre, egregie hoſpitio excipiamus: accipe hæc munera, qualia quidem dari a me poſſunt. Simulq; permulta adduxit, vt & rem ſacram facere, qui vellet, poſſet: & vniuerſus exercitus hoſpitio exciperetur pro rerum illarũ dignitate, quæ res & præclare geſtæ erant, & præclare ſucceſſerant. Caduſius autem, extremi cuſtos agminis, quia perſequendi non fuerat particeps, ac vellet etiam ipſe facinus illuſtre quoddam edere: neq; communicata re cum Cyro, neq; ad eum delata, in regionem verſus Babylonem ſitam excurrit. Diſperſis vero ipſius equitibus, rex Aſſyrius ab vrbe ſua, quo confugerat, ſuperueniens: cum inſtructis egregie copiis occurrit. Quumq; ſolos eſſe hos Caduſios percepiſſet, impetum in eos facit, & tum Caduſiorũ principem interficit, tum multos alios. Quin & complures Caduſiorum equos capit, quamq; forte prædam illi tunc agebant, aufert. Atq; 136
hoc modo Aſſyrius Caduſios eo vſq; perſequutus, quo

Gadatas Cyro gratias agit.

Caduſius excurrens temere, occiditur.

Cyri erga Cadusios commiseratio.

tutum esse putabat, reuertit. Cadusij vero primi ad castra circa vesperam salui peruenerunt. Cyrus, vbi rem sic, vti gesta fuerat, cognouit: & obuiã Cadusiis prodiit, & quem vulneratum videret, eum recipiens, ad Gadatam mittebat, vt curaretur. Ceteros in eadem tabernacula distribuebat, studioseque cum aliis & ipse dabat operam, vt eis necessaria suppeterent, adsumtis in partem curationis
„ huius nonnullis de Persarum æqualibus. nam in huius-
„ modi rebus viri boni libenter operas suas coniungunt. Adeo vero molestũ hoc sibi accidisse declarabat, vt quum iam cœnarent alij, nimirum opportuno cœnæ tempore, Cyrus cum adparitoribus ac medicis neminem suã quidem sponte neglectum relinqueret: sed vel ipsemet inspectoris munere fungeretur, vel ipse si hoc perficere nõ posset, palam mitteret, qui curam eorum gererent. Ac tum quidem ita se quieti dederũt. Vbi primum autem illuxisset, significari præconum opera iussit, vt reliquorum quidem principes, Cadusij vero vniuersi conuenirent, & huiusmodi quædam in medium adtulit: Humanum est, quod nobis accidit socij. Nam eos, qui homines sint, er-

Cyrus Cadusios cõsolatur.

„ rare: mirum videri, mea quidẽ sententia, non debet. Me-
„ rito autem ex eo, quod contigit, boni alicuius fructus ad
„ nos redit: nimirũ vt discamus, imbecilliores copias, quã
„ hostium copiæ sint, ab exercitu toto numquam auellen-
„ das esse. Neq; hoc a me dicitur, ait, non debere aliquem
„ etiam minori cum agmine illuc proficisci, quo sit opus,
„ quam illud fuerit, cum quo Cadusius modo exiit: sed si
„ quis re cum illo communicata egrediatur, qui satis viri-
„ um ad opem ferendam habeat, fieri quidem posse vt de-
„ cipiatur: at illud etiã posse fieri, vt per eos, qui remanent,
„ hostes deceptos auertat ab iis, qui sunt egressi. Quin &
„ alia negotia quis hosti facessere potest, eoque modo ami-
„ cos in tuto collocare. Atq; ita fiet, vt ne quidẽ is, qui dis-
„ cesserit, absit: sed ab exercitus robore pendeat. Qui vero
„ discedit, neque communicat prius quo iturus sit: illi ni-
„ hil admodum diuersi accidit ab eo, si solus aliquis expe-
„ ditionem suscipere velit. Sed enim huius facinoris causa
„ volente Deo, non longo tamdẽ ex interuallo in hostem
„ vindicabimus: sed vbi primũ pransi fueritis, eo vos equi-
„ dem ducã, vbi res est gesta, simulq; mortuos sepeliemus,

simul

simul hostibus, si Deus volet, ostendemus: illic alios longe ipsis esse potiores, vbi se superiores euasisse censent: atque etiam efficiemus, vt ne locum quidem illum libenter intueantur, quo loco socios nostros interemerunt. 137
Sin aduersi non prodierint, incendemus eorum vicos, agrumq; populabimur, ne læticiam de conspectu eorum, quæ in nos patrarunt, capiant: sed intuendo mala ꝓpria, dolorem sentiant. Itaque vos, inquit, alij pransum ite: vos autē Cadusij primum hinc digressi, more vestro aliquem deligite, qui cum imperio vobis pręsit, & cum Diis ac nobis curam vestri gerat, vbicumq; opus fuerit. Hunc vbi delegeritis, ac pransi fueritis, delectum ad me mittite. Atque hæc illi fecerunt. Cyrus autem eductis copiis, postquam illi, quem Cadusij legerant, suum in acie locum tribuisset: iussit, vt propter se suorum aciem duceret, quo Cadusiorum, inquit, animos iterum excitemus, si quidem poterimus. Hoc modo profecti, quum ad locum peruenissent: & Cadusios sepeliebant, & agrum populabantur. Quod vbi factum ab eis esset, commeatum ex hostico secum ferentes, in regionem Gadatæ reuersi sunt. Quum autem ad animum Cyro accidisset, futurum, vt qui ad se defecerant, quod a Babylone non procul remoti essent, misere adfligerentur, nisi præsens ipse semper adesset: nō solum eos, quotquot ex hostibus dimittebat, Assyrio dicere iussit, sed misso etiam caduceatore denuntiauit: se paratum, vt agricolis parceret, nullaq; hos adficeret iniuria, siquidem & ipse illorū, qui ad se defecissent, agricolis permissurus esset, suas vt operas facerent. Ac tu quidē, ait, etiamsi prohibere possis, non nisi paucos prohibebis: quod eorum, qui ad me defecerunt, exiguus sit ager: ego vero permitterem, amplam tibi ditionē cultam esse. Iam eo tempore, quo fructus colligēdi sunt, si quidē bellū fuerit, is qui potentior est, hos mea sentētia colliget: sin pacē iniuerimus, tu scilicet id facies. Quod si quis vel meorum aduersus te arma sumserit, vel tuorū aduersus me: in hos, inquit, pro virili vterq; vindicabimus. Cum his mādatis caduceatorē ablegauit. Assyrij vero, quū hæc audiissent, omnia mouebāt ad persuadēdum regē, vt hæc admitteret, ac quam minimū belli reliquum faceret. Assyrius vero, siue genti suæ

Cyrus Cadusiorum cædem vlciscitur.

Cyrus agricolis parcendū censet.

obsequutus, siue quod idem & ipse vellet, hæc comprobauit. Itaque pactis initis conuenit, vt cum agricolis pax esset, cum armatis bellum. Hæc igitur de agricolis Cyrus
138 perfecit, iumentorum pascua suos si vellent in ditione sua collocare iussit: hostium vero ditionem populari vndecumque possent, vt militia sociis iucundior esset. Nam tametsi commeatus nullus pararetur, tamen eadem pericula proposita erant: at ipsam militiam leuiorem efficere videbatur, quod ex hostium regione annonas haberent. Quum autem Cyrus se iam ad discessum pararet, aderat Gadatas, & quum alia dona multa variaq; secum adferebat & adducebat, velut ex ampla copiosaque domo: tũ permultos equos, suis equitibus ademtos, quibus iam propter illas insidias fidem non habebat. Vbi propius accessisset, ita loquutus est: Hæc ego iam adduco tibi, mi Cyre, quibus in hoc tempore velim vtaris, si quidem horum aliquo tibi sit opus. Existimare vero debes, etiam alia, quæ mea sunt, esse tua. Quippe nemo est, nec vmquam erit, cui ex me nato domum meam sim relicturus: sed necesse est, inquit, me moriente, mecum & genus nostrum, & nomen extingui. Atque hæc perpessus sum, mi Cyre, (Deos iuratus testor, qui & vident & audiunt omnia) quum tamen nihil iniustum, nihil turpe, neque dixerim, neque fecerim. Simulq; hæc dicens, fortunam suam cum lacrumis deplorauit, neq; loqui plura potuit. Quibus auditis Cyrus, commiseratus hominis calamitatem, dixit: Equidem equos accipio. Nam vtile tibi hoc erit, quod eos daturus sum hominibus maiori te studio prosequentibus, quam quorum modo erant, vti quidem adparet: & Persicum equitatũ, cuius desiderio iamdudum incẽsus sum, celeriter explebo ad decem equitum millia. Reliquas illas pecunias & opes tecum auectas seruato, donec tantum habere me videris, vt remunerando te non sim inferior. Quod si ita abeas, vt plura mihi des, quam a me acceperis: nescio profecto, quo pacto facere possim, vt pudore non adficiar. Ad ea Gadatas: Equidem hæc tibi credo, ait. nam ingenium tuum video. Verum consideres, an satis ad hæc conseruanda sim idoneus. Etenim quam diu inter nos & Assyrium amicitia constabat, paterna ditio pulcherrima videbatur esse. Quip-

Cyrus equitatum Persicum mirifice auget.

Quippe quum ab vrbe maxima Babylone prope abſit, quicumque fructus ex vrbe ampla capi poteſt, eum nos capiebamus: quidquid autem moleſtum eſſe poterat, ab eo nos domum profecti longe aberamus. Nunc quum hoſtes ſimus, planum eſt, vbi tu diſceſſeris, futurum, vt & nobis, & toti domui noſtræ inſidiæ ſtruantur: adeoque, mea ſententia, triſtis erit & miſera vita noſtra, qui & o- 139
mnino vicinos habituri ſimus hoſtes, & eoſdē nobis etiam potentiores conſpecturi. Fortaſſe dixeris, cur iſta non cogitarim prius, quam deficerem? Quia, mi Cyre, animus meus propter acceptā iniuriam, & propter iram, non quod eſſet tutiſſimum conſiderabat, ſed huiuſmodi quiddam perpetuo parturiebat: Ecquando licebit vlciſci hunc & Diis & hominibus inuiſum, qui non deſinit odiſſe, non ſi quis eum lædat: ſed ſi quem ſe præſtantiorem ſuſpicetur? Itaque quum ignauus ipſe ſit, omnes etiam mea ſententia ſe deteriores ſocios habebit. Quod ſi quis inter hos eo præſtantior eſſe viſus fuerit, certus eſto, mi Cyre, nequaquam tibi aduerſus eiuſmodi virum egregium dimicandū eſſe: ſed ipſius Aſſyrij machinationes ſufficient, vt illum præſtantiorē ſe perimat. Verum vt mihi moleſtus ſit, in eo, quamuis ignauis & improbis hiſce ſociis vtatur, facile ſuperior eſt, vt opinor, futurus. Hæc quum Cyrus audiiſſet, viſus eſt ei digna conſideratione dicere. Itaque ſtatim: Quid ais, inquit, mi Gadata, nonne caſtella præſidiis muniiſti, quibus eſſe tutus poſſis, quum ea fueris ingreſſus? Ipſe vero nonne nobiſcum es in expeditione, vt ſi Dij perinde nobiſcum fuerint, ac modo, hic te metuat, non tu ipſum? Quin tu mecum proficiſcitor, & quidquid tuorum adſpectu tibi iucundum eſt, aut cuius conſuetudine delectaris, id tecum habeto. Nimirum & tu mihi, vt arbitror, admodum vſui fueris, & eſſe tibi ego conabor, vt potero. Quæ Gadatas quum audiiſſet, reſpirauit ac dixit: Num poſſim res meas citius colligere, quam tu diſcedas? Nam & matrem mecum abducere volo. Poſſis, inquit, profecto citius. Etenim ſubſiſtam, donec tibi commodum eſſe dixeris. Itaque digreſſus inde Gadatas caſtellis, quæ communierat, vna cum Cyro præſidia impoſuit, & omnia, quibus ampla domus inſtrui commode poſſet, colle-

git. Præterea suorum plerosque secum abducebat, tum fidos, quibus delectabatur, tum quibus diffidebat: quorum alios cogebat secum vxores ducere, alios sorores, vt his quasi vinculis eos constrictos teneret. Itaque Cyrus cum Gadata, & quos ille secum haberet, abibat: qui & index ei viarum esset, & aquarum, & pabuli, & frumẽti: quo castra semper vberrimis in locis haberet. Quũ vero pergens in itinere Babyloniorum vrbem adspiceret, atque ei via qua incedebat, ducere propter vrbis ipsa mœnia vi-

Cyrus Babylonem adit iterũ.

140 deretur: arcessito Gobrya, Gadataque, aliane via esset, interrogabat: vt tam prope ad mœnia non accederent. Et Gobryas: Sunt, inquit, mi domine, permultæ quidem viæ: sed existimabam equidem, te quam proxime iam ad vrbem ducere velle, quo ipsis commonstrares, exercitum tibi nunc & numerosum esse, & præclarum. Nam quum is etiam minor esset, ad murum ipsum accessisti, & nos illi haud multos numero spectabant. Nunc tametsi paratus sit Assyrius, quemadmodum aiebat, ad paratum ab se fieri ad pugnam: scio futurum, vt si copias tuas conspexerit, imparata ipsi sua videantur. Ad hæc Cyrus ait: Videris mihi, mi Gobrya, mirari: quod id temporis, quo multo cum minori exercitu veni, ad ipsa vsque mœnia duxerim: nunc maioribus copiis instructus, ducere sub muros nolim. Verum id tibi mirum ne sit, ait. Non enim idem est adducere, & præterducere. Omnes enim sic instructas copias adducunt, vti se quamoptime pugnaturos arbitrantur: atqui sapiunt, sic abducunt, vt quam tutissime, non quam celerrime abscedant. In prætereundo autem, exporrigi plaustra necesse est, & impedimenta quoque cetera multum laxari: atque hæc omnia tegi armatis, nec vspiam impedimenta hostibus ab armis nuda conspici. Sic vero procedentibus copiis, necesse est aptos pugnæ milites iuxta debiles & imbecillos collocari. Si ergo velint ex munitione cõferti hostes in aliquos prætereuntes impetum facere, vbicumque tamdem manus conferent, multo validiores erunt in conflictu, quam qui prætereunt. Præterea quum longum agmen trahitur, etiam subsidia ferri non nisi longo ex interuallo possunt: qui vero extra munitionem erumpunt, breui spatio ad illos, qui prope absunt, & excurrere possunt, & rursus abscede-

Cur Cyrus ad mœnia propius iã nollet accedere.

ſcedere. Quod ſi non minori ex interuallo præteribi-
mus, quam ex quo nos conſpecturi ſunt, & vti nunc
extenſis ordinibus procedimus: multitudinem illi no-
ſtram conſpicient, & omnis multitudo propter arma-
tos adtextos formidabilis adparet. Quod ſi nobis hoc
modo incedentibus, tacite nos inuadent: quia multo
eos ante proſpicimus, imparati minime deprehende-
mur. Quin potius ne quidem nos adgredientur, quum
ipſis procul a muro erit recedendum: niſi ſe cum vniuer-
ſis copiis ſuis futuros toto exercitu noſtro ſuperiores, 141
exiſtimauerint. Nam receptus, res quædam eſt plena
formidinis. Quæ quum dixiſſet, viſus eſt iis, qui ad-
erant, recte dicere, & Gobryas ita, vti iuſſerat, duce-
bat. Quumque præteriret vrbem exercitus, ſic abſce-
debatur: vt ſemper Cyrus poſtremum agmen firmius
efficeret. Hoc modo pergens, diebus inſequentibus ad
Aſſyriorum Medorumque limites peruenit, vnde ini-
tium expeditionis fecerat. Ibi quum eſſent Aſſyriorum
caſtella tria, vnum, quod erat infirmiſſimum, vi ad-
ortus cepit: reliqua duo, Cyro metum incutiente, ſua-
dente Gadata, perfectum eſt, vt præſidiarij dederent.
Quibus rebus confectis, ad Cyaxarem miſit, atque vti
ad exercitum adeſſet, per epiſtolam petiit: quo & de
caſtellis captis quid eſſet agendum, deliberarent: &
exercitum ipſe contemplatus, de ceteris etiam rebus
conſuleret, quid deinceps agendum arbitraretur. Quod
ſi iuſſerit, ait, dicito me ad ipſum venturum, & iſtic
caſtra locaturum. Itaque nuntius, qui hæc exponе-
ret, abibat. Cyrus interea Gadatæ mandat, vt taber-
naculum Aſſyrij, quod Cyaxari Medi ſelegerant, cum
adparatu reliquo, quem habebat, inſtrueret elegan-
tiſſime: tum vtramque mulierem in conclaue taberna-
culi muliebre deduceret, & cum his etiam muſicas illas,
quæ Cyaxari exemtæ fuerant. Hæc illi exſequebantur.
Qui vero miſſus erat ad Cyaxarem, quum mandata ex-
poſuiſſet, eaque Cyaxares audiiſſet: viſum eſt ei potius,
vt iſtic in finibus exercitus maneret. Nam & Perſæ,
quos Cyrus arceſſiuerat, aderant: qui quidem erant nu-
mero ad quadragies mille ſagittarij & cetrati. Quamo-
rem quum videret, hos etiam magnum Medorum ago

Cyaxarē Cyrus ad exercitum arceſſit.

detrimentum adferre: libentius his quoque liberari velle videbatur, quam vt aliam turbam insuper admitteret. Quumque is, qui e Persia copias hasce ducebat, Cyaxarem interrogaret, quemadmodum Cyrus præceperat, an opus ipsi hoc exercitu esset, atque is opus esse sibi negaret: eodem die ad Cyrum pergebat exercitum ductitans, quo illum adesse audierat. Cyaxares postridie cum iis, qui secum manserat, equitibus Medis, iter est ingressus: quē vbi Cyrus aduenire sensit, sumtis secū & Persicis
142 equitibus, qui iam multi erant, & Medis omnibus, & Armeniis, & Hyrcaniis, & qui reliquorum sociorum equis & armis instructissimi erant, obuiam prodiit, & copias ei spectādas exhibuit. Cyaxares, vbi multos & egergios fortesque viros in Cyri comitatu conspexit, secum vero & exiguam, & non magni æstimandam famulorū manum; id sibi dedecori esse putauit, adeoque dolorem ex eo cepit. Quumq; Cyrus ab equo iam descendisset, ac de more osculaturus ipsum accederet: descendit ille quidem ex equo, sed auertit sese: nec osculatus est eum, sed lacrumas palam profudit. Tum vero Cyrus alios quidem omnes secedere iussit & quiescere: ipse dextra Cyaxaris prehensa, de via sub palmas quasdam eum abduxit, & stragula quædam ei Medica substerni iussit, in quæ quum eum collocasset, & adsedisset ipse, sic interrogauit: Dic mihi, per Deos immortales, mi auuncule, quamobrē irasceris mihi? quid rei molestæ vides, quod vsque adeo fers grauiter? Heic Cyaxares huiusmodi quædā respondit: Quia quum, Cyre, existimer inde vsq; ab omni hominum memoria tum maioribus iam olim regibus tum patre rege procreatus esse, atque etiam ipse rex habear, me quidem adeo viliter indigneque aduehi conspicio, te vero famulitio meo ceterisq; copiis magnum & magnificum adesse. Atque hæc, mea sententia, vel ab hostibus pati graue est: sed multo, pro Iupiter, grauius ab illis, a quibus perpeti minime decebat. Equidem arbitror esse satius, decies sub terram condi, quam adeo vilem me conspici, meorumq; neglectionem & irrisionem cernere. Non enim nescius sum, non te solum me maiorē esse: sed etiam seruos meos maioribus cum copiis, quam meæ sint, mihi occurrere, atque ita paratos esse, vt facilius me lædere possint

Cyaxaris inuidia.

poſſint, quam a me lædi. Quæ dum proferret, multo etiam magis eum ſuperabant lacrumæ: adeoque Cyrum ipſum eo pertraxit, vt oculi eius lacrumis implerentur. Quum autem paullum ſe cohibuiſſet, ita Cyrus loquutus eſt: Tu vero, mi Cyaxares, nec vera dicis, nec recte iudicas, quum Medos exiſtimas propterea, quod adfuerint mihi, ſic inſtructos eſſe, vt ad te lædendum ſatis virium habeant. Te quidem & iraſci, & in metu eſſe, non miror. *Cyri excuſatio.*

Vtrum autem iure, an iniuria eis ſuccenſeas, equidem 143
omittam. Quippe ſcio te grauiter laturum, ſi me agere cauſſam horum audias. Sed enim hominẽ, qui cum imperio ſit, ſubiectis ſibi pariter omnibus ſuccenſere, magnum equidem errorem arbitror. Eſt enim neceſſe, multos infeſtos fieri, quum quis terrorem multis incutit: & omnibus ineundæ concordiæ occaſiones ſuggeri, quum quis omnibus ſuccẽſet. His de cauſſis me ſcire debes hos ad te ſine me non remiſiſſe, quod metuerem, ne quid ob iracundiam tuam accideret, quod nobis vniuerſis dolorem adferret. Itaque Deum ope nullum hæc tibi me præſente periculum creabunt. Quod vero exiſtimas, iniuria te adfectum a me eſſe: grauiter admodum fero, ſi dum in eo pro virili laboro, vt in amicos plurima beneficia conferam, contrariũ huic facere videar. Verumenimuero ne noſmet, ait, adeo temere criminemur & inſimulemus: ſed ſi fieri poteſt, planiſſime videamus, qualis illa ſit a me illata iniuria. Atque equidem æquiſſimam inter amicos condicionem fero. Nam ſi me pareat quidquam mali feciſſe, iniuſtum me fatebor: ſin me nihil admiſiſſe pareat, ac ne cogitaſſe quidem, an non & ipſe fatebere, nulla te adfectum a me iniuria? Id vero neceſſe fuerit, ait. Quod ſi autẽ pareat, etiam boni me auctorem exſtitiſſe tibi, ſtudioſeq; in id incubuiſſe, vt quamplurima beneficia poſſem, in te conferrem: an nõ potius laude tibi dignus habear, quã reprehenſione? Æquũ ſcilicet, ait. Age igitur, inquit Cyrus, conſideremus ſingillatim omnia, quæ a me geſta ſunt. Sic enim maxime parebit quid in iis boni ſit, quid mali. Atque ordiamur ſane ab hoc principio, ſi quidem tibi ſufficere videtur. Tu enim, quum animaduerteres, multos hoſtes coiuiſſe, & quidem aduerſus te, tuamq; ditionem domo progreſſos eſſe: illico tum

Cyrus Cyaxarem refutat.

Cyri ergo Cyaxarẽ meritorũ cõmemoratio.

ad Persas publice misisti, qui subsidiarias copias poscerent, tum ad me priuatim: rogans, vt operã darem, quo venirem ipse, copiarumq; Persicarum, si quæ ad te irent, ductor essem. An igitur in his non abs te persuasus sum, non adfui, non militem adduxi numero quam potui, maximo, & eundem præstantissimum? Venisti vero, inquit. Ergo, ait, mihi primum dicito, vtrum in hoc iniuriam aduersum te meam deprehenderis, an beneficiũ?
144 Planum est, inquit Cyaxares, ex his beneficium me tuum cognouisse. Quid vero, vbi venerunt hostes, & dimicandum aduersus eos erat, an tum animaduertisti, me vel laborem vllum detrectasse, vel pepercisse periculo? Non profecto, non equidem. Quid? vbi Deum ope victoria penes nos stetit, hostesq; iam cederent, atq; ego te rogarem, vt communibus eos copiis insequeremur, communi opera in eos vindicaremus, communem deniq; siue boni, siue mali fructum caperemus, quidquid tamdem accidisset: in his an accusare me possis, quasi proprij emolumenti plus æquo cupidus fuerim? Ad hęc Cyaxares subticuit. Et Cyrus rursum ita locutus est: Quando tibi ad hoc tacere potius lubet, quam respondere: id mihi dicito, adfectumne te sis arbitratus iniuria, quod, quum tibi tutum non esse videretur persequi, te quidem ipsum periculi huius participem fieri non sum passus, sed vt equites mihi quosdam de tuis mitteres, rogaui? Num enim id abs te petens, iniuste fecerim, præsertim qui iam ante me tibi socium belli præbuissem, abs te, inquit, demonstretur. Ad quæ Cyaxares quum itidem taceret: Quod si ne ad hoc quidem, inquit, respondere vis: deinceps dicito, an iniurius fuerim, quod quum tu mihi responderes, nolle te, qui Medos hilaritati operam dare videres, ab hac reuocatos cogere, tunc ad profectionem cum periculo coniunctam: an inquam videar molestum aliquid tibi fecisse, quod irasci tibi noluerim: sed post hæc rursum abs te id petiuerim, quo sciebam nihil a te mihi tribui posse leuius, neque Medis imperari facilius? Rogabã enim, vt eos mihi dares, qui sequi vellent. Quod quum abs te impetrassem, perfeci nihil, extraquam persuadendo. Itaque eos accessi, persuasi, persuasos accepi atque abij; tuo permissu. Quod si hoc merito culpandum

dum exiſtimas, ne quidem culpa vacat, vti videtur, aliquid abs te accipere, quod dederis. Sic igitur profecti ſumus. At poſtquam diſceſſimus, quid geſtum a nobis eſt, quod omnibus notum non ſit? an non hoſtium caſtra capta ſunt? non plures eorũ interfecti ſunt, qui contra te venerant? Quin & viuis adhuc hoſtibus an nõ pleriſq; ademta ſunt arma, pleriſq; equi? Fortunas quidem eorum, qui ante hac ferebant, agebãt res tuas, iam vides amicos tuos & poſſidere, & ſecũ adferre partim tibi, partim ſibi, qui tuo tamen imperio continentur. Quod vero longe omnium maximum eſt & præclariſſimum, vides ditionem tuam ampliorem fieri, hoſtium imminui: vides illorum caſtella teneri, ac tua, quæ auulſa Syri ſuam in poteſtatem redegerant, nunc e contrario tibi ceſſiſſe. 145 An horum aliquid vel bonum, vel malum ſit, cognoſcere velle, equidem quid ſibi velit, dicere nequeo: quo minus tamen audiam, nihil impedit. Dic igitur, quæ tua de his ſententia ſit. Hæc quum dixiſſet Cyrus, finem fecit, Cyaxares vero adhæc reſpondit: Neſcio qui dici poſſit, Cyre, ea quæ feciſti, mala eſſe. Verum ſcire te volo, hæc bona eiuſmodi eſſe, vt quanto plurium ſpeciem habent, tanto magis mihi ſint oneri. Nam malim equidem ditionem tuam copiis meis ampliorem facere, quam videre tali modo abs te augeri meam. Quippe tibi hæc gerẽti honeſta & laudabilia ſunt, mihi quodammodo ignominiæ notam inurunt. Etiam opes, ait, tibi me donare malim, quam abs te accipere, quæ tu nunc mihi tribuis. nam iis abs te locupletari me plane ſentio, quibus ipſe pauperior fio. Quod ſi ſubiectos mihi viderem modica quadã abs te adfectos iniuria, minus dolerem, mea ſententia, quam nunc, vbi magnis abs te adfecti ſunt beneficiis. Ac ſiquidem hæc parum humaniter & abſque iudicio tibi cogitari videor, non ea in me, ſed in te conuerſa, qualia tibi videantur, conſidera. Quid enim, ſi quis canes quos tu aleres cuſtodiæ tuæ tuorumq; cauſſa, tales commode curando reddat, vt illum magis, quam te norint; an hoc curationis genere te delectaturus ſit? Quod ſi exiguum hoc tibi videtur, id etiam conſidera: ſi quis tuos e familia miniſtros, quos & cuſtodię & pręſidij cauſſa, & vt te colãt, tecum habes, eiuſmodi efficiat, vt ipſius

Cyaxares inuidiam animi ſui prodit.

esse malint, quam tui: an pro eo beneficio gratiam illi
sis habiturus? Quid vero, quod vnum amore maximo
complectuntur homines, & curæ in primis vt sibi pro-
prium habent, si quis vxorem tuam sic obsequiis deme-
reretur, vt tamdem efficeret eam sui magis amantem,
quam tui: num hoc beneficio te delectaret? Nihil, mea
quidem sententia, minus. Immo iniuriam tibi hoc facto
maximam inferret. Vt autem quod dolori meo simill-
146 mum est, dicam: si quis Persas eos, quos tu ad nos duxi-
sti, sic demereretur, vt ipsum lubentius, quam te seque-
rentur, ad hunc tibi amicum duceres? Equidem haud ar-
bitror, sed infestiorem putares, quam si multos tuorum
occideret. Quid si amicus quispiam tuus, te amanter di-
cente, Accipe de rebus meis, quantū voles: posteaquam
id audisset, iret, atq; omnia, quæ posset, acciperet: tuisq;
adeo rebus ditaretur, quum tu ne modicum quidem ea-
rum fructum perciperes: an posses expertem culpæ ami-
cum hunc existimare? Nunc autem abs te, mi Cyre, si
non hæc, tamen his similia perpessum me arbitror. Nam
vera narras, quum ego dixissem, posse volentes abduci,
discessisse te ita: vt omnes meas copias acciperes, & me
solum relinqueres. Iam autem, quæ opera mei exercitus
cepisti, adfers sane mihi, ac meis viribus ditionem hanc
auges: atq; equidem nullius boni tecum auctor, instar
fœminæ me offerre videor, & exhibere, vt beneficia tum
ab aliis hominibus, tum etiam ab his imperio meo sub-
iectis accipiam. Tu viri speciem habes, ego indignus iu-
dicor imperio. Hæccine tibi, Cyre, videntur esse benefi-
cia? Ignorare profecto non debebas, si te vlla mei cura
tangeret, in primis tibi cauendum, vt nulla re minus me
spoliares, quam auctoritate ac dignitate. Nam quid ac-
cedit ex eo mihi, si maxime regio mea dilatetur, ipse per
ignominiam contemtui sim? Nec enim idcirco Medo-
rum ego potitus sum imperio, quod vnus præstantior v-
niuersis essem: sed potius, quia ducerent illi, nos in o-
Cyrus querelas Cyaxaris abrumpit.
mnibus se meliores esse. Tum Cyrus, adhuc loquente
Cyaxare, sermonem ipsius excipiens, ait: Per Deos im-
mortales, mi auuncule, si quid ego tibi antehac feci,
quod gratum esset: etiam tu in his mihi gratificare, quæ
petam. Finem scilicet de me querendi hoc tempore fa-
ciro.

cito. Vbi vero periculum de nobis feceris, quo pacto adfecti erga te simus: si quidem paruerit ea, quæ sunt a me gesta, tui boni caussa gesta esse, me amplectentem te vicissim amplectere, beneq; de te promeritum existima: sin aliter, de me queritor. Fortassis, ait Cyaxares, recte dicis; atq; equidem hoc faciam. Quid igitur, ait Cyrus, an etiam te osculabor? Si voles, inquit. Neq; me auersaberis, vt modo? Non auersabor, ait. Itaq; Cyrus eum est osculatus. Quod quum Medi, Persæ, ceteri viderent, (erant enim omnes solliciti, quid de his futurum esset) statim adfecti lætitia, & exhilarati sunt. Cyaxares & Cyrus 147 conscensis equis præibant, Medis Cyaxarem sequentibus, (sic enim nutu Cyrus eis significarat) Persis Cyrum: post alij sequebantur. Vbi ad castra peruentum esset, Cyaxarem in tabernaculum paratum collocarũt: & ei, quibus hoc datum erat negotij, necessaria parabant: Medi ceteri, quamdiu ante cœnam otiosus Cyaxares erat, accedebant eum, partimq; sponte sua, partim mandato Cyri, quorum erat maximus numerus, munera ferebãt; alius bellum pocillatorem, alius bonum coquum, alius pistorem, musicæ artificem alius, alius pocula, vestem alius elegantẽ. Maxima quidem ex parte quilibet vnum quiddam eorum, quæ ceperat, ei donabat: vt Cyaxares adeo sententiam deinde mutaret, ac neq; Cyrum eos ab se auertisse, neq; minus, quam ante, a Medis se obseruari duceret. Quum autem cœnæ tempus adpetiisset, accessit Cyrum Cyaxares, ac rogat: vt, quando iam longo temporis ex interuallo eum videret, secum cœnaret. Cui Cyrus: Ne iusseris hoc, inquit, mi Cyaxares. An non vides, hos omnes qui adsunt, a nobis impulsos adesse? Quamobrem non recte fecero, si hos negligens, voluptati meæ indulgere videar. Nimirum vbi se negligi putant milites, tum & fortes qui sunt, multo animis deiectiores euadunt, & improbi petulantiores. Verum tu, qui præsertim longo itinere confecto aduenisti, cœnato iam: & si qui te colunt, illos vicissim complectere, cœnaq; excipito, vt per eos animo bono sis. Ego vero ad ea me cõuertam, quæ dixi. Cras autẽ mane heic ad portam tuam omnes, quos conuenit, aderunt: vt tecum deliberemus, quidnam deinceps agendũ sit. Tu vero præ-

Cyaxares cum Cyro redit in gratiam.

Medi Cyaxari dãt munera.

Cyrus delicatã cœnam respuit.

ſens de hoc referto, videaturne amplius bellum eſſe gerendum, an opportunum ſit iam dimittere exercitum. Poſt hæc Cyaxares cœnabat. Cyrus vero conuocatis amicis, qui maxime & ad intelligendum, & ad nauandũ operam, ſi quid vſus poſtularet, idonei erant, huiuſmodi eos oratione compellauit: Quæ primum optauimus, amici, ea Deum benignitate nobis adſunt. Nam quocumq; tamdem pergimus, hoſtium agro potimur: atq; etiam hoſtes imminui videmus, quum nos & numero, & robore augeamur. Quod ſi manere nobiſcum ſocij velint, qui ad nos iam acceſſerunt: multo magis pleraq; perficere poterimus, ſiue quid opportuna vi agendum,

Cyrus expeditionẽ vult cõtinuari.

148 ſiue perſuadendo ſit obtinendum. Quapropter non tam mei, quam veſtri muneris fuerit moliri, vt maximæ ſociorum parti nobiſcum manere placeat. Quemadmodum vero, quum pugnandum eſt, is, qui plurimos capit, fortiſſimus exiſtimatur: ita qui plurimos noſtram in ſententiam adducit, quum conſilium ineundum eſt, is iure tam dicendi, quam agendi peritiſſimus haberi debet. Neque tamen in hoc vos exercueritis, vt orationem nobis oſtentetis, qua vſuri ad quemq; ſitis: ſed ita eos parate, vt ſe perſuaſos a quolibet veſtrum, factis declarent. Ac vobis quidem hæc curæ ſint. Ego pro mea virili curare conabor, vt milites a commeatu inſtructi, de expeditione deliberent.

XENOPHONTIS HISTORIARVM DE INSTITVTIONE CYRI, LIB. VI.

ARGVMENTVM.

1. Cyrus cum Gadata iocatur. 2. De bello conſultatur, vtrum continuandum, an finiendum. 3. Cyri poſt omnes ſententia. 4. Eiuſdem in rebus cognoſcendis, ſuſcipiendis, & gerendis inſigne iudicium, induſtria, diligentia. 5. Aſſyrius in Lydiam proficiſcitur. 6. Eius conſilium ſolus Cyrus intelligit. 7. Veterum curruum vſus a Cyro ſublatus, nouiq;

nouiq; currus excogitati. 8. Cyrus Araspam Pantheæ amore flagrantem consolatur. 9. Cyri consilium solers, quo factum, vt Araspas per metus simulationem ad hostes transiret. 10. Abradatas ad Cyrum quando, cuius opera, cur, quomodo transierit. 11. Cyrus octoiuges currus facit. 12. Indorum Rex pecunias Cyro mittit. 13. Hostilium copiarum multitudo maximam Cyri militibus tristitiã affert. 14. Cyrus oratione prolixa terrorem ex suorum animis eximit, eosq; ad rem fortiter gerendam hortatus, aduersus hostem, ducit. 15. Adpugnã se comparat. 16. Araspas ab hostibus ad Cyrum redit, eiq; recenset hostiũ quantitatem, qualitatẽ, ordines, loca singulis attributa, pugnæ committendæ rationem, & consilia. 17. Quomodo Cyrus suas copias instruxerit, quantæ, qualesq; fuerint. 18. Abradatæ magnanimitas. 19. Panthea maritum in hostes iturum, varijs armis, ac ornamentis ornat, & ad fortitudinem hortatur. Hic autem pulcherrimum amoris inter coniuges exemplum videmus. 20. Cyrus, rebus omnibus ad prælium instructis, req; diuina rite facta, duces conuocat, quid faciendum, monet, monitos dimittit, præclarisq; sententiis suam orationem, & librum istum claudit.



VVM hoc modo diem hunc exegissent, cœnati quieuerunt. Postridie mane ad Cyaxaris portam socij omnes conueniũt. Itaq; dum Cyaxares ornaretur, qui audiret magnam multitudinẽ ad portam adesse: interea adducebãt amici ad Cyru, alij quidem Cadusios, rogantes vti maneret: alij Hyrcanios, Gobryã hic, ille Sacã: Gadatam castratũ adducebat Hystaspas, orantẽ Cyrũ, vti maneret. Ibi Cyrus, qui Gadatã iã dudũ interiisse nosset pre metu, ne exercitus dimitteretur, cũ risu ait: Manifesto patet, Gadata, te ab hoc Hystaspa persuasum ea sentire, quę dicis. Ibi sublatis ad cælũ manibus Gadatas, sanctè deierauit, ab Hystaspa sibi hęc persuasa nõ esse, quæ sentiret: sed scio futurũ, inquit, vt si vos discedatis, meæ res prorsus perierint. Propterea, inquit, hũc egomet conueni, vt interrogarẽ, quæ tua de copiis dimittẽdis esset sentẽtia. Et Cyrus: Ergo iniuste in Hystaspen, vti quidẽ adparet, culpã ego cõfero.

Cyri iocus.

149

Profecto Cyre, ait Hystaspes, iniuste. Nam equidem Gadatæ etiam contradicebam, fieri non posse, vt maneas: quod arcessi te a patre dicerem. Tum Cyrus, quid ais? inquit. Et tu hoc efferre ausus es, siue ego vellem, siue non? Vero, inquit. Nam te supra modum adfectare video, vt illustris in Persia circumeas, ac patri demonstres, quo pacto singula peregeris. At tu, subiecit Cyrus, non domum redeundi cupidus es? equidem, inquit Hystaspes, non discedam: sed heic manens, imperatorio munere fungar, donec hunc Gadatam Assyrij dominum fecero. Huiusmodi quædam illi dum serio iocarentur, interea Cyaxares augusto cultu ornatus prodiit, inq; Medico solio cōsedit.

Deliberatio de bello, sitne finis huic imponendus, nec ne.

Quumque iam conuenissent omnes, quos oportebat, & silentium factum esset, Cyaxares in hanc sententiam loquutus est: Quia præsens, socij, & Cyro maior natu sum, par fortassis est me dicendi principium facere. Videtur autem mihi nunc tempus esse, vt de eo primum disseramus, vtrum adhuc sit e re nostra, bellum geri, an copias dimitti. De hoc ipso, ait, dicat aliquis sentētiam suam. Hinc primus Hyrcanius dixit: Equidē nescio, socij num verbis sit opus, vbi res ipsæ, quod optimum est, demonstrant. Omnes enim intelligimus, plus hostibus detrimēti nos adferre, si maneamus vna, quam ipsi accipiamus. Quo vero tempore seiuncti eramus inter nos, agebant illi nobiscum, prout ipsis iucundissimum, nobis sane grauissimum erat. Post hunc Cadusius: Nos autem quid dicamus, ait, de eo, vt domum profecti separatim singuli viuamus, quum ne modo quidem militantibus adhuc, vt adparet, conducat distractio? Nimirū nos Cadusij, quum non magno temporis spatio seorsum a copiis vniuersis seiuncti militaremus, pœnas dedimus, quemadmodum & vobis constat. Post hunc Artabazus, qui se cognatum Cyri aliquādo dixerat, hæc protulit: Ego vero hactenus, mi Cyaxares, ab his, qui ante me dixere, dissentio. Aiunt hi, oportere nos heic manentes in expeditione versari: ego autem dico me, quum essem domi, in expeditione versatum esse. Nam persæpe succurrendo ferebam opem,
150 quum res nostræ ferrentur & agerentur, atque etiam pro castellis nostris, vti quibus insidiæ struerentur: sæpe mihi negotiū est exhibitū, quum & metuerem, & in præsidio essem

essem, atque idipsum meo sumptu facerem. Nunc & castella eorum teneo, & ipsos non metuo, & de iis, quę hostium sunt, tum epulor, tum bibo. Itaque non aliter, ac si vita domestica, militia sit: hæc vero militaria, feriæ: conuentum hunc equidem frequētissimum minime dimittendum arbitror. Post hunc Gobryas ait: Ego vero, socij, hactenus Cyri dextram laudo. Nihil enim eorum, quæ promisit, mentitur. At si ex hac regione discesserit, planū est, Assyrium quietem habiturum, nec pœnas earum iniuriarum, quas vobis inferre conatus est, nec illorū, quæ in me patrauit, luiturum. Ego autem vicissim ei pœnas iterum dabo, quod amicitiæ vestræ me adiunxerim. Post omnes hos Cyrus inquit: Nec ego sum nescius, commilitones si copias dimittamus, nostras quidem imbecilliores futuras, hostium vero res rursus habituras incrementum. Nam quibuscumq; ipsorum arma sunt adempta, ij celeriter alia facturi sunt: quicumque spoliati sunt equis, celeriter alios sibi de integro comparabunt: pro interfectis alij pubescent, & iis nascendo succedent: vt mirum adeo videri non debeat, si celeriter nobis rursum facessere negotia poterunt. Cur ergo Cyaxari, vt de dimissione copiarum ad vos referret, auctor fui? Nempe quia quod futurum est, metuo. Video enim tendere aduersum nos eos aduersarios, cum quibus nos, in ista tali militia, dimicare non poterimus. Nam hyems adpetit, ac tametsi tecta nos habeamus, non tamen equis ea, nō ministris, non militum vulgo suppetunt: absque quibus sit, bellum hosti facere non poterimus. Commeatus autem iis in locis, in quæ nos venimus, a nobismet absumtus est: quo non accessimus, nostri metu in munitiones est conuectus. Itaque hostes hunc habent, neque his eripi a nobis potest. Quis ergo tam fortis est, quis tam robustus, vt aduersus famem & frigus pugnando bellum gerere possit? Quapropter si hoc modo militaturi sumus, aio nos vltro dimittere potius exercitū, quam inuitos a difficultate rerū profligari debere. Sin hac in militia perseuerare volumus, censeo sic nobis agendum esse, vt quamprimū loca munita complura hostibus adimere conemur, ac nobismet complura munire. Nam id si 151
fiat, commeatus maiorē habituri sunt copiam, qui ma-

Cyri post omnes sententia.

» iorem eius copiam ereptam alteris recondent: & obside-
» buntur, qui fuerint ex alterutris inferiores. Iam quidem
» nihil inter nos, & in mari nauigantes, discriminis est.
» Quippe nauigant illi quidem semper, sed nihilo magis
» id, quod nauigando confecerunt, sibi proprium relin-
» quunt, quam quod confectum nauigando non est. At si
» castella nobis accesserint, ab hostibus ea regionem alie-
» nabunt, & nobis omnia magis erũt in tranquillo. Quod
» vero nonnulli vestrum fortasse metuerint, ne procul a
» solo patrio collocentur in pręsidiis, id minime vobis for-
» midandum est. Nos enim, qui sic quoque domo peregri-
» nantes absumus, custodienda recipiemus loca hostibus
» proxima: vos Assyriæ loca vobis finitima possidete & co-
» lite. Nam si nos ea, quæ ab ipsis prope absunt, tueri cu-
» stodiendo præsidiis nostris poterimus, alta vos in pace,
» qui loca possidetis procul ab ipsis dissita, victuri estis.
» Neque enim, vt arbitror, neglectis malis sibi proximis,
» insidiari vobis procul remotis poterunt. Hæc vbi dicta fuerunt, quum alij surgentes, ad ea suas operas & studia promtis animis obtulere, tum etiam Cyaxares. Gadatas vero, & Gobryas, munitionem vterque se exstructuros aiebant, si potestatem eius sibi facerent socij: vt etiam illæ a sociis essent. Cyrus ergo, quum videret impigre facturos omnes, quæcumque dixisset, tandem ait: Quod si igitur perficere, quæcumque dicimus, animus est: quamprimum confici, quæ vsus poscit, necesse est: nimirũ machinas ad muros hostium demoliendos, & fabros, qui munitiones nobis excitent. Tum vero Cyaxares machinam se fabricaturum & suppeditaturum policitus est, aliam Gadatas & Gobryas, aliam Tigranes: aliam Cyrus ipse curaturũ se, vti fieret, dixit. Quæ vbi decreta essent, machinarum opifices conquirebant, & adparabant singuli, quæ ad machinas requirerentur, præfectis etiam nonnullis operi, qui ad hæc curanda maxime viderētur esse idonei. Cyrus vero, quod animaduerteret, hæc sine mora perfectum non iri: eo loco castra metatus est, quē putabat & saluberrimum esse, & propter illa, quæ aduehi oporteret, accessu facillimum: & quæcumque munitionis egebant, sic perficiebat, vt quouis tempore qui remanerent in castris, in tuto essent, quamuis exercitus robur

Cyri solertia singularis.

robur aliquando longius a castris abduceretur. Præterea interroganē eos, quibus regionē maxime notam arbitrabatur, e quibus locis plurimum emolumenti exercitus capere posset: semper ad quærendum commeatum educebat, tum vt res exercitui necessarias maxima copia pararet, tum vt rectius valerent, & robusti essent, ex itinerum laboribus: tum etiam vt inter ducendum ordinis seruandi recordarentur. His rebus Cyri occupata erat opera. Ceterum e Babylone transfugæ & captiui narrabant, Assyrium in Lydiam multis cum talentis argenti & auri, opibusq; aliis, & omnis generis ornamentis profectum esse. Quamobrem militum vulgus suspicabatur, adductum metu iam pecunias alibi deponendas exportasse. Cyrus vero, qui hominem intelligeret ea de caussa discessisse, vt si quos posset, aduersarios eis excitaret: etiā ipse præsenti animo se parabat ad id prœlium, quod adhuc pugnandum esset. Explebat quoque Persarū equitatū, partim a captiuis, partim ab amicis acceptis equis. Nam hæc ab omnibus admittebat, neque reiiciebat eorum quidquam, siue quis arma ipsi elegantia daret, seu equum. Prętere a currus parabat quum de iis, quos ceperat, tum vndecumque poterat. Ac superiorum quidem temporum agitationem curruum Troianam, & qua hodieq; Cyrenaici vtūtur, quadrigis inuehendi rationem sustulit & abrogauit. Nam superioribus sæculis Medi, & Syri, & Arabes, & omnes Asiatici curribus sic vtebantur, vt nunc Cyrenaici. Existimauit autem Cyrus, partem in exercitu eam, quam esse præstantissimam sit verisimile, quum fortissimi quique sint in curribus, ita velitum vicem explere, neque magnum ad victoriam momentum adferre. Nam trecenti currus, pugnantes quidem suppeditant trecentos, equos autē mille ducentos requirunt: ac præter hos, aurigas habenr, vt par est, quibus illi optimi in exercitu maxime fidunt, ad trecentos. At hi sunt ij, qui nihil hostibus detrimenti adferunt. Hanc igitur curruum agendorum rationem sustulit, proque ea bello aptos currus instruit, rotis firmis, ne facile comminuerētur, & axibus longis, quod minus euertātur omnia, quæ lata sunt. Sellam vero aurigis struxit, veluti turrim, ex lignis firmis. Atque harum sellarum altitudo pertinebat

152

Assyrius in Lydiā proficiscitur.

Cyrus solus Assyrij consilium intelligit.

Cyrus vsum veterem currū tollit.

Cyrus nouos currus excogitat.

153 †ad aurigæ cubitos, vt equi supra sellas habenis regi possent. Aurigas ipsos totos, exceptis oculis, loricis armauit. Præterea falces ferreas duum fere cubitorum ad axes ab vtraque rotarum parte adposuit, & alias infra axem, quę terram respicerent: tamquam his in aduersos cum curribus impetũ facturis. Atque vt Cyrus id temporis hæc instituit, sic etiã hac tẽpestate curribus hisce vtuntur ij, qui regis in ditione degunt. Habebat Cyrus etiam permultas camelos tum ab amicis collectas, tum omnes illas, quæ captæ fuerant, congregatas. Et hæc quidem ita peragebantur. Quum autem in Lydiam exploratorem quemdam mittere vellet, ac quid rerum Assyrius ageret, cognoscere: visus ei fuit idoneus, qui hanc profectionẽ susciperet, illius formosæ fœminæ custos Araspas. Nam huic Araspæ huiusmodi quiddam euenerat. Quum mulieris eius amore captus esset, coactus est eam adpellare de consuetudine. Ac negabat quidem illa, viroque suo fidem seruabat, tametsi abesset, quod vehementer eum amaret: non tamen Araspam apud Cyrum accusabat, amicos inter se committere verita. Sed vbi Araspas existimans * momentum aliquod se adlaturum ad hoc, vt ea consequeretur, quę vellet, mulieri minatus est, ni lubens faceret, inuitam esse facturam: tum vero mulier vim verita, rem non amplius occultat, sed ad Cyrum eunuchũ mittit, eique mandat, vt exponat omnia. Cyrus vbi rem audiuit, edito risu, quod ab amore se nuper inuictum ille dixerat, Artabazum cum eunucho mittit, & dici Araspæ iubet, vim quidem tali fœminæ adferri non debere: quo minus autem persuadeat, si possit, non se vetare. Et Artabazus, quum ad Araspam venisset, conuiciis eũ insectatus est, quod mulierem illam esse depositum diceret, & ipsum impium, iniurium, intemperantem, adeo quidem, vt Araspes præ dolore multum lacrumarũ profunderet, pudore opprimeretur, atque etiam metu exanimaretur, ne quid ipsi grauius a Cyro accideret. Quæ vbi Cyrus cognouisset, arcessit eum, & solus cum solo loquitur. Video te, inquit, Araspa, metuere me, & maximo pudore adfici. Verum ab his desiste. Nam audio equidem, Deos etiam ab amore victos fuisse: & nõ ignoro, cuiusmodi ab amore iis etiã hominibus, qui prudentia sin-

† Lectio marginis e libro Budensi.

Araspas amore incenditur erga Pantheam.

Lectio marginis.

Cyrus Araspam cõsolatur.

tia singulari præditi viderentur, acciderint. Atque etiam
ipse de meipso animaduerti, ita me continentem non 154
esse, vt si formosis adsim, ab eis abstinere negligendo
queam. Quin huius ego tibi rei sum auctor, qui te cum
illa re inexpugnabili cõcluserim. Et Araspas sermonem
ipsius excipiẽs: Enimuero tu, Cyre, in his etiam sic te ge-
ris, vt in aliis: qui & clemẽs sis, & delictis humanis igno-
scas. Me vero ceteri homines mœrore obruunt. Nam ex
quo rumor de calamitate mea diditus est, inimici de me
voluptatem capiunt, amici me conueniẽtes, vt e medio
me subducam, consulunt: ne quid a te mihi accidat, qui
graui sis a me adfectus iniuria. Et Cyrus: Certo scias, in-
quit, Araspa, posse te per hanc hominum de te opinionẽ
vehementer gratam mihi rem facere, & sociis vtilitates
maximas adferre. Vtinam vero fiat, inquit Araspas, vt a-
liquid ego tibi rursus opportune commodem. Quod si *Cyri con-*
ergo volueris, ait, simulare quasi me fugias, atque ad ho- *silium sol-*
stes trãsire: arbitror fore, vt ab hostibus tibi fides habea- *lers.*
tur. Profecto, inquit Araspas, scio futurum equidem, vt
etiam per amicos rumor excitetur, quasi te fugerim. Ita-
que nobis redires, ait, rebus omnibus hostium cognitis.
Quinetiã arbitror ita tibi fidẽ habituros, vt & rationũ &
consiliorũ suorum te participẽ facturi sint: nihil vt adeo
latere te possit eorum omnium, quæ scire nos cupimus.
Proficiscar igitur nunc, inquit Araspas. Nam scire debes,
etiam vnum hoc fidei argumentum fore: quod effugis-
se videbor, ne quid abs te mihi accideret. An & formo-
sam illam Pantheam relinquere poteris? Duæ mihi, Cy-
re, inquit, liquido sunt animæ. Hanc Philosophiam di-
dici modo apud improbum illum magistrum, amorem.
Nam vna si esset anima, non & bona simul esset, & ma-
la: neque res pariter honestas & turpes amaret, neque si-
mul eadem & vellet & nollet facere: sed est manifestum,
duas esse animas, & vbi sane penes animam bonam im-
perium est, honestæ res suscipiuntur: vbi vero penes ma-
lam, res illa turpes adgreditur. Nunc quia te sociũ & ad-
iutorem nancta est anima bona, potior hæc viribus, &
longe quidem superior est. Quod si ergo, inquit Cyrus,
tibi quoque hoc iter instituendum videtur: sic erit agẽ-
gum, vt apud illos etiam maiorẽ fidem inuenias. Nim-

rum enuntiato ipsis, quæ a nobis gerantur, & quidẽ sic enuntiato: vt quæ abs te dicentur, maximo sint ipsis impedimento ad ea, quæ facere voluerint. Fuerit autẽ impedimento, si nos adparatum facere dixeris, vt alicubi
155 agrum ipsorum inuadamus. Nam si hæc audient, minus vires vniuersas in vnum locum colligent, metuẽtes quolibet etiã domesticis rebus. Præterea maneto, inquit, apud ipsos diutissime. Nam maxime nobis opportunum fuerit, ea rescire, quæ facient, vbi proxime a nobis aberunt. Da item consilium, vt quocumque modo fuerit optimum, aciem instruant. Etenim posteaquam tu discesseris, qui nosse ipsorum aciei structuram videbere, necesse erit, vt eamdem ordinum rationem retineãt. Nam verebuntur aciem mutare, ac si quo alio modo eam sunt immutaturi subito, perturbabuntur. Hoc modo digressus Araspas, sumtis secum fidissimis famulis, & ad quosdam prolatis iis, qualia maxime profutura negotio putabat, discessit. Quum autem Panthea discessisse Araspã sensisset; mittit ad Cyrum, qui diceret: Ne tibi molestum sit, Cyre, quod Araspas ad hostes transierit. Nam si potestatem mihi feceris mittẽdi ad maritum meum, recipio tibi, venturum amicum longe Araspa fideliorem: atque etiam scio futurum, vt tibi cum quantis maximis poterit copiis adsit. Nam huius quidem regis, qui modo imperat, pater ei amicus erat: at is, qui iam rerum potitur, etiam conatus est aliquando me ac maritum meum diuellere. Quamobrem sat scio, quum ipsum insolenter iniurium esse ducat, lubens ad virum talem, qualis tu es, discesserit. Hæc vbi Cyrus audisset, mandat, vt ad maritum mittat: quod quidem ipsa fecit. Quum vero ab vxore signa cognouisset Abradatas, atq; etiam animaduerteret, qui ceterarum rerum status esset: lubens ad Cyrum cum duobus circiter equorum millibus profectus est. Ad Persarum vero speculatores vbi peruenisset, mittit ad Cyrum, & quisnam esset, significat. Cyrus statim deduci hominẽ ad vxorem iubet. Illi quum mutuo vidissent, se complexi sunt, vti par erat, ex insperato. Deinde Pãthea Cyri pietatem, temperantiam, commiserationem erga se recenset. Quibus Abradatas auditis, ait: Quid igitur faciam, mea Panthea, quo gratiam Cyro cum tuo, tum

Araspas transit ad hostes per simulationem.

Abradatas ad Cyrũ transit.

meo nomine referam? Quid aliud, inquit Panthea, quā vt perinde erga ipsum te gerere coneris, atque se ipse ergā te gessit? Posthæc ad Cyrum Abradatas venit. quem vbi conspexit, prehensa ipsius dextra: Pro iis beneficiis, ait, mi Cyre, quibus nos adfecisti, non habeo quod dicā maius, quam quod amicum me tibi, & ministrum, & socium trado. Cuiuscumque rei studio teneri te videro, in ea conabor operam tibi meam exhibere, quam potero præclarissimam. Et Cyrus: Ego vero accipio, inquit. ac nunc te quidem dimitto, vt cum vxore cœnes: deinceps autem tibi etiam meo, cum tuis ac meis amicis, tabernaculo vtendum erit. Secundum hæc quum Cyrum Abradatas videret falcatorum curruum, ac tum equorū, tum equitum loricatorum studio teneri: operam dabat, vt ex equestribus copiis suis currus centū conficeret, similes ipsius curribus: ac seipsum etiā parabat, vt in curru dux eorum esset. Iunxit autem currum suum ita, vt e temonibus quatuor, & equis octo constaret. Vxor vero ipsius Panthea de facultatibus suis ei loricam auream, & auream galeā, & tegumēta brachiorum cōfecit. Equos, quibus vtebatur in curru, totos æreis tegumentis instruxit. His sane rebus Abradatas occupabatur. Cyrus autē currum ipsius cum temonibus quatuor intuitus, animaduertit fieri posse currum etiam octo temonum, vt octo boum iugis machinarum infima structura veheretur. Et aberat hic currus cum rotis a terra tribus vlnis. Huiusmodi turres, si cum ordinibus sequerentur, videbantur ei simul phalangi suæ magno adiumento, & hostium aciei magno damno futuri. Etiā structuris in hisce tum circuitus fecit, tū propugnacula: & in turrim quālibet viginti viros imposuit. Postea vero quam omnia, quæ ad currus pertinebant, confecta essent: periculum vecturæ fecit, & multo facilius octo illa iuga turrim cū impositis ei militibus trahebant, quam iugale vehiculū vnum id onus ferret, quod ei ex impedimentis imponebatur. Nam iugo impedimentorum onus, quod fere talenta quinque ac viginti æquabat, imponi solebat. At quum in turri materia tragicæ scenæ crassitudinem haberet, & viri essent viginti, & arma: fiebat, vt hæc in vnūquodq; iugū † oneris minus, quā talenta 15. conficerent.

156

Cyrus octo iuges currus facit.

† *h. e. ponderis quod plaustro vehitur.*

Postquam animaduertit, nullo negotio currus hos agitari posse: parabat sese, vt turres vna cum exercitu in hostem duceret. Nam in bello captationem cōditionis potioris existimabat & salutarem, & iustam, & plenā prosperitatis esse. Id temporis etiam illi venere, qui pecuniā ab Indo adferebant: ac renuntiarunt, Indū ei talia quædam mandare: Gratum mihi est, Cyre, te mihi significasse, quibus tibi rebus opus esset. Equidem mihi tecū hospitij ius esse volo, & pecunias tibi mitto. Quod si etiam aliis tibi sit opus, mitte qui adferant. Præterea mandatū est iis, qui a me ad te veniunt, vt quidquid tu iusseris, faciant. Quæ cū audisset Cyrus: Iubeo igitur, ait, vt alij vestrum iis in tabernaculis heic remaneant, in quæ vos recepistis, atque harum pecuniarum custodes sint, & iucūdissimam sibi vitam agant: tres autem vestrum ad hostes profecti, quasi adsint ab Indo societatis ineundæ gratia, cognitis istic rebus omnibus, quid dicāt, quidve faciāt, quamprimum & mihi in Indo renuntient. Atque in his si mihi egregiam operam nauabitis, maiores etiā vobis gratias habebo, quam quod pecunias adtuleritis. Nam exploratores seruis similes nihil aliud, quod sciāt, renūtiare possunt, quam quæ nota sunt vniuersis. At eiusmodi homines, quales vos estis, sæpenumero etiam consilia cognoscunt. Quæ cū Indi lubenter audiissent, & hospitio tunc a Cyro liberaliter accepti fuissent: paratis rebus suis, postridie proficiscebantur, sancte policiti se, vbi de hostibus quantum maxime liceret, didicissent: quā fieri posset celerrime, redituros. Et Cyrus cum alia parabat ad pugnam magnifice, & erat sane vir talis, qui nihil exiguum gerere cogitaret: tum non solum ea curabat, quæ socij censuissent, sed etiam contentionem inter amicos excitabat, vt armati singuli pulcherrime, & equitandi, iacula vibrandi, sagittis feriendi peritissimi, laborumq; patientissimi conspicerentur. Atque hæc effecit, tum ad venationes eos educendo, tum præstantissimos vbique præmiis & honoribus ornando. Quin & præfectos, quos videret studiose operam dare, vt milites ipsorum quam optimi essent, partim collaudando excitabat, partim eis gratificando, quacumque in re posset. Quod si rem sacram aliquando faceret, festumve diem ageret: tū quoque

Indorum Rex Cyro pecunias mittit.

157

que

que de iis omnibus, quæ homines belli caussa exercent, ludos & certamina instituebat, & præmia victorib. magnifice largiebatur: vt multa iam in exercitu esset hilaritas. Erãt autẽ Cyro perfecta propemodũ omnia, quibus ad expeditionẽ erat vsurus, extra machinas. Nã Persicorum equitũ numerus ad decem millia plene iam excreuerat, & falcati currus, quos ipse parauerat, prope centũ erant cõfecti: & totidem alij, quos Abradates ille Susius Cyri curribus similes parãdos susceperat. Etiam Cyaxari Cyrus auctor fuerat, vt currus Medicos ad eundem modum ex Troiana Libycaq; curruum forma immutaret: 158
qui & ipsi numerum ad centum alios plenum habebãt. Præterea delecti erant pro camelis milites, in singulos duo sagittarij. Maxima vero pars exercitus hoc erat animo, quasi qui omnino iam vicissent, & quasi hostiũ adparatus nullius essent momenti. Quũ autem illis sic adfectis, Indi ab hostibus rediissent, quos speculandi caussa Cyrus miserat: ac dicerent, Crœsum lectum esse ducem & imperatorem omnium hostium: & decretum, vt omnes reges socij, suis quisq; cum copiis vniuersis, adessent: vt maximam pecuniæ summã conferrent, impendendã partim ad conducendos milites, quoscunq; possent, partim ad danda munera, quibus oporteret: præterea conductos iam permultos esse Thracas, qui machæras gestarent: Aegyptios nauigiis aduehi, quos aiebãt esse numero ad centum viginti millia, cum scutis ad pedes vsq; pertinentibus, hastisq; magnis, quales nunc etiã habent, & copidibus: Cypriorum quoq; copias nauigiis aduehi, iamq; adesse Cilicas omnes, & Phrygas vtrosq;, & Lycaonas, & Paphlagonas, & Cappadoces, & Arabes, & Phœnices, & cũ Babylonio rege Assyrios, & Iones, & Aeolenses, propeq; Græcos omnes Asiam incolentes, Crœsum sequi coactos esse: & eũdem societatis ineundæ causa legatos etiã Lacedæmonẽ misisse: exercitũ ipsum propter Pactolum amnem cogi, ac progressuros deinde † versus Thybarra, vbi nũc quoq; barbari † Syriæ inferioris incolæ, qui regis imperio continẽtur, cogi solent: omnibusq; denuntiatũ esse, vt rerum venalium forum eo conferrẽt: cumq; prope his gemina captiui etiam dicerent: (dabat enim operã Cyrus, vt caperentur aliqui, de quibus non-

Hostilium copiarum multitudo

† al. Thymbarra, & Thymbraiã, & Thymbra idem, & Thymbrium, infra.
† Asiæ.

Tristitia in exercitu Cyri. nihil exquirere posset: atque etiam mittebat exploratores, seruorum specie, quasi si transfugæ essent) hęc igitur quū Cyri exercitus audiisset, sollicitus esse quisq; cœpit, vti consentaneum erat: & incedebant maiori cum silentio, quam consueuissent: magnaq; pars eorum non admodum hilaris cernebatur. Præterea in circulis congregabātur, & omnia plena erant interrogātium de his re-
159 bus, & colloquētium. Cyrus vbi metum peruagari exercitum animaduertit, tum copiarum præfectos cōuocat, tum eos omnes, qui si deiectis essent animis, damnum: si alacribus, vtilitatem adlaturi viderentur. Pręd ixit etiam adparitoribus, vt si quis alius quoque grauis armaturæ militum adstare vellet, hanc orationē auditurus, ne prohiberent. Vbi conuenissent, in hanc sententiā loquutus est: *Cyrus suis terrorem eximit.* Conuocaui ego vos, socij, quia nonnullos vestrum video, posteaquam ab hostibus venere nuntij, simillimos
„ esse hominibus perterritis. Equidem miror, quemquam
„ vestrum formidine corripi, quia dicantur hostes colligi:
„ ac non potius vos animis esse fidentibus, quum videatis
„ & multo maiore numero nos iam collectos, quā id tem-
„ poris, quum eos vinceremus: & multo nunc Dei ope, quā
„ antea, melius instructos. Dij immortales, ait, quid factu-
„ ri tandē fuissetis, qui iam metu estis perculsi, si qui nun-
„ tium adtulissent, aduentare copias aduersarias, ab iis re-
„ bus instructas, quæ apud nos sunt? si primum audiretis,
„ eos, qui prius nos vicissent, rursum venire, ac victoriam
„ in animis habere, quam aliquando adepti essent: deinde
„ eos, qui tum & sagittariorum, & iaculatorum velitatio-
„ nes fregissent, nunc aduenire cū aliis sibi similibus mul-
„ to pluribus. Præterea quemadmodum hi tūc armati vi-
„ cissent pedites, sic nūc equites ipsorum instructos, ad e-
„ quites accedere: reiectisq; arcubus & iaculis, & accepta
„ quemque tragula vna, eaq; firmiore, apud animum sta-
„ tuisse adequitare, vt comminus pugnā ineat. Venire itē
„ currus, qui non ita constituēdi sint auersi velut ad fugā,
„ sicut prius: sed tum equos in curribus cataphractos esse,
„ tum aurigas in turribus ligneis stare, quorū partes cor-
„ poris eminentes omnes loricis ac galeis tectæ sint, & fal-
„ ces ferreas ad axes aptatas esse, quo & illi statim in ad-
„ uersariorum ordines impetum faciant. Præter hæc ha-
bere

bere ipſos camelos, quibus aduehantur, quorum vnum
vel centum equi videre non ſuſtineant. Aduentare item
eos cum curribus, de quibus ſint opem laturi ſuis, & vos
eiaculādo impedituri, quo minus in planicie dimicetis.
Hæc igitur ſi quis vobis, qui iam in metu eſtis, nuntiaret
hoſtibus adeſſe, quid facturi eſſetis? quando (iam adeo
perturbamini) adlatis nuntiis, quod Crœſum hoſtes im-
peratorem legerint, qui tāto Syris imbellior fuit, vt quū 16
Syri prœlio victi fugerent, ipſe victos eſſe videns, quibus
opem, vt ſociis, ferre debebat, fuga ſe ſubduceret. Dein-
de nuntiatur ſane, hoſtes ipſos ſe non idoneos ac pares
arbitrari, qui nobiſcum pugnent, ſed alios conducere,
quaſi pro eis melius illi prœliaturi ſint, quam ipſimet.
Hæc igitur quum ita ſe habeant, ſi quibus terribilia vi-
dentur eſſe, noſtra vero futilia: hos equidem aio, milites,
ad hoſtes ablegādos eſſe. Nam multo magis nobis pro-
fuerint, ſi cum illis ſint, quam ſi nobis adſint. Poſteaquā
hæc Cyrus protulit, Chryſantas ille Perſa ſurgens, hoc
modo loquutus eſt: Ne tibi mirum ſit, mi Cyre, quoſdā
auditis hiſce, quæ nuntiantur, triſtes viſos eſſe. Quippe
non eo ſic adfecti fuere, quaſi metu percellerentur: ſed
propter indignationem. perinde ac ſi aliquibus iam &
prandere cupientibus, & exiſtimantibus id futurum, o-
pus aliquod denuntietur, quod neceſſe ſit ante pran-
dium abſolui: neminem opinor, hoc audito delectatum
iri. Sic nos etiam, qui fore putabamus, vt opes conſe-
queremur, poſteaquam inaudiuimus, reſtare quoddam
opus, quod abſoluendum ſit: vultus noſtros contraxi-
mus, non qui metu percelleremur, ſed illud etiam velle-
mus effectum eſſe. Verumenimuero quia non de Syria
ſolum dimicabimus, quæ & frumenti, & pecudum, &
palmarum feracium copiam habet: ſed etiam de Lydia,
in qua vini, ficorum, olei magna eſt copia, & quam mare
adluit, quo bona plura, quam quiſquam viderit, adue-
huntur: hæc igitur cogitantes, non iam amplius indi-
gnamur, ſed quammaxime confirmatis animis ſumus,
vt quamprimū etiā iſtis Lydiæ bonis fruamur. Hæc illius
verba fuerunt, quib. vniuerſi ſocij delectati, eadē com-
probarunt. Et Cyrus: Equidē, ait, arbitror, quā celerrime
aduerſus eos pergendū eſſe: vt primum ipſos eo veniēdo

anteuertamus, si quidem poterimus, vbi commeatum
colligunt. Deinde quanto celerius iuerimus, tanto pau-
ciora in promtu habebunt, ac plura desiderabũt. Equi-
dem ita censeo. Quod si quis vel tutius, vel facilius ali-
quid alia ratiõe facturos nos sentit, sane id doceat. Quũ
autem multi sententiis & ipsi dictis ostenderent, neces-
sarium esse, vt quamprimum in hostem pergerẽt, ac ne-
161 mo contradiceret: tum vero Cyrus huiusmodi orationẽ
est orsus: Iamdudum, socij, tum animi, tum corpora, tũ
arma, quibus vtendum erit, ope Dei nobis parata sunt.
Nunc vero commeatus ad iter comportandus est, tã no-
stra, quam iumentorum, quæcumq; habemus, opera: is-
que non minor, quam viginti dierum. Etenim ratioci-
nando reperio, nos plurium, quam 15. dierum, viam ha-
bituros, in qua nihil commeatus inueniemus. Nam aue-
ctus est partim a nobis, partim ab hostibus, quantũ qui-
dem illi potuerunt. Quamobrem conuersari necesse est,
quantum satis sit cibi: (nam absque hoc sit, nec prœliari,
nec viuere possimus) & vini tantum habere quemuis o-
portet, quantum satis fuerit ad consuefaciẽdum nos, vt
aquam bibamus. Nam pleraque viæ pars vino caret, in
quã si vel plurimum vini comportemus, non tamẽ illud
suffecerit. Quare ne, si subito vinũ nos deficiat, in mor-
bos incidamus, sic faciundum erit: ad cibum iam statim
aquam bibere incipiamus. Nam id si modo fecerimus,
mutationem non magnam sentiemus. Etenim quicum-
que polenta vescitur, is semper offam aqua mistam: qui
pane, aqua subactum panem comedit. Quin & elixa o-
mnia multa cum aqua parantur. Post cibum vero si vini
potus accedat, nihilo sequius animus adquiescet. Dein-
de vinum etiam illud imminui debebit, quod a cœna su-
mitur, donec consuefaciendo aquam bibere possimus.
Nam quæ mutatio paullatim declinando fit, ea facit, vt
quælibet natura mutationes ferat. quod quidem Deus
ipse nos docet, qui paullatim ab hyeme nos ad perferẽ-
dum vehementes calores abducit, & ab æstu ad acrem
hyemem: quem imitando peruenire ad id, quo necesse
est, iam ante condocefacti debemus. Quin & stragulorũ
pondus in commeatum insumite. Nam tametsi com-
meatus vobis superet, non tamen erit inutilis: at stragu-

la vo-

la vobis desint, metuendum non erit, quin suauiter dor-
mituri sitis. Sin autem, in me culpam conferte. Enimue-
ro cui vestis est copia, is sciat hanc permultũ & recte va-
lenti, & ægrotanti prodesse. Obsonia conuasanda sunt,
quæcumq; plurimum acida, & acria, & salsa fuerint. Nã
hæc ad cibum inuitãt, & quãdiutissime sufficiunt ac du-
rant. Posteaquam vero ad intacta loca peruenerimus, v-
bi consentaneũ est frumentum nos habituros: manua-
riæ molę parandæ deinceps erunt, quibus panem confi-
ciamus. Nam id ex illis instrumentis, quibus fit panis, le- 162
uissimum est. Præterea conuersari necesse est etiam illa,
quibus homines infirmæ valetudinis indigẽt. Nam ho-
rum moles per est exigua, & si quid tale vsuueniat, maxi-
me requirũtur. Oportet etiam habere lora. Nam pluri-
ma tum hominibus, tum equis a loris dependent & cõ-
nectuntur: itaq; si adterantur & rumpantur, cessari ne-
cesse est, nisi vincula quis habeat. Quod si quis tragulam
polire didicit, huic vtile fuerit, asciæ non obliuisci. Pro-
fuerit etiam limam secum ferre. Nam qui hastam acuit,
is animum quoque præterea nonnihil exacuit. Prohibet
enim pudor & verecũdia quædam, quominus is, qui ha-
stam acuit, sit ignauus. Etiam lignorum habere copiam
& curribus & plaustris conuenit. Nã multis in negotiis
& operibus, necesse est multa quoque deficere. Simul ad
hæc omnia habere oportet instrumenta maxime neces-
saria. Non enim vbiq; opifices adsunt. Quod autem toto
die suffecturum sit, ad id efficiundum pauci quidam nõ
sufficiunt. Conuenit & sarculum & ligonẽ in curru quo-
uis habere, & in iumento dossuario dolabram & falcem.
Nam hæc & cuiq; priuatim vsui sunt, & publice frequẽ-
ter vtilitatem adferunt. Quibus quidem ad cibos opus
est, de iis vos duces militum grauis armaturę illos inter-
rogate, qui vobis parent. Non enim prætermittendum
est quidquam horum, quo indigere quiuis poterit. Nam
alioquin eorum penuria nos ipsos tanget. Quęcunq; ve-
ro habere iumenta iubeo, vos impedimentorum præfe-
cti inquirite, & qui non habet, hunc ad parãdum ea co-
gite. Vos autem, qui vias exercitui sternẽtibus præestis,
habetis a me descriptos eos, qui ex iaculatoribus, & sa-
gittariis, & funditoribus loco moti sunt. Itaq; cogetis re-

„ iectos ex iaculatoribus, vt sumta securi lignaria militẽt: „ qui ex sagittariis, ligone: qui ex funditorib. sarculo. Atque hos ipsos iis instructos, ante plaustra turmatim incedere cogetis, vt si munienda via sit, statim opus adgrediamini: & ipse sciam si mihi aliquorum opera necessaria sit, vnde ad vsum meum mihi sumendi sint. Ducam vero nobiscum & fabros ærarios militaris ætatis, & fabros tignarios, & sutores, cum instrumentis suis: vt si qua in re his etiam artificiis opus sit in exercitu, nihil deficiat. At-
163 que hi sane ab armatorum militũ ordinibus soluti erũt, & suo constituti loco, mercenarias operas, quarum periti sunt, iis facient, qui eas requirẽt. Quod si quis etiam mercator sequi castra voluerit, vt aliquid vendat, is illorum dierum, quos ante significauimus, commeatũ habere debet: sin aliquid vendere deprehendatur, omnibus spoliabitur. Posteaquam vero dies hi præterierint, quo pacto volet, vẽdet: & quisquis e mercatoribus quam maxime rerum venalium forum augere videbitur, is & a sociis, & a me muneribus & honore adficietur. Quod si quis existimat, pecunia sibi ad coemtionem rerum opus esse: is illos, quibus est notus, & fideiussores, quib. recte caueat, se cum exercitu profecturum, adducat: & quam nos habemus, accipiat. Et hæc a me prædicta sunto. Si quis vero aliud quippiã, quod facto sit opus, perspicit: mihi significet. Ac vos quidem hinc digressi vasa colligite, ego profectionis caussa rem sacrã faciã, atq; vbi perlitatum erit, signum dabimus. Debent autem adesse omnes cũ iis quæ prædicta sunt, loco cõstituto, apud duces suos. Vos vero duces, vbi suum quisq; ordinem instruxeritis, ad me omnes cõuenietis, vt suus cuiq; locus adtribuatur. Quibus illi auditis, ad iter se cõparabant: Cyro sacris operam dante. His vbi rite litatum esset, motis castris, cũ exercitu progredi cœpit. Ac primo quidẽ die metatus est castra loco, quã potuit proximo: vt si quis alicuius rei esset oblitus, eam inquireret: & si quis esse sibi re aliqua opus animaduerteret, eã adhuc sibi compararet. Et Cyaxares quidem cum tertia parte Medorũ remãsit, vt domi solitudo non esset. Cyrus quã celerrime poterat, faciebat iter, primo equitibus loco tributo; ante quos & exploratores & speculatores semper vlteriora in loca, quæ ad speculandum

Cyrus aduersus hostem pergit.

dum eſſent commodiſſima, præmittebat. Hos impedi-
menta ſequebantur, & in planicie quidem multos plau-
ſtrorum & impedimentorum globos faciebat. Hos a ter-
go ſequebatur phalanx, vt ſi quid impedimentorũ a ter-
go relinqueretur, præfecti ſuperuenientes curarent, vt in
progreſſu non impedirentur. Sicubi vero anguſtior erat
via, milites armati receptis in medium impedimentis,
hinc & illinc incedebant: ac ſi quod his obſtaculum ali-
cubi obiiceretur, milites alij ad ea loca delati ſua his ope
ra non deerant. Plerumque vero ſic cohortes iter facie- 164
bant, vt impedimenta ſua apud ſe haberent. Nam clitel-
lariis omnibus erat imperatum, vt quiſque propter co-
hortem ſuam progrederetur, niſi quid rei neceſſariæ im-
pediret. Atq; etiam clitellarius quiſq; præibat, ac ſignum
centurionis ſui habebat, quod militibus eiuſdem cohor-
tis notum eſſet. Itaque cateruatim faciebant iter, & ve-
hementer in hoc intentus erat quilibet, ne qui ſuorum a
tergo relinquerentur. Quod quum facerent, neceſſe nõ
erat, vt mutuo ſe quærerent: & omnia præſto, magiſque
ſalua erant: & ea, quibus eſſet opus, citius milites habe-
bant. Ceterum ſpeculatores antegreſſi, quum videren-
tur in planicie videre quoſdam, qui pabulum & ligna ſu-
merent, & adſpicerent itidem iumenta, quæ huiuſmodi
alia portarent, atque interim paſcerentur: & remotiora
loca intuendo, animaduertere ſibi viderentur vel fumũ,
vel puluerem in ſublime ferri: de his omnibus intellige-
bant, hoſtium copias alicubi eſſe in propinquo. Itaq; ſpe-
culatorum præfectus ſtatim quemdam mittit, qui Cyro
iſta nuntiaret. Is vbi hæc audiiſſet, iuſſit, vt illis ipſis in
ſpeculis manerent, ac quidquid ſemper noui conſpice-
rent, ſibi renuntiarent. Præterea equitum cohorte vl-
terius miſſa, darent operam mandat, vt quoſdam il-
lorum in ea planicie comprehenderent, quo certius id,
quod eſſet, cognoſci poſſet. Ac faciebant hoc illi, qui-
bus id erat negotij datum. Cyrus ipſe copias reliquas *Cyrus ad*
ibidem ſubſiſtere iuſſit, vt præpararent ea, quibus opus *pugnam ſe*
eſſe arbitrabatur, antequam omnino congrederen- *comparat.*
tur. Primum vero edixit, vti pranderent: deinde vt
ſuis in ordinibus manerent, ac prouiderent, quid im-
peraretur. Pranſi quum eſſent, equitum, peditum,

curruum duces,atq; etiam machinarum,impedimentorum,plaustrorum præfectos conuocauit. Hi dum cõuenirent,interea qui in planiciem excurrerãt, homines cõprehensos adducebant. Quumq; a Cyro interrogarentur ij, qui capti erant: aiebant se hostium ex castris esse, ac processisse,partim pabulatum,partim lignatum,prætergressos primas excubias. Etenim propter exercitus multitudinem omnium esse penuriam. Quibus auditis Cyrus: Et quãto,inquit,interuallo hinc exercitus abest? Parasangas duas,aiunt illi.Hinc Cyrus:An de nobis erat, inquit,apud ipsos aliquis rumor?Erat profecto,inquiũt, & quidem magnus: nimirũ ita vos aduenire, vt iam pro-
165 pe abessetis. Quid igitur? ait Cyrus, quũ id audirent, an gaudebant? Quod quidem eorum causa quærebat, qui aderunt.Non profecto,respondent illi,non sane gaudebant,sed admodum etiam anxij erant. Iam vero,ait Cyrus,quid rerum agunt?Delectus eorũ habetur,inquiunt, atq; in hoc tum heri, tum nudiustertius etiam occupati fuerunt. Et quis eos instruit? Crœsus ipse,inquiunt,& cũ eo Græcus quidam, & alius quidam Medus, qui a vobis venisse transfuga dicebatur. Verum ô maxime Iupiter, ait Cyrus, vtinam eum capiam,vti desidero. Secundum hæc abduci captiuos iussit, & ad eos, qui aderant, quasi aliquid dicturus,se conuertit.Interea quidam alius a speculatorum præfecto aderat,qui magnũ equitum agmen in planicie dicebat conspici. Ac nos quidem, inquit, suspicamur eos prouehi studio contemplandi hunc exercitum. Nam ante hanc turmam alij equites fere triginta celeriter aduehuntur, & quidem versus nos ipsos:fortasse quod hanc speculam occupare velint, si quidem possint. Nos autem in ista specula tantummodo decem sumus. Et Cyrus nonnullos equites ex iis, quos semper circum se habebat, prouehi sub ipsam vsq; speculam iubet, atq; ita quiescere,vt ab hostibus non conspicerentur.Vbi vero, ait, decuria nostra speculam deseruerit, tum vos erumpentes ex insidiis, eos inuadite, qui speculam conscenderint.Atq; vt vos magnum illud agmen non lædat, egredere tu,inquit,aduersus hos Hystaspa,cum mille his equitibus,& in cõspectũ hostilis agminis aduerso agmine pergito. Nequaquã vero persequaris eos vsq; ad loca

tibi

tibi non perſpecta, ſed vbi curaueris, vt ſpeculæ conſeruentur, abſcedito. Quod ſi qui ſublatis dextris ad vos aduehantur, eos amanter excipite. Hyſtaſpas itaque diſcedens arma ſumebat, & adparitores Cyri ſtatim, quemadmodum imperarat, auehebantur: quibus Araſpas cum famulis cis ipſas ſpeculas occurrit, is qui dudum explorator miſſus fuerat, Suſiæ mulieris cuſtos. Eum Cyrus vt vidit, exſiliens de ſella, progreſſus eſt ei obuiam, & dextra hominem excepit. Ceteris, qui nihil horum ſcirent, ſtupori res erat, vti par eſt credi, donec Cyrus ait: Vir optimus nobis aduenit, amici. Nam ſcire iam vniuerſi homines, quid fecerit, debent. Hic neque vlla turpitudine victus, neque formidine mei permotus, diſceſſit: ſed a me fuit ablegatus, vt hoſtium rebus liquido cognitis, vera nobis referret. Tibi quidem, mi Araſpa, quæ pollicitus ſum, memini: & ea tibi, cum his omnibus, præſtabo: vos autem æquum eſt, milites, hunc, vt virũ fortem, honore proſequi. Nam commodi noſtri cauſſa tum periculo ſe expoſuit, tum criminis, quo grauabatur, culpam ſuſtinuit. Heic vero Araſpam vniuerſi ſalutantes amplectebantur, & dextris excipiebant. Quum autem dixiſſet Cyrus ſatis iam iſtorum eſſe: quæ ſcire nos refert, inquit, narra nobis Araſpa, neque res hoſtium præter veritatem extenua. Nam melius fuerit, nos arbitratos maiora, deinde minora videre: quã auditis minoribus, maiora reperire. Enimuero, inquit, Araſpas, operam dedi, vt rem quam certiſſime cognoſcerem. Nam præſens ipſe cum aliis delectũ eorum habui. Tu igitur, inquit Cyrus, non eorum modo numerum, ſed etiam aciei rationem tenes? Teneo profecto, inquit Araſpas, atque etiam, quo pacto prœlium inire cogitent. Tu tamen, ait Cyrus, primum nobis eorum multitudinem ſummatim exponito. Sunt, inquit, omnes & pedites, & equites, ſic inſtructi: vt aciei denſitas tricenos contineat, exceptis Ægyptiis. Occupant autem fere ſpatium quadraginta ſtadiorum. Etenim admodum mihi curæ fuit, vt quantum loci occuparent, ſcirem. Ægyptij vero ſubiecit Cyrus, quo pacto inſtructi ſint, dicito. Aiebas enim, exceptis Ægyptiis. Nimirum hos denum milliũ præfecti ſic inſtruebant, vt quælibet denum milliũ acies in cẽtenos eſſet diſpoſita. Nam

Araſpas ab hoſtibus reuertitur.

166

Hoſtium quantæ fuerint copiæ.

domi quoque sibi hanc ordinum legem esse dicebant. Crœsus sane perquam inuitus eis concessit, vt hoc modo instruerentur. Quippe phalangẽ suam sic extendere volebat, vt tuum vltra exercitum longissime porrigeretur. At quamobrem, ait Cyrus, id cupiebat? Ea profecto de caussa, vt exsuperante copias tuas multitudine circumdaret. Et Cyrus: At isti viderint, ait, ne dum circumdare volunt, ipsimet circumdentur. Sed enim quæ de te audiri ex re erat, audiuimus. Vobis autem, commilitones, ita faciendum erit. Posteaquam hinc iam abieritis, tum equorum arma, tum vestra inspicite. Nam sæpenumero exigua re deficiente, & vir, & equus, & currus, inutilis redditur. Cras autem mane, dum sacram ego rem peragam,
167 primum & viris & equis vescendum erit: vt quidquid tamdem fieri opportunum fuerit, in eo ne deficiamus. Deinde tu, inquit, †Araspa, cornu dextrum obtineto, vti nunc obtines: itidemque ceteri denum millium præfecti seruate, quem nũc locum obtinetis. Nam vbi prœlio congrediundum est, non iuncti iam equi vllo in curru commode mutari possunt. Denuntiate vero cohortium ductoribus & præfectis manipulariis, vt in phalange cõsistant, singulis manipulis densis ad duos. Erant autem isti manipuli singuli militum viginti quatuor. Et quidam e denum millium præfectis, inquit: An videmur tibi Cyre, siquidem in tot ordinati simus, aduersus tam densam phalãgem suffecturi? Tum Cyrus: Si densiores sint phalãges, ait, quã vt armis ad hostes possint pertingere, quid tibi videntur hostibus adferre damni, quid sociis cõmodi? Equidem, ait, hos in centenos ordinatos grauis armaturæ milites mallem in decies millenos esse dispositos: Nam hoc modo cum paucissimis dimicaremus. At quo militum numero phalangis meæ dẽsitas constabit, futurum arbitror, vt tota strenua reddatur, & ad opem mutuo ferendam promta. Iaculatores quidem post loricatos disponã, & post iaculatores, sagittarios. Quis enim eos in principiis constituat, qui fateantur ipsi, nullam se comminus pugnam sustinere posse? At si loricatos ante se hostibus oppositos habeant, subsistent: & illi quidem tela vibrando, hi sagittas emittendo super omnes ante se collocatos, hosti damnũ inferẽt. Quocumq; vero maleficio

†al. Arisba,

Quo pacto Cyrus copias suas instruxerit.

lesicio quis hostem infestat: eo nimirum ipso socios subleuat. Postremos collocabo, qui omnium vltimi vocantur. Nam quemadmodum domus nec sine lapidum cõpositione firma, nec absque iis, qui tectum faciant, vllam ad rem vtilis est: sic neq; phalangis vel absque primis, vel absque vltimis, si strenui non fuerint, vllus est vsus. Enimuero vestros ordines, vti præcipio, instruite: ac vos cetratorum præfecti post ordines horum, vestros itidem manipulos disponite: vosque præfecti sagittariorum, itidem post cetratos. At tu, qui præfectus es vltimis omnium, extrema esto in acie cum tuis, eisque præcipito, vt quisque respiciendo suos obseruet, & officium facientes vlterius cohortetur, ignauiores minitabundus acriter increpet. Quod si quis tergum vertat, deserendi consilio, morte multetur. Est enim hoc principe constitutorũ loco munus, vt sequentes verbis & factis animosos efficiant. Vos autem, qui post omnes estis collocati, 168
etiam metum hostili maiorem ignauis incutere debetis. Ac vos quidem hæc facite. Tu vero † Abradata, qui præfectus es machinis, fac vt vehicula iugalia, quæ adparitores ac turres vehunt, quamproxime phalangem sequantur. Tu Dauche, qui præfectus es palustris impedimenta vehentibus, post turres copias eiusmodi omnes ducito, & adparitores tui vehementer in eos animaduertant, qui vel intempestiue præcesserint, vel a tergo manserint. Tu Carduche, qui carpentis mulieres vehentibus es præfectus, postremo ea loco post impedimenta constitue. Nam si hæc omnia sequantur, & multitudinis opinionem præbebunt, & insidias struendi facultatem nobis suppeditabunt, & cogent hostes, si quidem circumdare nos velint, vt maiorem ambitum faciant. Quanto autem maius spatium circumdando complectentur, tanto necesse est imbecilliores fiant. Ac vos quidem ita facite. Tu vero Artabaze, & tu Artagersa, mille pedites, quibus singulis vterque præestis, post hos ducite. Tuque Pharnuche, ac tu Asiadata, equites illos mille, quibus præestis vterque, ne intra phalangem disponite: sed armis instructi pone plaustra seorsum consistite, ac deinde cum ducibus ceteris ad nos accedite. Sic autem paratos vos esse necesse est, ac si primi prœlium sitis

† al. Euphrata,

ituri. Tu quoque camelis impositorum præfecte pone plaustra locum tuum obtineto, & quidquid Artagersas imperarit, facito. Vos autem curruum duces sortimini, & cuicumq; sors obuenerit, is ante phalangem suos centum currus constituat. De ceteris curruum centuriis altera quidem ad latus dextrum exercitus procedens, phalangem ad cornu sequatur, ad læuum altera. Sic adeo Cyrus omnes disponebat. Abradatas autem Susorũ rex: Equidem, ait, vltro in me recipio, mi Cyre, vt hunc e regione phalangis aduersæ locum obtineã, nisi quid aliud tibi videtur. Et Cyrus hominem admiratus dextra prehendit, ac Persas, qui ceteris erant in curribus, interrogat: An & vos hæc conceditis? Illis respondentibus, honestum non esse, hæc permittere: sorte ducta rem inter ipsos componit, & Abradatæ sors id concessit, quod

Abradatæ magnanimitas.

169 ipse in se receperat, & Ægyptiis oppositus fuit. Ac tum quidem discedentes, curatis iis, quæ prædicta sunt, cœnabant: & constitutis excubiis, quieti se dabant. Postridie mane Cyrus rem diuinam faciebat. At omnis exercitus, quum pransus esset, ac libasset, armabat & instruebat se: multas induens elegantes tunicas, multas & elegantes loricas, & galeas: itidemque armabant equos frontium pectorumque tegumentis, & celetes quidem equos illis armis, quæ femora: curribus vero iũctos armis aliis, quæ latera tegerent. Itaque totus exercitus ære fulgebat, & florido vestium punicearum colore nitebat. Erat & Abradatæ currus temonũ quatuor, & equorum octo, pereleganter exornatus. Quumq; iam thoracem more patrio lineum induere vellet, adfert ei Panthea galeam auream, & tegumenta brachiorum, & armillas latas circum internodia manuum & purpuream ad pedes vsque demissam tunicam, pallæ plicas habenti similem inferius, & coloris hyacinthini cristam. Hæc illa clam viro, ad armorum eius mensuram fabricanda curauerat. Quibus ille conspectis, cum admiratione Pantheam interrogauit. Tune vero, mea mulier, mundo tuo conciso hæc mihi arma confecisti? Non profecto, ait Panthea, mundo illo, qui mihi maximi pretij est. Nam tu, si quidem talem aliis etiam te declaraueris, qualis esse mihi videris, maximus mihi mundus & ornamentũ futurus es. Hæc dicens, armis

Panthea maritum ornat, & ad fortitudinem hortatur.

armis eum induebat: & quamquam id occultare conaretur, lacrumæ tamen ei per genas destillabant. Abradatas iam ante spectatu dignus, posteaquam his armis erat ornatus, pulcherrimus adparebat, & maxime liberali forma præditus: quippe qui talis esset etiã a natura. Quumque ab auriga inferiore habenas accepisset, iam se parabat, vt in currum adscenderet. Ibi tum Panthea secedere iussis omnibus, qui aderãt, dixit: Mi Abradata, si qua mulier vmquam maritum suum pluris, quam suam æstimauit animam: adgnoscere te arbitror, etiam me harum vnã esse. Quid ergo necesse est omnia singillatim commemorare? Nam factis ea me tibi præstitisse existimo, quæ plus apud te fidei mereantur, quam verba ista meo nunc ex ore prodeuntia. Sed enim tametsi hoc sim erga te animo, quem ipse nosti: iurata tamen & meũ, & tuum amorem sancte testor, malle me tecum, strenue* se gerente, simul terra obrui: quam cum infami, & ipsa infamis viuere. Vsque adeo equidem & te, & meipsam honestissimis quibusq; dignos iudico. Quinetiam Cyro, mea sententia, magnas quasdam gratias debemus, quod redactam me ad captiuæ fortunam, & sibi selectam, nec vt seruilis fæmina condicionis, nec vt libera sub ignominioso nomine voluerit vti: sed posteaquam me accepit, tibi tamquam fratris vxorem custodiuerit. Præterea quum Araspas, custos ille meus, ab ipso deficeret: policita sum ei, si mihi facultatem ad te mittendi cõcederet, venturũ te ad ipsum, longe Araspa tũ fideliorẽ, tum meliorẽ. Hæc illa est proloquuta, cuius verbis cũ admiratione delectatus Abradatas: & caput eius tangens, & in cœlum suspiciens, precatus est: Tu vero Iupiter maxime, fac vt dignum me Panthea maritum, & amicum Cyro dignum declarem, qui nobis honorem habuit. Ea loquutus, per ostium sellæ currulis in currum adscendit. Et quum inferior auriga, post ipsius adscensum, sellam istam occlusisset: Panthea, quæ alia ratione nõ posset amplius ipsum amplecti, sellam est osculata. Itaq; iam currus Abradatæ procedebat, & illa clam viro subsequebatur: donec conuersus Abradatas, ea cõspecta dixit: Bono sis animo mea Panthea, & salue, & abi iam. Tum deinde eunuchi atque ancillæ receptam ad carpentum deduxerunt, in lecto &

*te gerẽte. &, ipsam infamem viuere. Æ. P. 170

Imago amoris inter coniuges.

compositam tentorio texerunt. Tametsi vero & Abra-
datas, & currus eius sane pulchrum spectaculum exhibe-
rent: prius tamen homines eum contemplari nō potue-
re, quam Panthea discessisset. Quum autem Cyrus rite
rem diuinā fecisset, & iam instructus esset exercitus, vti
mandarat, & speculas alias ante alias teneret: ducibus
conuocatis, huiusmodi verba fecit: Dij nobis, amici ac
socij, mactatarum in hostiarum extis ea demonstrant,
quæ pridem, quum victoriam nobis illam priorem lar-
giti sunt. Ego vero commonefacere vos eorum volo,
quæ si memoria teneatis, longe mea quidam sententia
sitis ad prœlium alacrius accessuri. Nam bellicis in rebus
multo, quam hostes, magis estis exerciti: & tum educati
simul viuendo, tum instructi estis longe diutius, quam
hostes: & victoria potiti simul estis. At ex hostibus mul-
ti cum suis victi sunt. Qui autem ex vtraque parte prœ-
lio nondum interfuerunt, eorum quotquot in hostium
171 exercitu sunt, se norunt adstites habere desertores: vos
vero, qui a nobis estis, cum iis aleam prælij vos subitu-
ros nostis, qui sociis opem ferre cupiant. Est autem
consentaneum, concordibus animis in pugna substi-
turos eos, qui mutuo sibi fidunt: qui vero diffidunt,
hos consultare necesse est, quo pacto singuli quampri-
mum subducere se possint. Eamus igitur in hostem,
commilitones, cum armatis curribus, aduersus hostium
currus inermes: itidemque cum equitibus & equis ar-
matis, aduersus inermes comminus pugnaturi. Pedites
quidem aduersarios habituri estis eos, quos antehac: &
Ægyptij, quo armati sunt modo, eodem & in acie dispo-
siti sunt. Nam maiores eis clupei sunt, quam vt aliquid
vel efficere, vel prospicere possint: & in centenos ordi-
nati, seipsos haud dubie in prœlio sunt impedituri, pau-
cis admodum exceptis. Quod si nos impellendo protru-
suros se crediderint, primum equi sustinendi eis erunt:
& ferrum, cui robur ab equis accedit. Iam si quis illo-
rum etiam non cedendo subsistet, quo pacto simul &
aduersus equitatum, & phalangem, & turres pugnare
poterit? Nam in turribus collocati nostri, nobis au-
xilio futuri sunt: & hostes feriendo, potius vt de suis re-
bus desperent, quam prœlientur, efficient. Quod si
re qua-

re quapiam vobis adhuc opus esse putatis ad me referte. "
Nam Diis adiuuantibus, nullius inopia laboraturi sumus. "
Si quis etiam dicere aliquid volet, dicat: sin autem, "
ad rem diuinam discedite, ac Deos comprecati, "
quibus rem sacram fecimus, ad ordines vosmet conferte. "
Redigat autem ea quisq; vestrum in memoriam suis, "
de quibus a me admoniti estis: adeoque subiectis sibi "
quilibet, intrepidum & gestu, & vultu, & oratione semet "
ostendendo, imperio se dignum declaret. "

XENOPHONTIS HISTORIARVM DE INSTITVTIONE CYRI, LIB. VII.

ARGVMENTVM.

1. Cyrus quid ante prœlium cum hoste commissum, fecerit. 2. Cum maximis hostium copiis confligit. 3. Hostiũ equi camelos Cyri fugiunt, magnamq; perturbationẽ, atque terrorem hostilibus copiis afferunt. 4. Persarum, & Ægyptiorum pugna. 5. Cyri stratagema. 6. Ægyptij, quando, quomodo, cur, quibus condicionibus, Cyro se adiunxerint. 7. Crœsus Sardes fugit, quas Cyrus capit, Chaldæosq; prædæ cupidos multat. 8. Cyrus Crœsum ad se deduci iubet. 9. Crœsus, quando, quomodo, cur Apollinem tentarit: quod oraculum ab eo acceperit: quomodo aduersus hoc disputarit: eoq; neglecto rem infeliciter gesserit. 10 Quanam censenda sit vita felix. 11. Cyrus de Abradatæ morte certior factus, vehementer dolet, eumque quã splendidissimo funere cohonestari iubet. 12. Panthea propter mariti mortem sibi manus violentas affert. 13. Monumentum Abradatæ, Pantheæ, & Eunuchorum. 14. Cyrus copias in Cariam Adusii ductu mittit, qui Carum controuersias componit. 15. Græci tributum Cyro pendere, militiam sequi, & imperata facere coguntur. 16. Phrygiæ Rex capitur. 17. Cyrus se ab omnibus sordibus alienissimum esse demonstrat. 18. Dum Ba-

bylonem rursus petit, variasgentes, atq; regiones in suam potestatem redigit. 19. Cyri stratagema. 20. Cyrus Babylonis obsidendæ rationem ostendit, & Chrysantæ rationem refellit. 21. Cyrus Babylonem quando, quomodo ceperit, quid ea capta fecerit. 22. Cyrus maiestatem regiam qua ratione sit adeptus. 23. Idem ad sui corporis custodiam cur eunuchos, Persasq; satellites elegerit, cæterosq; Persas secum retinere studuerit.

172 LLI ergo precati Deos, ad ordines abierunt. Et ministri Cyro, atque iis, qui cum ipso erant, cibum ac potum adtulere, quum adhuc rem sacram facerent. Cyrus ita, vti constiterat, delibatis cibis prandebat: & semper ei, qui maxime indigeret, impertiebatur: quumque post libationem precatus esset, tum ipse bibit, tum ceteri, qui aderant. Secundum hæc implorato Ioue patrio, vt & dux & socius esset: equum adscendit, idemque sibi proximos facere iussit. Erant autem omnes illi cum Cyro iisdem armis instructi, quibus ipse Cyrus: tunicis puniceis, loricis æreis, æreis galeis, cristis albis, gladiis, & vna cornea quisque tragula. Equi tegumentis frontium, & pectorum, & laterum æreis muniti erant. Eiusdem generis tegumenta equitis cuiusq; femora muniebant. Tantum Cyri arma differebant in hoc, quod reliqua colore aureo illita erant: at Cyri arma instar speculi resplendebant. Posteaquam conscendit equum, ac substitit, vt respiceret, qua perrecturus esset: tonitru dextrum insonuit. Itaque dixit: Sequemur te maxime Iupiter. Tum progredi cœpit, Chrysanta equitum præfecto, cum equitibus, dextrum: * Arasamba cum pedestribus copiis latus læuum obtinentibus. Præcepit etiam, vt ad signum respicerent, & æquali gradu sequerentur. Erat autem ei signum, aquila aurea in hasta sublimi extensa. Et hodieque signum hoc a rege Persarum adhuc retinetur. Prius vero, quam in hostium conspectum venirent, ter exercitum quiescendo refecit. Vbi iam ad stadia viginti accessissent, hostium copias aduentantes contra se cernere cœperunt. Quum autem vtrique

al. Arisba &, Arisma, & Arsama.

Aquila aurea signũ Persici Imperij, sicut & deinceps Byzantini.

que iam se mutuo in conspectu haberent, & hostes decreuissent ab vtroque latere phalangem aduersam circumuenire: stiterunt phalangem suam, quod aliter circumdare non liceat, & inflexerunt ad intercipiendum in medio hostem, vt instructo agmine suo vtrimq; instar litteræ gamma, vndique simul dimicarent. Quæ Cyrus tametsi videret, nihilo tamen magis restitit: sed eodem modo præibat. Quum autem animaduerteret, procul ab ipsis vtrimq; flexum fieri, quo cornua flectendo extendebant: Animaduertis, inquit, Chrysanta, vbi hostes flexionem instituant? Prorsus, ait, Chrysantas, atque adeo res mihi mira videtur. Nam cornua, mea quidem sententia, longe a sua phalange abstrahunt. Sic est profecto, ait Cyrus, ac longe etiam a nostra. Cur id? Nimirum, ait, metuunt ne, si cornua nobis propiora sint, phalange procul adhuc remota, nos ipsos inuadamus. At qui poterunt deinde, inquit Chrysantas, aliis alij adiumento esse, quum tam procul ab se inuicem absint? Manifestum est, ait Cyrus, quod vbi cornua e regione laterum exercitus nostri adscendendo constiterint: quasi in phalangẽ conuersi pariter ex omni parte nos adgredientur, simul vndique aduersum nos pugnaturi. Ergone tibi, ait Chrysantas, recte hoc consilij capere videntur? Vero, ad ea quæ prospiciunt, inquit: quod autem adtinet ea, quæ non prospiciunt: etiã peius sibi consulunt, quam si aduersis cornibus nos inuaderent. Sed tu Arsama, inquit, peditatui modice præito, sicuti me præire vides: ac tu Chrysanta pari gradu cum hoc copias equestres ducens sequitor. Ego vero illuc abeo, vnde mihi tempestiuum videtur, ordiri prœlium: & simul in transitu singula considerabo, quo pacto nobis ista se habeant. Illuc vbi venero, & congressuri iam inter nos erimus: pæanem exordiar, ac vos subsequimini. Quando autem manus cum hoste nos conserturi simus, facile vos sentietis, quũ non exiguus tumultus futurus sit; ac deinde cum curribus Abradates in aduersos impetum faciet. Sic enim ipsi significabitur. Vos autem sequi oportebit quammaxime contiguos curribus. Nam hoc modo in hostes plurimũ perturbatos incidemus. Adero etiam ipse, & quam celerrime potero, Diis volentibus, eos persequar. Hæc

174 loquutus, quum tesseram militarem hanc dedisset,
Iupiter seruator & dux, progressus est. Quumque inter
currus & loricatos pergeret, quoties aliquos in ordini-
bus adspiceret, aiebat modo: Quam iucundum est mili-
tes, vultus vestros intueri: modo apud alios dicebat: An
intelligitis, milites, certamen iam propositum esse non
solum de hodierna victoria: sed etiam de ea, quam prius
obtinuistis, adeoque de felicitate vniuersa? Hinc ad ali-
os accedens: Deinceps, aiebat, numquam Dij nobis ac-
cusandi erunt, commilitones. Nam facultatem conces-
sere multa & egregia nobis adquirendi. Saltem nos, mi-
lites, fortiter nosmet geramus. Rursus ad alios huiusmo-
di: Quasnam ad communes epulas lautiores nosmet in-
uitare possemus quam ad has ipsas? Nam modo facultas
vobis est, si viri fortes esse volueritis, multa & egregia
commoda mutuo vobis conferendi. Rursus ad alios: No-
stis, opinor, milites, proposita iam esse præmia: vincenti-
bus quidem, vt persequantur, feriãt, occidant, bona pos-
sideant, præclare audiant, liberi sint, imperent: ignauis
autem, his contraria scilicet. Quisquis ergo seipsum di-
ligit, mecum prœliũ ineat. Nam nihil equidem ignaui-
æ, nihil turpitudinis volens admittã. Rursus vbi ad quos-
dam accessisset, qui prœlio superiori interfuissent, aie-
bat: Ad vos vero, milites, quid verbis opus est? Nostis
enim, cuiusmodi diem viri fortes in prœliis agãt, & qua-
lem ignaui. Deinde discedens, ad Abradatam quum ac-
cessisset, restitit: & Abradatas habenis inferiori aurigæ
traditis, adiit eum simul adcurrentibus etiam aliis, qui
prope ab ipso in acie collocati erant, tum pedites, tum
curruum agitatores. Hi quum ad Cyrum venissent, in
hanc sententiã inquit: Deus Abradata, quemadmodum
tu petebas, & te & tuos dignos censuit, qui sociorum es-
setis in acie principes. Tu vero memineris, vbi iam tibi
prœliandum erit. Persas eos futuros, qui vos & specta-
bunt, & sequentur: neque committent, vt soli desertique
dimicetis. Et Abradatas ait: Equidem res nostras, Cyre,
habere se recte existimo. Verum latera me sollicitum ha-
bent. Nam hostium cornua video porrigi firma tum
propter currus, tum propter omnis generis copias. His
nihil nos opposuimus aliud, quam currus. Quapropter
me qui-

me quidem, nisi forte locus hic mihi obtigisset, eius 175 sane puderet. Adeo mihi videor esse in tuto. Cyrus autem ad hæc: Si res apud te recte habent, inquit, bono sis animo, quod illos adtinet. Nam equidem Deum ope tibi palam hæc hostium latera nutabo. Teque obtestor, ne prius in hostes istos impetum facias quam hos ipsos, quos modo metuis, fugere cernas. Et huiusmodi verba Cyrus magnifice iactabat, instante pugna: quum ceteroqui non admodum iactabundus esset. Vbi vero fugientes hos conspexeris, tum & me iam adesse putato, & impetum in hostes facito. Quippe tunc aduersarios ignauissimos, & tuos fortissimos experieris. Enimuero dum tibi vacat, Abradata, currus tuos vtiq; præteruectus, cohortare tuos ad inuadendũ, ac partim eis vultu animos addito partim spe subleuato. Atque vti longe præstantissimi omnium, qui sunt in curribus, videamini: æmulationem inter ipsos excitato. Nam certo scias, dicturos omnes deinceps, si hoc fiat, virtute nihil esse fructuosius. Itaque conscenso curru præteruebatur Abradatas, & hæc faciebat. Cyrus progressus, vbi ad læuam peruenit, quo loco Hystaspas erat, cum equitatus Persici parte dimidia: nominatim eum compellãs, ait: Vides iam, Hystaspa, dignum opus celeritate in conficiundis rebus tua. Nam si modo anteuertemus hostes interficiendo, nemo nostrum peribit. Et Hystaspas cum risu ait: Enimuero de aduersis curæ nobis erit. Tu autem de illis, qui sunt a latere, aliis mandata dederis, ne otiosi sint. Equidem ad hos, ait Cyrus, ipse pergo. Tu tamen memineris, Hystaspa, cuicumq; nostrum tandem victoriam Deus concesserit, si quid alicubi reliquum ex hostibus manserit, semper cum iis, qui pugnabunt, manus conserendas esse. His dictis, procedebat. Quumque progrediendo ad latus venisset, & ad præfectum curribus, qui istic erant, sic eum adpellans ait: Equidem vobis opem laturus venio. Vos vbi senseritis, nos ad partes extremas hostem inuadere: tum & ipsi per medios hostes inuehendo perrumpere conamini. Nam tutiores futuri estis, si peruadendo foras eruperitis, quam si ab eis in medio intercipiamini. Postquam autem pergẽdo, pone plaustra venit: iussit, vt Artagersas &

176 Pharnuchus cum mille * peditibus ac totidẽ equitibus,
ibidem manerent. Vbi vero, inquit, me animaduerteri-
tis eos, qui ad latus dextrum sunt, adoriri: tunc & ipsi vo-
bis oppositos inuadite. Pugnabitis enim aduersus cornu,
quo loco imbecillior est exercitus: & phalangem habe-
bitis, vt firmiores sitis. Sunt etiam, vti videtis, equites ho-
stium vltimi, aduersus quos omnino camelorum ordi-
dines immittite. Nam certo scitote, prius vos hostes ri-
diculos esse conspecturos, quam manus conseratis. His
Cyrus peractis, ad latus dextrum se contulit. Crœsus au-
tem ratus iam phalangem, cum qua ipse procedebat, ab
hostibus abesse propius, quam illa cornua, quæ proten-
debantur: signum extulit, quo cornua monerentur, ne
longius sursum progrederentur, sed eo loco se cõuerte-
rent. Quumque subsisterent omnes, & Cyri copias intue-
rentur: signum eis dedit, vt in hostem pergerẽt. Hoc mo-
do tres phalanges aduersus exercitum Cyri tendebant,
vna ex aduerso, ex reliquis duabus ad dextrum altera la-
tus, ad læuum altera: ita quidem, vt totus exercitus Cyri
magno in metu versaretur. Nam instar exigui laterculi,
qui collocatus est in magno, Cyri copiæ cingebãtur vn-
dique ab hostium equitibus & cataphractis, & cetratis,
& sagittariis, & curribus, extraquam a tergo. Sed vbi ta-
men Cyrus imperauit omnes ore aduerso in hostem se
conuerterunt. Et erat altum vbique silentium, præ futu-
ri euentus formidine. Quum autem Cyro iam tempus
esse videretur, pæanem exorsus est, & exercitus vniuersus
simul insonuit. Deinde Martem alta voce conclamabãt,
& Cyrus erupit, statimque cum equitibus hostes adgres-
sus ex obliquo, quamprimum cum eis manum cõseruit.
Pedites autem seruatis ordinibus suis celeriter subseque-
bantur, & hostibus hinc atque inde circumfundebãtur,
vt multo iam potiori condicione, quam illi, essent. Nam
cum phalange ad cornu inferebantur, quo factum est, vt
celeriter vehemens hostium fuga fieret. Artagerses vt
Cyrum iam rem adgressum animaduertit, & ipse ad si-
nistrum latus immissis camelis hostes inuadit, quemad-
modum Cyrus iusserat. Hos equi magno admodum ex
interuallo non expectabant, sed alij consternati fugie-
177 bant, alij saltu efferebantur, alij super se inuicem irrue-
bant.

Al. Persis.

Cyri aduersus maximas hostiũ copias prælium.

Equi camelos fugiunt.

bant. Nam ſolent equis huiuſmodi a camelis accidere. Artagerſes ſuos ordinatos retinens, perturbatos vrgebat integris ordinibus: & currus, qui ad dextram & læuam erant ſimul immittebat. Multi autem, quum currus fugerēt, ab iis, qui cornu directo ſequebantur, ſunt interempti: multi, quum hos fugerent, a curribus intercipiebantur. Et Abradatas haud amplius cunctatus, ſed altum clamans, Sequimini me amici: equos immittebat in hoſtes, quum quidem eis minime parceret, ſed ita ſtimulo foderet, vt multo ſanguine reſpergerentur. Cum hoc etiam ceteri currum agitatores eruperunt. Hos oppoſiti currus ſtatim fugere, partim receptis, qui ex eis pugnarēt, partim relictis. Abradatas recta per eos in Ægyptiorum phalangem impetū facit, illis cum eo ſimul irruentibus, qui proxime apud ipſum in acie collocati erant. Quum aliunde vero perſpicuum eſt, non eſſe firmiorem phalāgem, quam quæ ex amicis commilitonibus eſt collecta: tum illud hæc phalanx hoc tempore declarauit. Nam & ſodales ipſius, & menſæ participes eiuſdem, hoſtes vna cum ipſo ſunt adgreſſi. Et alij quidem aurigæ, quum viderent Ægyptios agmine denſo impetum ſuſtinere: verſus fugientes currus deflexerunt, & illos inſecuti ſunt. At vero qui erant cum Abradata, quia nuſquam illic vbi proruerant in hoſtem, diuiſi Ægyptij cedere poterāt, omnibus vtrinq; ſuo loco manentibus: equorum impetu ſtantes impellendo euerterunt, cadentes obtriuere: nec ipſos tantummodo, ſed etiam ipſorum arma, & equos, & rotas. Quidquid autem falces corripuiſſent, id totum violento cōcidebatur impetu: ſiue arma eſſent, ſiue corpora. Atque in hoc tumultu, qui exponi dicendo nequit, rotis propter multiplices aceruos ſubſultantibus, accidit, vt curru Abradatas excideret, atque illorum alij, qui cum ipſo in hoſtes impetum fecerant. Et hi quidem heic, officio functi virorum fortium, conciſi vulneribus interierunt. At hos vna ſecuti Perſæ, quum eo loco, quo Abradatas hoſtem cum ſuis inuaſerat, irruiſſent: perturbatos occidebant. Ægyptij, qua parte cladis expertes manſerant, (& erant hi multi numero) recta tendebant aduerſus Perſas. Ibi tum atrox pugna lanceis, iaculis, gladiis committebatur: & Ægyptij ſane tam numero, quam

Persarum & Ægyptiorum pugna.

178 armis superiores erant. Etenim hastæ ipsis erant firmæ ac
longæ quas nunc etiã gestant: & scuta multo, quam vel
loricæ vel crates, magis corpora tegunt, & ad propellen-
dum aliquid adiumenti adferũt, humeris adfixa. Quam-
obrem clupeis confertis procedebant ac propellebant.
Persæ vero sustinere ipsos haud poterant, veluti qui ma-
nibus extremis crates siue parmas tenerent. Itaque pede-
tentim cedebant, quum & ferirent alios ipsi, & feriren-
tur, donec sub machinas se receperunt. Eo quum venis-
sent, vicissim Ægyptij de turribus feriebantur. Et vltimi
omnium neque sagittariis neque iaculatoribus fugien-
di potestatem faciebant: sed strictis gladiis eos & sagittas
& tela emittere cogebant. Erat autem ingens hominum
cædes, ingens armorum telorumque omnis generis stre-
pitus, ingens vociferatio, aliis mutuo sibi adclamanti-
bus, aliis cohortantibus, alii Deos implorantibus. In-
terea Cyrus hostes oppositos sibi persequens, aduenit:
quumq; Persas loco pulsos videret, indoluit: & animad-
uertens, nulla ratione citius hostes reuocari posse, quo
minus progrederentur vlterius, quam si ad eorum terga
circumueheretur: imperat iis quos secum habebat, vt se
sequerentur, & ad ipsorum terga circumuehitur. Heic
irruentes auersos cædunt ac multos perimunt. Quod
quum Ægyptij sentirent, hostes a tergo esse clamabant,
& inter ipsos ictus se vertebant. Tum vero & equites &
pedites promiscue prœliabantur. Et quidam, quum sub-
ter equum Cyri cecidisset, & conculcaretur, gladio ven-
trem equi ferit. Equus autem saucius quum nutaret, Cy-
rum excutit. Tum vero perspicere potuisses, quanti sit æ-
stimandum, principem a subiectis sibi diligi. Nam statim
vniuersi clamorem tollunt, & impetu facto pugnãt: pel-
lunt, pelluntur: feriunt, feriuntur. Vnus autem ex adpa-
ritoribus Cyri quum ex equo desiliisset, Cyrũ in equum
suum sustulit. At Cyrus vbi conscendisset, vndique iam
Ægyptios cædi vidit. Nam Hystaspas cum equitatu Per-
sico iam aderat, itemq; Chrysantas. Verum hos in Ægy-
ptiorum phalangem amplius irruere non siuit, sed vt ex-
trinsecus sagittas ac tela coniicerent, iussit. Posteaquam
autem circumuectus ad machinas peruenit, visum est
179 ei quamdam in turrim adscendere, quo circumspice-
ret, an

Cyri strategema.

ret, an alicubi aliæ quoque hostium copiæ subsisterent, ac prœliarentur. Vt adscendit, campum refertum vidit equis, hominibus, curribus: fugientibus, persequentibus: vincentibus, succumbentibus: hostibus quidem fugientibus, suis autem vincentibus. Ex iis vero, qui vincerentur, nusquam alios amplius conspicere poterat, præter Ægyptios. Hi quum ad inopiam consilij redacti essent, sic armis vndique circumdati, vt ea conspicerentur, subter clupeos consederunt: & faciebant illi quidem nihil amplius, multa vero grauiaque perpetiebantur. Quos Cyrus admiratus, & dolens viros fortes interire, suos omnes pedem referre iussit, qui dimicabant aduersus eos vndique: nec vlli amplius, vt in eos pugnaret, concessit. Misso etiam caduceatore, interrogauit eos, vtrum omnes interire mallent propter eos, a quibus proditi fuissent: an bona cum existimatione conseruari, quod essent viri fortes. At hæc illi responderunt: Quo pacto possimus esse salui cum existimatione bona, quod viri fortes simus? & Cyrus iterum: Quia nos, ait, vos solos conspicimus, qui & subsistant, & dimicare velint. Quid vero deinceps, aiunt Ægyptij, recte agendo seruari possimus? Ad hoc Cyrus: Salui esse poteritis, inquit, nemine, sociorum prodito, traditis armis, & eorum amplexi amicitiam, qui vos conseruare malunt, quum liceat interimere. His illi auditis, rursum interrogant: Si tuam fuerimus amplexi amicitiam, quas ad res vti nobis voles? Beneficia, respondit Cyrus, conferam, & vicissim accipiam. Et Ægyptij rursum: Quæ beneficia narras? inquiunt. Ad ea Cyrus: Stipendium vobis, ait, illo maius dedero, quo nunc mereris: quam quidem diu bellum geretur. Pace vero facta, cuicumque vestrum mecum manere lubuerit, eum & agro, & oppidis, & vxoribus, & seruitiis donabo. Quibus auditis orauerunt Ægyptij, hoc vnum exciperetur, ne aduersus Crœsum sub signis eorum militarent, quod illi soli se ignoscere dicerent. In ceteris & conuentum, & data fides acceptaque fuit. Et qui tunc manserunt Ægyptij, nunc quoq; regis in fide permanēt: deditq; Cyrus eis vrbes in regione superiori, quæ hac etiam tempestate vrbes Ægyptiorū adpellātur: & Larissam

Ægyptij se Cyro adiungũt.

&Cyllenen, propter Cumam, haud procul a mari: quas etiam nunc illorum posteri possident. His rebus confe-
180 ctis Cyrus iam sub ipsas noctis tenebras reuersus, * Thy-
Al. Thymbraris. ribaris castra locauit. In hoc autem prœlio soli ex hostibus Ægyptij gloriam consequuti sunt, & ex iis, qui Cyro militabant, equestres Persarum copiæ visæ sunt esse præstantissimæ: adeo quidem vt illa nunc etiam armatura duret, qua tunc equites a Cyro instructi fuere. Præterea currus illi falcati laudem adeo insignem adepti sunt, vt hoc etiam tempore bellicum illud curruum genus is rex, qui rerum potitur, retineat. Cameli duntaxat equis terrori fuerunt. Nam vt illis insidentes neminem ex equitibus interemerunt, ita nec ipsi ab equitibus occisi sunt: quod nullus ad eos equus propius accessisset. Idque tum quidem visum est esse vtile, sed nemo tamen virorum fortium & egregiorum vel alere camelum vult, vt eo vehatur: vel ad pugnandum ex his, semet exercere. Itaque recepta forma cultuque suo pristino, inter impedimenta iam degunt. Et Cyri quidem milites, vbi cœnassent, & excubias cõstituissent, vti par erat, quieti se dederunt.

Crœsus Sardes fugit. Crœsus autem recta Sardes cum exercitu profugit. Ceteræ nationes, quam remotissime quisque poterat, domum ea nocte discedebant. Quum autem illuxisset, recta Sardes Cyrus duxit: atq; vbi ad Sardium mœnia peruenit, & machinas erexit, quasi facturus in muros impetum, & scalas parauit. Interea dum id faceret, vt in munitiones Sardianorum, qua parte maxime præcipites videbantur, sequenti nocte Chaldæi ac Persæ adscenderẽt, effecit. His ductor erat Persa quidam, qui cuiusdam in arce custodis præsidiarij seruus fuerat, ac descensum ad flumen, & adscensum itidem didicerat. Quum cognitum esset arcem esse occupatam: Lydi omnes a muris diffugiunt, quo quisque poterat. Cyrus cum prima diei luce oppidum ingressus, ne quis ordines desereret, edixit. Crœsus autem seipso intra regiam occluso, Cyrum inclamabat. Cui Cyrus custodibus relictis, ad arcem occupatam contendit: vbi quum Persas arcem, vt oportebat, custodire videret, Chaldæorum vero arma sola conspiceret, quod illi decurrissent, vt ex ædibus prædam facerent: mox, præfectos eorum conuocauit,

Sardes a Cyro capiuntur.

Cyrus Chaldæos prædæ cupidos mulctat.

&ab

& ab exercitu quamprimum vt discederent, iussit. Non enim, ait, tolerare possim, vt qui ordines deserũt, maioribus, quam alij, commodis potiãtur. Adeoque vos certo scire volo, iam in hoc me fuisse, vt vos, qui signa mea sequimini, tales efficerem, quos vniuersi Chaldæi felices prędicarent. Verum iam vobis mirum non videatur, si quis vos hinc discedentes viribus potior adoriatur. Quæ Chaldæi quum audiissent, metu perculsi orabant, vt irasci desineret: aiebantque, se pecunias & opes omnes velle restituere. Cyrus his sibi non opus esse dixit, sed si me vultis, ait, ab indignatione desistere, date illis omnia, quæ cepistis, qui arcis in custodia mansere. Nam si milites ceteri animaduertent eos, qui ordines seruarũt, maiora commoda consequi: præclare se meæ res habebunt. Itaque Chaldæi sic, vti Cyrus edixerat, fecerunt: & qui obœdienter sese gesserant, magnam rerum opumq; variarum copiam consequuti sunt. Cyrus autem, quum castra pro milite suo metatus esset eo vrbis loco, qui maxime opportunus ei videbatur: suos in armis manere, ac prandere iussit. Quibus perfectis, adduci Crœsum ad se pręcepit. Is vbi Cyrum vidit: Salue, inquit, domine. Nam id nomẽ deinceps fortuna tibi tribuit, quo ego te compellem. Salue tu quoque, ait, Crœse, quãdo quidem homines ambo sumus. Verum mi Crœse, velisne mihi consilium dare? Etiam mi Cyre, inquit, aliquid boni tibi reperire velim. Nam idem arbitrarer etiam mihi fructuosum fore. Audi ergo, Crœse: Quia video milites multis laboribus exhaustos, multisq; versatos in periculis, nunc etiam putare, se vrbe totius Asiæ, post Babylonem, opulentissima potitos: ęquum iudico, vt aliquid vtilitatis ad eos perueniat. Nam futurum intelligo, vt nisi quem laborum suorum fructum percipiant, dicto eos audiẽtes diu non sim habiturus. Sed vrbem tamen eis deripiendã concedere, non est animus. Nam & vrbs, mea sententia, prorsus interiret: & in direptione plurimũ vtilitatis caperent, qui maxime sunt improbi. Quæ vbi Crœsus audisset: Me vero dicere sinito Lydis, ait, quibus ego voluero, impetrasse me abs te, ne direptio fiat, neve permittatur, vt liberi & coniuges ex oculis eorum abstrahantur: proque hoc tibi policitum esse, futurũ omnino, vt Lydi

181

Cyrus Crœsum ad se deduci iubet.

lubentes offerant tibi, quidquid Sardibus pulchrum & præclarum ſit. Nã ſi hæc audierint, adlaturos ſcio, quid-
182 quid pulchrę rei vir aut mulier heic habuerit. Itidemque alterum in annum multis ac pulchris rebus iterum vrbs tibi referta erit. Quod ſi eam diripueris, etiam artificia tibi, quæ bonorum fontes eſſe perhibent, perierint. Prę- *Artes bonorū fontes ſunt.* terea licet tibi, poſtquam hæc intuitus ſis, etiam ita pergere, deque direptione adhuc conſultare. Primum autẽ, inquit, ad meos theſauros mittito, atque hos a cuſtodibus meis tui cuſtodes accipiant. Atque hęc omnia ſic fieri cenſuit oportere Cyrus, vti Crœſus dixerat. At iſta mihi, Crœſe, inquit, vtique memorato: quonam euaſerint, quæ Delphico tibi ſunt oraculo prodita. Nam fertur is Apollo admodum abs te cultus, atque omnia ſic agere, vt illi obtemperes. Vellem, inquit, mi Cyre, ſic comparatæ res eſſent. Ego vero Apollinem offendi, dum omnia contraria ſtatim ab initio facerem. Quomodo vero? ait Cyrus, edoce. Nam valde quidem mira refers. Primum, inquit, poſthabita cura interrogandi Deum de iis, quibus mihi eſſet opus, periculum feci, an vera reſpondere poſſet. *Crœſus Apollinem tentat.* At vero non dicam Deus, ſed homines etiam honeſti ac boni, quum fidem non adhiberi ſibi animaduertunt, haud amant diffidentes. Quum autem animaduerterem, me perabſurde agere, ac procul Delphis abeſſem: mitto de liberis interrogatum. Ille mihi primum ne reſpondit quidem. Vbi vero miſſis compluribus donariis, partim aureis, partim argenteis, permultiſq; cæſis hoſtiis, tamdem eum aliquando placaui, vti quidem ipſe arbitrabar: tunc mihi quærenti quid faciundum eſſet, vt liberi mihi naſcerentur. reſpondit, habiturum me liberos. Ac nati quidẽ mihi ſunt (quippe nec in hoc mentitus eſt) ſed nati, nulli vſui fuere. Nam alter eorum mutus manſit, alter præſtantiſſimus in ipſo ætatis flore periit. Quum his liberum calamitatibus premerer, iterum mitto, Deumque interrogo: quid a me fieri oporteret, vt id, quod eſſet vitæ reliquum, exigere quam feliciſſime poſſem. Reſpondit ille mihi:

Oraculū Crœſo datum.

Tranſibis, modo ſi noſcas te Crœſe, beatus.

Hoc oraculo audito, gauiſus ſum. Arbitrabar enim, Deum felicitatem mihi tribuere, qui rem facillimã imperaret

peraret. Nam alios partim cognoſci poſſe, partim non poſſe: quis vero ſit ipſemet, quemlibet hominem ſcire putabam. Omniquè adeo deinceps tempore, quamdiu 183
quietem colui, nihil erat poſt mortem filij, quamobrem caſus fortuitos culparem. Verum poſtea, quam ab Aſſyrio ſum perſuaſus, vt expeditionem aduerſus vos ſuſciperem: omnis generis adij pericula, nec vllo tamen accepto malo conſeruatus ſum. Ac ne de his quidem Apollinem incuſo. Nam vbi me ad pugnandum aduerſus vos idoneum non eſſe animaduerti: tuto, Dei ope, tum ipſe, tum mei mecum, euaſimus. Sed rurſum nunc deliciis opulentiæ præſentis diffluens, & ob eorũ preces, qui me rogabant, vt eis præeſſem: & ob illa munera, quæ mihi donabant: & illorum hominum opera, qui mihi adſentando futurum dicebant, vt omnes mihi parerent, & omnium ego mortalium maximus euaderem, modo imperium accipere vellem: his inquam verbis inflatus, vbi reges omnes vndique belli me præſidem legerunt, accepi munus imperatorium, quaſi eſſem is, qui maximus euadere poſſem: meipſum certe ignorans, qui bello aduerſus te gerendo parem me tibi arbitrarer, primum a Diis orto, deinde a regibus genito, atque etiam a puero ad virtutem exercitato. At ex maioribus meis eum, qui primus regno potitus eſt, audio ſimul & regnum & libertatem eſſe conſequutum. Hæc ergo quum ignorauerim, merito pœnã fero. Nunc autẽ, mi Cyre, quũ meipſum norim, an adhuc veracẽ Apollinem exiſtimas, qui beatũ me fore dixit, ſi meipſum noſſẽ? Ac te quidẽ propterea interrogo, quod optime cõiecturam mihi de hoc facturus in præſentia videris. Potes enim id facere. Tum Cyrus ait: Da vero tu mihi de hoc conſiliũ, Crœſe. Nam equidẽ apud animum repetẽs felicitatem tuam priſtinã, miſericordia tãgor erga te, coniugemq; tibi tuã habere permitto, quã habes: & filias, (audio enim eſſe tibi quaſdã) & amicos, & famulos, & mẽſam, quali hactenus eſtis vſi. Pugnas autẽ & bella tibi adimo. Ergo, ait Crœſus, nihil tu profecto amplius deliberes, quid mihi de mea felicitate reſpondeas. Etenim ipſe iã tibi dico, ſi hæc, quæ nũc ais, feceris: fore, vt quam alij vitam beatiſſimam ducunt, etiã me adſentiente, hãc modo conſequutus agam.

Crœſus aduerſus oraculum diſputat.

Quæ putari felicitas vitæ debeat.

Tum Cyrus subiecit: Et quis beatæ istius vitæ compos est? Vxor mea, mi Cyre, ait. Nam ea mecum bonorum omnium, & vitæ mollis ac delicatæ, & gaudiorum particeps fuit: curarum vero, quo pacto hæc contingerent, &
184 belli, & pugnæ nihil mecũ ei commune fuit. Ac tu quoque me talem efficere velle videris, qualem ego illam, quam omnium hominum maxime diligebam. Quo fit, vt Apollini etiam alia munera debere mihi videar, quibus grati erga ipsum animi significationem edam. His Crœsi verbis auditis Cyrus, in eo tranquillitatem animi est admiratus. Ac deinceps ille, quocunque Cyrus proficisceretur, vna ducebatur: siue adeo propterea, quod eũ sibi vtilem esse crederet, seu quod ita tutius arbitraretur. Ac tum quidem hoc modo quieti se dederũt. Postridie Cyrus amicis & ducibus copiarum conuocatis, alios quidem constituit, qui thesauros acciperẽt: aliis hoc negotij dedit, vt de iis pecuniis, quascunque Crœsus traderet, primum Diis seligerent, quas magi sumendas declararent: deinde reliquas pecunias acceptas in arcis locarent, ac plaustris imponerent, iisdemque plaustris sorte distributis, secum eas portarent, quocumque proficiscerentur: vt opportuno tempore, sua pro meritis cuique tribuerentur. Et hi quidem ista exsequebantur. Cyrus autem quibusdam ex adparitorum numero, qui aderant, arcessitis: Dicite mihi, ait, an aliquis vestrum Abradatam vidit? Miror enim quod ante hac frequenter nos accedere solitus, modo nusquam adpareat. Ei quidã adparitorum respondit: Is vero domine, non viuit, sed in pugna mortuus est: quum in Ægyptios currũ suum immisisset. Ceteri, sodalibus eius exceptis, deflexerunt, vti quidem perhibetur, posteaquam Ægyptiorum agmen conspexissent. Et vxor ipsius iam mortuum sustulisse dicitur, atque impositum in carpentum, quo ipsa vehi solita est, attulisse huc aliquo ad Pactolum fluuium. Aiunt & eunuchos & famulos ipsius quodam in tumulo fodere locum mortuo, quo condatur, & vxorem humi sedere, quæ maritum rebus iis ornarit, quascumque habuerit, eiusque caput impositum genibus teneat. Hæc vbi Cyrus audiuit, femur sane suum percussit, statimque in equum insiliens, sumtis secum equitibus mille, ad illum tristem

Cyrus de Abradatæ morte primũ cognoscit.

tristem casum aduehitur. Gadatæ vero Gobryæque mãdat, vt secum sumerent, quidquid ornamẽti mortuo viro forti & amico conueniret, statimque subsequerentur. Præterea si quis greges, & boues, & equos secum duceret, mandabat: vt alias etiam pecudes eo multas ageret, vbicumque se resciret esse, quo mactari apud Abradatã possent. Vt humi sedentem mulierem vidit, & iacentem 185
mortuum, lacrumas ob casum tristem profudit, ac dixit: *Cyrus Abradatæ mortem deplorat.*
Heu fortem ac fidam animam, itane nobis relictis abiisti? simul dextram mortui prehendit, atque ea subsequuta est: quod ab Ægyptio quodam copide fuisset amputata. Id cernens Cyrus multo maiori dolore adfectus est: mulier ipsa sublato eiulatu, acceptam a Cyro manum osculabatur, & rursus eam, vti quidem poterat, adaptabat, quum diceret: Etiam cetera, Cyre, perinde læsa sunt. Verum quid attinet ea te aspicere? Atque hæc, ait, scio propter me maxime ipsi accidisse, ac fortassis propter te, Cyre, nihilo minus. Etenim stulta ego multis eum cohortata sum, efficeret, vt amicum in aliquo numero habendum tibi se declararet: & ipse, sat scio, non quid sibi accideret, cogitabat: sed quibus facinoribus editis, tibi gratificaretur. Quamobrem ipse quidem extremum vitæ diem expers omnis de se querellæ clausit, ego vero cohortatrix ei viua heic adsideo. Cyrus vbi aliquamdiu cum silentio lacrumas fudisset: Hic vero finem inquit, præclarissimũ sortitus est, mulier. Nam victor diẽ obiit. Tu vero hæc a me accipito, quibus eum ornes: (& Gobryas Gadatasque iam aderant, adlato copioso & elegãte ornatu) deinde scito, inquit, ne quidem alios honores ei defuturos: sed & monumentum illi complures ex dignitate vestra tumulo adgesto conficient, & mactabuntur ei, quæcumque viro forti æquũ est mactari. Tu quoque deserta non eris, sed ego te propter pudicitiam, virtutesque tuas ceteras, cum aliis rebus colam, tum alicui commendabo: qui te, quocumque voles, deportabit. Tantum, ait, indicato, ad quem deportari te cupias. Et Panthea: Securo sis animo, inquit, Cyre. non enim te cęlabo, ad quem peruenire velim. Cyrus hæc loquutus discessit, tum mulieris misertus, quę virum talem amisisset: tum viri, qui relictam vxorem talem non amplius adspi-

ceret. Mulier autem eunuchis secedere iussis, donec istũ ego, inquit, ex animi sententia lamentando defleuero: nutrici dixit, vt secum maneret: eidemque præcepit, vt se mortuam, & virum, vna veste velatos obtegeret. Nutrix multis eam precata suppliciter, ne facinus id perpetraret, quum nihil proficeret, ipsamq; videret indignari, lacrumans adsedit. Tum mulier, quæ acinacem dudum ad hoc paratum haberet, seipsam iugulat: & capite in

Panthea sibi manus adfert.

186 mariti pectus imposito moritur. Nutrix cum eiulatu ambos obtegit, quemadmodum Panthea iusserat. Cyrus autem, vbi mulieris facinus resciuit, exterritus accessit, si quid auxilij ferre posset. Eunuchi, qui tres erant, quũ quid factum esset, viderẽt: & ipsi strictis acinacibus, quo loco stare iussi ab ea fuerant, stantes se iugularunt. Et nunc quoque monumentũ istorum vsque ad eunuchos adgesto tumulo porrigi dicitur. Ac superiore quidem in pila, huius viri, & mulieris huius nomina ferũtur inscripta litteris Syriacis: inferius autem pilas esse tres aiunt, & eis inscriptum, SCEPTRIGERORVM. Cyrus vbi propius ad illum tristem casum accessisset, & admiratus istã mulierem, & lamẽtis prosequutus, discessit: fuitque, ceu par erat, ei curæ, præclara vt illis omnia contingerent. Ingens etiam monumentum, vt perhibent, adgesto tumulo factum fuit. Secundum hęc quum seditionibus inter Cares ortis, bellum inuicem sibi facerent, qui domicilia munitis in locis haberent: vtrique Cyrum implorabant. Is Sardibus quidem ipse manebat, machinasq; fabricabatur, & arietes, vt eorum, qui parere nollent, mœnia solo æquaret: Adusium vero Persam, hominem ceteroqui nec imprudentem, reive militaris rudem, ac valde etiam elegãtis ingenij, cum exercitu in Cariam mittit: perlubenter hac in expeditione tum Cilicibus, tum Cypriis, eius signa sequentibus. Quę caussa fuit, cur nullum satrapam Persicum Cilicibus & Cypriis vnquã miserit, contentus indigenis eorum regibus. Tributum tamen ab istis exigebat, & militiam, quum erat opus, eis imperabat. Adusius autem, qui ducebat exercitum, posteaquam in Cariam peruenit: aderant ab vtraque Carum parte quidã, parati eũ suas intra munitiones, ad cõtrariæ factionis detrimentũ, recipere. Adusius erga vtrosq; facie-

Monumẽtũ Abradatæ, Pantheæ, & Eunuchorum.

Cyrus in Cariam mittit copias.

Adusius in Cariã missus.

faciebat eadem, quum diceret illos, quibuscum loquebatur, æquiora proponere, & occultandam esse rem, quo minus aduersarij amicitiam cum ipsis initam resciscerent, quasi hoc pacto magis imperatos aduersarios adgressurus esset. Præterea fidem vtrimque dari petebat, & Cares quidem sacramẽtum præstare, quod absque fraude, & Cyri Persarumque bono, intra munitiones Persas essent admissuri: se vero iurare velle, quod absque dolo malo, & quidem admittentium commodo, munitiones ingressurus esset. Hæc vbi confecisset, vtrisque noctem clam alteris eamdem pactus est, qua castella cum equitatu est ingressus, & munitiones amborũ accepit. Quũ illuxisset, in medio cum exercitu consedit, & ab vtrisque 187
rebus componendis opportunos adesse iussit. Illi se mutuo intuiti, grauiter rem tulere, qui partem vtramque dolo circumuentam existimarent. Adusius autẽ in hanc sententiam verba fecit: Iusiurandum vobis ego, Cares, præstiti: ingressurum vestra me castella sine dolo malo, & eorum commodo, qui me admitterent. Quamobrem si alterutros vestrum euertere velim, ipse me damno Carum hæc castella ingressum esse statuam. Sin pacem inter vos conciliauero, & vtrisque confecero, vt agrum tuto colere possitis: vestra cum vtilitate vobis adesse me arbitrabor. Oportet igitur ex hoc die vos amice inter vos vna versari, & agros colere sine metu, & inter liberos vestros hinc inde matrimonia contrahi. Quod si contra hæc iniuriam facere conatus aliquis fuerit, iis & Cyrus & nos hostes erimus. Hinc iam & portæ castellorum erant apertæ, & itinera plena congredientium inter se, & agri pleni cultoribus. Vtraque ex parte festos agebant dies, & pacis ac lætitiæ cuncta erant plena. Interea quidam a Cyro veniunt, qui Adusium interrogarent, ecquo exercitu alio, vel machinis egeret. Quibus Adusius respondit, se præsenti exercitu etiam alibi vti posse. Ac simul cum hisce verbis copias abducit, relictis ad arces militibus præsidiariis. Cares autem supplices orabant, vt maneret: quod quum facere nollet, missis ad Cyrum suis rogabant, vt Adusium sibi satrapam mitteret. Cyrus autem Hystaspam interim ablegarat, qui exercitum in Phrygiam Hellesponto finitimam duceret.

Adusius Carum cõtrouersiam componit.

Græci tributarij Cyri fiũt. Posteaquam igitur Adusius venit, sequi Cyrus eum cum exercitu iussit, qua Hystaspes præcesserat, vt Hystaspæ magis parerent, vbi audiissent, alias etiam copias accedere. Græci maris adcolæ, multis muneribus datis, id consecuti sunt: vt intra mœnia barbaros admittere necesse non haberent, sed tributum tamen penderent, & militatum irent, quo Cyrus iussisset. *Phrygiæ rex capitur.* Phrygiæ vero rex se parabat, quasi loca munita tueri, nec imperata facere vellet, itaque se facturum denuntiabat. Sed postquam constituti sub ipsius imperio præfecti, ab eo defecerunt, & solus est relictus: tamdem in manus Hystaspæ venit, caussa Cyri iudicio permissa. Hystaspas relictis in arcibus firmis Persarum præsidiis discessit, ac secum præter suos, Phryges complures tum equites, tum cetratos duxit. Cyrus autem Adusio mandata dederat, vt posteaquã se cum Hystaspa coniũxisset, Phryges eos, qui partes suas amplexi fuissent, armatos adduceret: qui vero bellũ ge-
188 rere contra Cyrum studuissent, illis & equos adimerent, & arma, omnesque cum fundis sequi iuberent. Hæc illi tunc exsequebantur. Cyrus autem Sardibus mouit, & numeroso istic † peditum pręsidio relicto, Crœsum quoque secum retinens, multa multis & variis opibus onusta plaustra secum auexit. (*† al. Persico præsidio*) Accessit autem Crœsus ad Cyrum, ferens accurate descripta, quæcumque singulis in plaustris essent, easque scripturas, Cyro tradens, ait: Hos libellos, mi Cyre, si habeas: scies, quinam recte sit redditurus: quæ vehit, & qui non recte. *Cyrus se sordide auarum nõ esse declarat.* Ad ea Cyrus: Facis tu quidem probe, ait, mi Crœse, qui prouideas. Sed mihi sane has opes vehent, qui digni sunt, vt etiam eas possideant. Quamobrem si quid suffurabuntur, sua furto subtrahent. Quæ quum dixisset, amicis & præfectis libellos istos tradidit: vt scirent, quinam ex iis, quibus essent eæ res creditæ, saluas & integras redderent, qui non redderent. Ducebat etiam secum Lydos, quibus esse curæ cerneret elegantiam armorum, & equorum, & curruum: & quos eniti videret, vt omnia facerent, quibus ipsi gratificaturos se putabãt: & ducebat hos secum armatos: quos autem cerneret quadam cum molestia se comitari, eorũ equos Persis, qui primi cum eo militatum profecti fuerant, tradidit: & arma exussit, ac ipsos fundis instructos sequi

ſequi coegit. Omneſque adeo inermes, qui eius in poteſtatem venerant, ad vſum fundarum exercere ſe coegit: quod hoc armorum genus maxime ſeruile duceret. Eſt enim, vbi funditores, ſi copiis aliis adſint, mirum quantum vtilitatis adferunt: ipſi vero ſeorſum, ne quidem omnes, admodum paucos iis cum armis, quibus comminus pugnatur, congreſſos ſuſtinuerint. Quum autem via Babylonem ducente progrederetur, ſubegit Phrygas illius maioris Phrygię, ſubegit Cappadocas, Arabes in poteſtatem redegit: quorum omnium armis Perſas quidē equites inſtruxit: non pauciores quadragies millibus: multos vero captiuorum equos in ſocios vniuerſos diſtribuit. Babylonem permagno cum equitatu, perquam multis cum ſagittariis, & iaculatoribus venit, cum funditoribus autem innumeris. Quumque iam apud Babylonem eſſet, exercitum omnem circum vrbem cōſtituit: inde cum amicis, & iis, qui e ſociis opportune aderant, vrbem ipſe circumuectus eſt. Poſtquam muros contemplatus eſſet, ab vrbe copias abducere parabat: quū transfuga quidā ex vrbe egreſſus, ait Babylonios ipſum adoriri velle, quando copias abducturus eſſet. Nam de muro phalangem hanc deſpectantibus, inquit, viſa eſt imbecilla eſſe: quod quidem ita ſe habuiſſe, mirum non erat. Quia enim murum amplum circumdarent, neceſſe erat phalangem ad exiguam denſitatem redigi. Quæ Cyrus quum audiiſſet, ſtans in medio exercitus ſui cū iis, quos circum ſe habebat, præcepit, vt grauis armaturæ milites ab vtraque extremitate phalangem explicantes abirent propter eam partem exercitus, quæ ſubſiſteret: donec vtraque extremitas ad ſe, atque ad medium perueniret. Id quum facerent, tum iis, qui ſubſiſtebant, fiducia quædam accedebat, quod duplicata iam eſſet aciei denſitas: tum illis quoque confidentia ſimiliter augebatur, qui abſcedebant. Mox enim illi, qui ſubſiſtebant, prope ab hoſtibus aberant. Quum autem progrediendo extremitates vtrimque coniunxiſſent, conſtitere iam facti firmiores, tum qui abſceſſerant, propter anteriores: tū anteriores, propter eos, qui a tergo acceſſerant. Hoc modo explicata phalange, neceſſe eſt primos & vltimos fortiſſimos eſſe: ignauiſſimos in medio collocari: quæ quidē

Cyrus multas regiones imperio ſuo ſubijcit.

Babylonē rurſus adit.

189

Cyri ſtrategema.

acies & ad dimicandum, & ad prohibendam fugam instructa commode videbatur. Præterea equites, & armatura leuis, a cornibus semper eo propius ad imperatorẽ accedebant, quo phalanx duplicata dẽsior efficiebatur. Hoc modo per cohortes conglobati, pedetentim inde recedebant, quo tela de muro pertinebant. Quum extra telorum ictus essent, conuerterunt sese: ac primum quidem modicos passus progressi, statum mutabãt clypeũ versus, atque ita consistebant, vt murum intuerentur. Quanto autem longius abscederent, tanto rarius fiebat mutatio. Posteaquam in tuto sibi esse videbantur, conferti recedebant, donec ad tabernacula peruenirent.

Cyrus obsidẽdæ Babylonis rationem ostendit.

Vbi iam in castris essent, Cyrus iis, quos oporteret, conuocatis, dixit: Vrbem, socij vndique contemplati sumus: atq; equidem, quo pacto quis adeo firmos & excelsos muros oppugnando capere possit, videre mihi nõ videor. Quãto autem plures homines in vrbe sunt, quando ad pugnandum non exeunt, tanto citius fieri arbitror, vt fame in potestatem redigantur. Nisi igitur aliquem alium
190 modum habetis, quem nobis ostendatis, hoc ipso nobis istos expugnandos esse aio.

Altera Chrysantæ ratio, quæ reijcitur.

Et Chrysantas inquit: Hiccine fluuius per vrbem mediã labitur, cuius latitudo stadia duo superat? Ita profecto ait Gobryas, ac tanta quoque profunditas eius est, vt ne duo quidem viri, alter alteri insistentes, supra aquam exstare possint. Quo fit, vt fluuio sit vrbs etiam munitior, quam mœnibus. Et Cyrus: Missa faciamus hæc, ait, mi Chrysanta, quæ viribus nostris potiora sunt. Adhibita vero mensura quamprimum fossa latissima profundissimaque vobis erit agenda, pro parte cuique sua, quo paucissimis custodibus vobis sit opus. Sic igitur vndique circa murum spatia dimensus relicto a flumine interuallo, quantum sufficeret magnis propugnaculis, ingentem fossam circum murũ vndiq; egit, terra versus seipsos adgesta. Ac primũ quidẽ turres ꝓpter flumẽ exstruebat, palmis fundatas, quarũ non minor erat, quam † iugeri longitudo. Nã hac maiorẽ etiã in longitudinẽ excrescũt. Palmæ vero qũ aliquo põdere premũtur, sursum velut in gibbũ quẽdã incuruãtur, quemadmodũ & asini clitellarij. Has autẽ palmas operi propterea subiiciebat, vt quammaxime videretur id fa-

† Hoc est, centum pedum.

id facere, quod solent, qui ad vrbem obsidendam sese cõparant: vt tametsi flumen in fossam dilaberetur, ipsas turres nõ euerteret. Etiam multas alias turres supra terram egestam excitabat, vt quamplurima essent excubiarum loca. Et has quidem illi res agebant. Qui autem in muro stabant, obsidionẽ hanc irridebant: quod eis commeatus esset copiosior, quam in annos viginti. Quę Cyrus quum audiisset, in partes duodecim exercitum diuisit, vt pars quælibet vnum anni mensem in excubiis esset. Quibus iterum auditis, multo etiam Babylonij magis irridebãt, qui cogitarent secum, Phryges ac *Lycios, & Arabes, & Cappadoces futuros contra se in excubiis: quos omnes arbitrabantur animis erga se magis esse beneuolis, quam erga Persas. Ac fossæ quidem iam actæ erant. Cyrus vero quum audiisset, celebrari Babylone festum quemdam eiusmodi diem, quo Babylonij omnes nocte tota potarent & comesarentur: quamprimum eo die tenebræ accessissent, magna mortalium multitudine adhibita, fossarum ostia versus amnem aperuit. Hoc quum factum esset, aqua noctu in fossas manabat, & alueus fluuij per vrbem tendens, hominibus permeabilis esse cœpit. Id vbi de flumine hoc modo ei successisset, Persicis Cyrus & peditum & equitum tribunis imperat, 191
apud se adessent, & mille suos in binos explicatos singuli ducerẽt: reliqui socij hos a tergo subsequerẽtur, instructi quemadmodũ prius. Et hi quidẽ aderant, quũ Cyrus in fluminis partem siccã suis adparitoribus, tam peditibus, quam equitibus immissis, explorare iussit, an vadũ fluminis permeari posset. Posteaquã illi posse permeari renuntiarunt, tum vero peditum equitumq; ducib. conuocatis, huiusmodi verbis ad eos est vsus: "Flumẽ hoc nobis amici, viam in vrbẽ concessit. Itaq; præsentibus animis ingrediamur in vrbẽ, nihilq; metuamus: sed cogitemus hos, quos adgressuri nunc sumus, eosdẽ esse: quos & a sociis instructos, & omnes vigilãtes, & sobrios, & armatos, & in acie dispositos vicimus. Iã vero aduersus eos tẽdimus, quo tẽpore multi eorũ dormiũt, multi sũt ebrij, vniuersi nullos in ordines dispositi. Posteaquã autẽ senserint, etiã nos intus esse: multo magis, quã nũc vsui nulli futuri sunt, q̃a examinati erũt. At si hoc in mentẽ alicui

*Al. Lydos.

,, venit, quod fertur esse formidabile vrbem intrantibus,
,, ne tectis illi conscensis hinc inde tela in nos coniiciant:
,, id ipsum maxime vobis animos addat. Nam si qui con-
,, scendent ædes, opitulator nobis est Deus, Vulcanus. Et
,, sunt eorũ vestibula crematu facilia. Nam ianuæ palma-
,, rum e materia fabricatæ sunt & bitumine sunt inũctæ,
,, quod ignem facile concipit. Nobis autem & faces pluri-
,, mæ sunt, quæ ingens incendium cito parient: & copia pi-
,, cis ac stuppæ, quæ cito magnam flammam eliciunt. Quo
,, fiet, vt vel celeriter necesse sit hos ab ædibus aufugere,
,, vel celeriter exuri. Verum agite, arma capite: Diis equi-
,, dem iuuantibus præibo. Vos autem Gadata & Gobrya,
,, demonstrate nobis itinera, quum vobis ea cognita sint:
,, & vbi iam intus erimus, quamprimum ad regiam ducite.
,, Atqui aiebant illi, qui erant cum Gobrya, non mirum
,, fuerit, si ne portæ quidem ipsius regiæ claussæ sint. Vrbs
,, enim tota videtur hac nocte comesationi esse intenta.
,, Sed in excubias tamẽ ante regiæ portas incidemus, quod
,, eæ semper istic collocentur. Non negligenda res est, ait
,, Cyrus, sed eundum, vt quãmaxime imparatos offenda-
,, mus. Quæ quum essent dicta, pergebant. Si qui eis obui-
192 am venirent, partim cæsi peribant, partim retro vicissim
fugiebant, partim clamorem edebant. Cum his & Go-
bryani clamores edebant eosdem, velut ipsi quoque co-
mesationum socij. Simul pergentes, qua celerrime pro-
gredi poterant, ad regiam perueniunt. Et hi quidem Go-
briæ Gadatæque adiũcti, portas regiæ clausas inueniunt:
qui vero aduersus regiæ custodes ire iussi fuerant, irruũt
in eos ad ignem luculentum potantes, statimque hostili
cum eis more agũt. Orto autẽ clamore ac strepitu, quũ ij,
qui erãt intus, tumultũ sentirent, & inspici rex iuberet,
quid illud esset rei: apertis aliqui portis foras procurrũt.
Eas quum patefactas Gadatæi conspicerẽt, irruũt: & il-
los rursus fugiẽtes intro sequuti, ac ferientes, ad regem
accedũt: eumq; iam erectũ cum acinace, quem strictũ
tenebat, inueniunt. Hunc Gadatæi & Gobryani numero
plures opprimunt, interfectis etiam iis, qui regi aderant,
ac partim aliquid obiiciebant, partim fugiebant, partim
se quacumque re poterant, tuebantur. Cyrus autem co-
hortes equitum per vias passim dimittebat, edicens, vt si
quos

Babylonem Cyrus in comesatione capit quod cum Danielis historia conuenit.

quos extradomos inuenirent, occiderent: at illis, qui adhuc in ædibus essent, per Syriacæ linguæ peritos denuntiari præconio iussit, vt intus manerent. Quod si quis foris deprehenderetur, eum morte multãdum. Et hi quidem hæc exsequebantur. Gadatas autem & Gobryas quum accessissent, Deos primum venerati sunt, quod de impio rege pœnas sumsissent: deinde manus & pedes Cyri deosculabantur, quum præ gaudio simul & lacrumas copiose profunderent, & læticiæ signa darent. Posteaquam illuxisset, ac sensissent illi, qui arces tenebant, tum vrbem esse captam, tum regem occisum: arces etiam tradunt. Cyrus eas statim occupat, & præsidiorum magistros cum præsidiariis in illas immittit. Mortuos sepeliendi potestatem propinquis facit, & præcones proclamare iubet, vt omnes Babylonij arma deferrẽt. In quacumque vero domo arma deprehenderentur, in ea denunciabant omnibus esse moriendum. Et illi quidem arma deportabant, quæ Cyrus in arces imposuit: vt in promtu essent, si quando eis esset vtendum. Quæ vbi peracta fuerunt, primum arcessitis Magis, quia bello capta vrbs esset, iussit: vt diis primitiæ manubiarum, & fana seligerentur. Postea tum alias domos, tum principũ 193
ædificia diuidebat in eos: quos illorũ, quæ gesta fuerãt, socios existimabat. Atque hoc modo tribuit, vti dudum fuerat decretum, optima quæq; præstantissimis. Quod si putaret aliquis sibi minus obtigisse, mandabat, vt accedẽs id ipsum doceret. Edixit etiã, Babyloniis agros esse colendos, & tributum pendẽdum, & iis obsequia præstanda, quibus singuli traditi essent. Persas vero & Persarum participes, & quotquot ex sociis apud eum remanere vellent, iussit tamquam dominos cum iis, quos sibi traditos accepissent, loqui. Secundum hæc ita iam se parare cupiebat Cyrus, quemadmodum decere regem existimaret: idq; de amicorum sententia faciundum statuit, vt quãminima cum inuidia & rarius cõspiceretur, & augustiori specie. Quapropter id in hunc modũ machinatus est. Prima luce stabat in loco, quo putabat esse commodum, & admittebat quemlibet aliquid dicere volentem: ac posteaquam respõdisset, dimittebat. Quum autem intellexissent homines, aditũ sibi ad Cyrum patere:

Cyrus maiestatem regiã quo pacto sit consequutus.

nimia quāta multitudo ad eū confluxit. Iamq; adeo cō-
ueniēdi eius cauſa ſemet impellentiū molitiones & rixę
multiplices erant. Adparitores quidē ipſius adhibito di-
ſcrimine, prout poterant, accedendi poteſtatē faciebāt.
Quod ſi aliquādo quiſpiā ex amicis, impellendo diſiecta
hominū turba, præ aliis cōſpectus eſſet: tū vero manum
protēdebat Cyrus, & iſtos adtrahebat, atq; his verbis v-
tebat: Exſpectate, amici, donec turbā hāc dimoueamus:
ac deinde per otium congrediemur. Quamobrē oppe-
riebantur amici, & turba maior adfluebat: donec oppri-
meret eum veſpera prius, quam per otium cōgredi cum
amicis & colloqui poſſet. Itaq; dicebat Cyrus: Modo qui-
dē amici, tempus eſt diſcedendi. Cras mane adeſte. Nam
eſt, quod vobiſcum colloquar. His auditis, libenter ami-
ci diſcedebant etiam curſitantes, rerum omnium neceſ-
ſariarum neglectione multati. Ac tum quidem ita quie-
ti ſe dedere. Poſtridie Cyrus eodē aderat loco, quem iam
multo maior hominum adire volentium turba circum-
ſtabat, qui multo prius etiā, quam illi amici, aduenerāt.
Cyrus igitur Perſis haſtas geſtātibus ambitu magno cir-
cum ſe collocatis, neminem admitti iuſſit, pręter amicos
& Perſarum ſociorumq; principes. Illi vero quum cōue-
„ niſſent, hanc Cyrus orationem habuit: Nihil eſt, amici
„ ac ſocij, quod de Diis queramur, quaſi non perfecerimus
194 hactenus omnia, quæcumque liceret optare. Sed enim ſi
„ huiuſmodi quiddā eſt, res magnas gerere, vt neq; poſſis
„ ipſi tibi vacare, neq; cum amicis hilariter viuere: beatam
„ ſane vitam hanc equidem valere iubeo. Nam & heri ani-
„ maduertiſtis, a prima nos aurora cœpiſſe audire acce-
„ dentes, neq; deſiiſſe ante veſperam: & nunc videtis hos,
„ atq; alios multo plures iis, qui heri aderant, præſto eſſe,
„ vt nobis negotia faceſſant. Itaq; ſi quis iſtis ſe ſummitte-
„ re velit, futurum equidē cogito, vt exigua parte vos mei
„ copiam habeatis, & ego veſtri. Mei quidem ipſius mihi,
„ ſat ſcio, ne tātilla quidē erit copia. Præterea rem, inquit,
„ aliam quoque ridiculam animaduerto. Nam equidem
„ ita ſum erga vos adfectus, vt par eſt: at eorum, qui heic
„ circumſtant, vel vnum aliquem, vel neminem noui: & hi
„ tamē omnes ita parati ſunt, vt ſi vos impellendo vincāt,
„ priores etiam vobis a me quę voluerint, impetraturi ſint.
Ego

Ego vero ęquũ arbitrarer hos, si quis a me petere aliquid vellet, amicos meos vos demereri, atq; orare, vt eos adduceritis. Fortasse dixerit quispiam, cur ita non ab initio me comparauerim, sed omnibus in medio me potius exhibuerim? Nimirũ intelligebam, res bellicas eiusmodi esse, vt imperatorem nõ oporteat esse postremum, vel intelligendis iis, quæ necesse est: vel gerẽdis quæ vsus postulat. Et imperatores si raro conspicerentur, existimabã prætermittere multa, quæ fieri debuerant. Nunc posteaquam bello maximi laboris confecto quiescimus, etiam meus animus æquum censet, vt requiete aliqua potiatur. Quare quum ipse ambigam, quid faciundum mihi sit, vt & res nostræ, & aliorũ, quos curæ nobis esse oportet, recte se habeant: consulat aliquis in medium, quid maxime conducturum perspiciat. Hæc Cyri verba fuerunt. Post eum surgens Artabazus, qui se aliquando cognatum Cyri dixerat: Profecto, ait, recte factum abs te Cyre, qui hac de re dicere cœperis. Nam equidem, te admodum iuuene, cœpi amicitiam tuam expetere: sed quũ te mei nõ egere viderem, adire te sum veritus. Postquam vero me forte rogasses, vt quæ Cyaxares mandarat, studiose Medis exponerem: mecũ ipse cogitabam, si promto te iuuissem in illis animo, futurum me tibi familiarẽ, & habiturum copiam colloquendi tecum, quamdiu vellem. Et sunt illa certe sic effecta, vt etiam tu me prædicares. Deinde primi amplexi sunt amicitiam nostram Hyrcanij, quum magna sociorum apud nos esset penuria. Itaque tantum non eos in gremio præ caritate gestaba- 195
mus. Postea quum hostium castra capta essent, otium tibi non esse putabam, vt mihi operam dares, atq; ipse tibi ignoscebam. Hinc Gobryas nobis amicus accessit, quod mihi voluptati erat, itidẽq; Gadatas: vnde factum, vt esset difficile, tui habere copiam. Quum autẽ Sacæ & Cadusij societatẽ nobiscum coiuissent, nimirũ par erat hos colere, qui & ipsi te colerent. Posteaquam eo reuersi sumus, vnde profectionis initiũ factũ erat: quia te videbã occupatũ instruendis equis, currib. machinis: existimabã te, vbi hac cura liberatus esses, otiũ habiturũ, vt mihi quoq; operam dares. Sed vbi nuntius ille terribilis venit, homines vniuersos contra nos colligi: maxima esse illa

intelligebam, quæ si prospere cederēt, certo me iam scire
putabam, fore magnam inter nos ambos consuetudinis
mutuæ copiam. Nunc tamdem & ingenti prœlio victo-
riam adepti sumus, & Sardes cum ipso Crœso nobis sub-
iectas tenemus, & Babylonem cepimus, & omnia no-
stram in potestatem redegimus: nec heri tamen, ita me
†Mithres amet, accedere te potuissem, nisi cum multis
luctatus fuissem. Verum vbi te me prehendisti dextra, &
apud te manere iussisti: tum scilicet in oculis omnium
eram, qui sine cibo ac potu totū apud te diem consume-
re cogerer. Nunc igitur, si quo fieri modo potest, vt qui
plurimum tibi commodauerimus, plurimum etiam te
fruamur, bene est: sin autem, rursus ego nuntiabo verbis
tuis, vt omnes a te discedant, exceptis nobis, qui amici
ab initio tui fuimus. Ibi tum & Cyrus, & complures alij
risere. Chrysantas autem Persa surgēs, hoc modo loquu-
tus est: Antehac Cyre, cōsentanea quadam ratione te in
oculis omnium exhibebas, quū illis de caussis, quas ex-
posuisti: tum quod nos ij nō eramus, quos tu colere ma-
xime deberes. Quippe nos etiam nostra caussa tunc ade-
ramus. At erat necesse tibi, quouis vt pacto multitudinē
tibi conciliares: vt quam lubētissime nobiscum eosdem
suscipere labores, & eadem adire pericula vellet. Nunc
quum non modo talis sis, sed etiam conciliare possis a-
lios, quos opportunum fuerit: ęquum est, vt tibi quoque
iam domus contingat. Quippe quem alioquin ex impe-
rio fructum perciperes, si careres solus foco domestico,
quo nullus neque sanctior fundus est inter homines, ne-
que gratior, neque magis noster & peculiaris? Præterea
non adfici nos etiam pudore putas, si te videamus foris
toleranter viuere: nos in ædibus degere, ac videri condi-
cione, quā tua sit, esse potiori? Hæc vbi Chrysantas pro-
tulisset, eadem & ab aliis adprobantibus fuere dicta. Tū
196 deinde Cyrus regiam ingreditur, & qui pecunias Sardi-
bus aduexerant, heic eas tradebant. Quum ingressus es-
set, primum Vestæ rem sacram fecit, deinde Ioui regi, &
si cui alteri Deo Magi sacrificandum suis e ritibus indi-
carent. Quibus peractis, iam alia quoque cœpit admini-
strare. Quumque in mentem ei veniret, quid in se ne-
gotij suscepisset, qui multis mortalibus imperare nite-
retur,

Hoc nomine Solem Persæ appellant.

retur, & habere domiciliũ in vrbe inter illustres amplissima institueret, quæ sic adfecta in eum esset, vt vrbs alicui maxime infesta: quum hæc inquam expéderet, corporis sibi custodia opus esse existimauit. Quod item sciret, homines opprimi facilius non posse, quam inter vescendum, bibendum, lauandum, in cubili & somno: circumspiciebat, quosnam in his sibi maxime fidos habere posset. Arbitrabatur autem, non posse fidum hominem vmquam esse, qui magis amaret alium, quam illum, qui eius custodia indigeret. Quamobrẽ alios, quibus essent liberi, vel coniuges genio congruentes, vel amores alij, naturæ quadam coactione iudicabat ad eos maxime diligendos impelli. At eunuchos omnibus his carere cernens, maximi facturos putabat illos, a quibus locupletari plurimum possent, & opem habere, si iniuriis adficerentur, atque etiam honoribus ornari. A quo autem beneficiis in hos conferendis ipse superari posset, neminem fore censebat. Præterea quum ignobiles & pretij nullius sint apud homines cæteros eunuchi, hãc ipsam ob caussam domino indigent, qui suppetias eis ferat. Quippe nemo nõ potior esse velit in omnibus eunucho, si nõ obstet aliquid, cui vires sint maiores. Iam qui domino fidelis est, eum nihil impedit, quo minus locum principem teneat, licet eunuchus sit. Quod autem maxime quis existimet, eunuchos imbelles effici: ne id quidem Cyro videbatur. Et heic ei argumento erant animalia quoque cætera. Nimirum feroces & insolentes equi si castrẽtur, desinunt illi quidem mordere, ac insolentes esse, sed nihilominus ad res bellicas idonei sunt: & tauri si castrentur, nonnihil de ferocia & contumacia remittunt, sed robore suo tamen, & viribus ad laborandum, haud destituuntur: eodemque modo canes castrati non amplius dominos illi quidem deserunt, sed ad custodiam & venationem nihilo redduntur deteriores. Sic & homines magis sedati fiunt, vbi hæc cupiditas eis est ademta: neq; tamen vel negligentiores sunt in exsequendis iis, quæ imperantur vel minus ad equitandum, vel iaculandum idonei, vel minus honoris & gloriæ cupidi. Immo tum in bellis, tum in venando manifeste declarant, in animis ipsorum quoddam * contentionis studium superesse.

Cyrus corporis custodes accipit.

Cur eunuchos ad hoc mun⁹ delegerit.

** Si leges τὸ φιλόνικον, sententia erit hæc: Inesse animis eorũ studium vincẽdi alios. recte.*

197 Documenta vero fidelitatis in dominorum interitu maxima dedere. Nulli enim alij magis spectatæ fidei facinora designarunt in dominorũ suorũ calamitatibus, quam eunuchi. Quod si maxime nonnihil de viribus corporis existimetur in eis decedere, ferrũ tamen in bello valentibus imbelles exæquat. Hæc igitur quum animaduerteret, facto ab ianitoribus initio, illos omnes, quibus corporis sui curam cõmittebat, ex eunuchis delegit. Quod, etiam existimaret, non sufficere custodiam hac aduersus eorum multitudinẽ, qui hostiliter adfecti essent: circumspiciebat, quos e ceteris maxime fidos regiæ custodes sumeret. Quod ergo sciret Persas domi relictos, pessime ꝓpter inopiã victitare, laboresq; tota vita sustinere grauissimos, tum ob agri Persici asperitatẽ, tum quod opus ipsi faciant: hos potissimum istam viuendi apud se rationẽ amplexuros arbitratus est. Itaq; decies mille satellites hastatos ex his sibi legit, qui & noctu & interdiu in excubiis vndiq; circum regiam essent, quandocumq; intus ipse quiesceret: sin aliquo prodiret, hinc & illinc instructi circum ipsum incederent. Quia vero existimabat etiam totam Babylonẽ præsidiarios requirere, qui custodiendæ sufficerent, siue adeo ad vrbem esset ipse, seu abesset peregre: idoneum Babyloni quoque præsidium imposuit, cui stipendium a Babyloniis numerari iussit: quod eos quam maxime inopes esse vellet, vt abiectissimi fierent, ac in officio contineri facillime possent. Atque hæc, quæ tunc & circum ipsum, & Babylone collocata fuit custodia, nunc etiam in eodem statu manet. Præterea quum consideraret, quo pacto vniuersum imperium conseruari, atque etiam aliqua principatus alterius accessione augeri posset: existimabat hosce stipendiarios non tam meliores esse reliquis subditis, quam numero inferiores: ideoque viros fortes secum retinendos iudicabat, qui Diis iuuantibus, sibi potentiam istam conciliassent: & curandum, vt virtutis exercitationem * perficerẽt. Ne vero videretur hoc eis imperare, sed vt ipsi censerent, hæc esse optima, & in eis perseuerarent, ac virtutem studiose colerent: tum Persicos æquales cõuocauit, tum ceteros omnes, quos opportunũ esset, quiq; viderẽtur inprimis idonei, vt tam in laborũ, quam cõmodorum socie-

Cyrus Persas sibi satellites legit.

Cyrus Persas etiam reliquos secum retinere cupit.

Rectius non intermitterent.

ſocietatem admitterentur. Vbi cōueniſſent, orationem huiuſmodi habuit: Maximam Diis gratiam habemus, amici & ſocij, quod ea nobis apiſci conceſſerint, quibus arbitrabamur nos eſſe dignos. Eſt enim iam noſtra in poteſtate ſolum amplum ac fertile, nec deſunt, qui hoc 198
colendo nos alent. Sunt etiam nobis ædes, & eæ quidem inſtructæ. Nec eſt, cur quiſquam veſtrum hæc poſſidens, aliena ſe poſſidere exiſtimet. Eſt enim æterna lex inter omnes homines, capta eorum vrbe, qui bellum aliis faciunt, tam corpora illorum, qui ſunt in vrbe, quam fortunas iis vindicari, qui vrbem capiunt. Quamobrem iniuſte non poſſidebitis, quæ tenetis: ſed ſi quid hoſtes retinere permiſeritis, id ablatum non eſſe, clementiæ veſtræ acceptū referri debet. Quod adtinet illa, quæ agenda deinceps erunt, hæc mea ſententia eſt. Si deflectamus ad inertiæ deſidiam, & ad vitam ignauorum hominum voluptariam, qui laborem pro re miſerrima, vitam laboris expertem pro voluptaria ducunt: cito nos equidem nobis ipſis aio parum vtiles futuros, adeoque bona hæc vniuerſa cito amiſſuros. Non enim viros fortes fuiſſe ſufficit ad hoc, vt fortes permaneant, niſi quis perpetuo diligentiam, vt talis ſit, adhibeat: ſed vt artes etiam aliæ per neglectionem minoris æſtimantur, & vt ipſa corpora bene adfecta, per deſidiæ remiſſionem male ſe rurſum habere incipiunt: ſic & temperantia, & continentia, & fortitudo, quum quis exercitationem horum remittit, exinde rurſus ad improbitatem deflectunt. Non igitur per inertiam ceſſandum nobis, nec in id, quod in præſentia ſuaue eſt, proruendū. Quippe magnū equidem aliquid eſſe arbitror, imperiū parare: ſed multo maius id, quod ſis adeptus, cōſeruare. Nam adipiſci ſæpius etiā illi contigit, qui audaciā duntaxat adhiberet: ſed retinere, quod adeptus ſis, id vero non iam ſine tēperantia, nec ſine continentia, nec ſine multo ſtudio fieri ſolet. Quæ quū intelligamus, multo iam magis virtutē exercere debemus, quam antea, bonis hiſce nec dum partis; atq; etiam ſcire nos oportet, tum plurimos & inuidere, & inſidiari, & hoſtes fieri, quū plurima quis poſſidet: præſertim ſi ab inuitis & opes, & obſequiū, quod nobis vſu venit, habeat. Deos quidem certe nobiſcum futuros, exiſtimādum eſt.

,, Non enim insidiis vsi, hæc iniuste possidemus: sed insidiis
,, petiti pœnas sumsimus. Quod vero secundum hoc op-
,, timum est, a nobis ipsis parari debet. Est autem illud, vt
,, subditis ipsi meliores, imperio nos dignos æstimemus.
,, Caloris sane, & frigoris, & ciborũ, & potus, & laborum,
,, & somni partem seruis etiam concedi necesse est: sed ita
199 tamen hæc cum ipsis communia nobis esse debent, vt
,, declarare nos in his primum præstantiores eis conemur.
,, Militaris vero scientiæ atque exercitationis omnino ni-
,, hil cum iis communicandum est, quos adquirere volu-
,, mus, vt nobis & laboribus operisq; suis inseruiant, & tri-
,, butum pendant: sed his exercitiis nos superiores istis es-
,, se debemus, atque adeo scire, Deos ipsos hominibus hæc
,, instrumenta libertatis & felicitatis exhibuisse. Et quem-
,, admodũ arma istis ademimus, ita nos ipsos numquam
,, ab armis destitui oportet: idq; pro certo habere persua-
,, sum, illis omnia, quæcumque velint, maxime sua & pro-
,, pria esse, qui quamproxime ab armis absint. Quod si
,, quis huiusmodi quædam cogitat: Quid ergo conducit
,, nobis quod ea, quæ cupiebamus, perfecerimus: si qui-
,, dem adhuc necesse erit famem, sitim, curas, labores tole-
,, rare? Nimirum hoc cognosci oportet, tanto plus adfer-
,, re læticiæ bona, quanto maiori labore præcedente ad ea
,, perueniatur. Labores enim fortibus viris obsonij loco
,, sunt. At absque eo, vt aliquis indigeat eius quod conse-
,, quitur: nihil tã sumtuose parari possit, vt suaue sit. Quod
,, si ea, quæ maxime homines expetunt, diuinitus nobis
,, parata sunt: vt autem illa quam suauissima videantur, ip-
,, se sibi quisque parat: sane vir talis in hoc meliori erit con-
,, ditione, quam alij victus indigentes, quod esuriens sua-
,, uissimis cibis vescetur, & sitiens fruetur suauissimo potu,
,, & requietis egens suauissime quiescet. Quapropter equi-
,, dem, censeo, debere iam nos contentis viribus bonorum
,, virorum officio fungi: vt bonis quamoptime suauissime-
,, que fruamur, & quod omnium est grauissimum, non ex-
,, periamur. Nec enim adeo graue ac molestum est, bona
,, non apisci: quam acerbum, quæ sis adeptus, amittere.
,, Quin hoc etiam consideretis, quam prætexere caussam
,, velimus, cur nunc potius vitam ignauiorem sectemur,
,, quam antehac. An propterea, quod cum imperio sumus?

At vero

At vero non conuenit eum, qui cum potestate sit, subiectis sibi peiorem esse. An quod esse iam feliciores videamur, quam prius? idcircone fortunæ prosperæ dicet aliquis indulgendam esse ignauiam? An quia seruos adepti nunc habemus, in eos animaduertemus, si fuerint improbi? At quo pacto conuenit eum, qui sit ipsemet improbus, alios improbitatis aut dissolutionis caussa plectere? Præterea cogitetis velim instituisse nos multos alere, tam ædium nostrarũ, quam corporũ custodes. At quomodo turpe non fuerit, nos alios salutis nostræ 200
satellites parãdos nobis existimare, ipsos autem nos minime nobis satellites esse? Atqui certo sciendum est, non esse vllum aliud tale præsidium vel custodiam, qualis est ista, si virtute quis præstet. Hoc enim vna comitari necesse est. Ei vero, qui virtute destituitur, nec aliud quidquã recte succedere conuenit. Quid igitur esse faciundum aio? & vbi virtutem exercendam? vbi studium & operam adhibendam? Nihil noui proferam, sed sicut illi æquales dignitate in Persia degunt, ac versantur ad curias: sic aio vobis æqualibus vniuersis, quotquot heic adestis, iisdem studiis operam dandam, quibus illic occupati fuimus: ac vos quidem me præsentes intueri debetis, & animaduertere, num in iis curandis adsiduus sim, quæ curari a me necesse est: ego vicissim animum aduertens vos contemplabor, & quos quidem videro præclaris & honestis rebus operã dare, honoribus & præmiis ornabo. Quinetiam liberos, qui nobis nascentur, liberaliter heic instituamus. Nam & ipsi meliores erimus, si liberis nostris nos ipsos tamquam exempla longe optima exhibere volemus: & liberi nostri, etiam si velint, non facile improbi euadent: quando nihil, quod turpe sit, vel conspecturi, vel audituri sunt, sed in virtutis & honesti studio dies totos consument.

XENOPHONTIS HISTORIARVM DE INSTITVTIONE CYRI, LIB. VIII.

Argvmentvm.

1. Chrysantæ oratio, in qua de boni principis officio verba fiunt: Cyri laudes prædicantur: obedientiæ commoda recensentur, & milites ad Cyro alacriter parendũ impelluntur. 2. Cyrus imperiũ quomodo stabilire voluerit. 3 Legatorũ munus, cur principib. sit maxime necessariũ. 4. Quo pacto Cyrus suos assuefecerit, vt ipsi frequenter adessent. 5. Regis ad exemplum totus cõponitur orbis. 6. Cyrus quorum seruorum ministeriis vteretur, quid illis permitteret, quid etiam interdiceret. 7. Cyri liberalitas. 8. Quibus rationibus & seruorum, & ingenuorum hominum animos, ac beneuolentiã Cyrus sibi conciliaret. 9. Cyrus post suam mortem cur a populis eius imperio subiectis Pater sit appellatus. 10. Regis apud Persas oculi, & aures, quinam essent, & cur ita vocarentur. 11. Boni pastoris, boniq; regis comparatio, qua Cyrus vtebatur, vt vtriusq; munus ac officium indicaret. 12. Cyrus Crœso suas opes demonstrat. 13. Quomodo his vteretur, ostendit, suamq; αὐτάρκειαν, declarat. 14. Opes non ex ingenti rerum variarum copia: sed ex earũ vsu spectandas, atq; metiendas esse docet, 15. Quinam felicissimi sint vere censendi. 16. Cyri e regia prodeuntis magnificentissimus, ac splendidissimus apparatus, & pompa. 17. Cyrus apud Persas omnium Regum primus adoratus fuit. Hic autem adorationis ritus, qui superioribus seculis ignotus fuerat, post initium a Cyri persona ductum, & ad posteros manauit, cæterisq; Persarum Regibus tribui consueuit. 18. Pheraulæ studium in peragendis Cyri mandatis. 19. Pheraulas gratum se prabet ei, a quo equum dono acceperat. 20. Pheraulæ generosus, ac excelsus animus in opibus contemnendis. 21. Eiusdem ingenium, atque mores. 22. Cyrus in conuiuarum collocatione quam rationem sit sequutus, & causa.

23. Go-

23. Gobryas insignem Cyri prudentiam, ac humanitatem admiratur. 24. Hystaspæ Chrysantas cur a Cyro fuerit antepositus. 25. Cyrus cum suis iocatur. 26. Idem Gobryæ filiam Hystaspæ dat vxorem. 27. Milites suos præmiis ornat. 28. Ordinis, aptæq; rerum omnium collocationis quam studiosus fuerit. Causa. 29. In castris locandis quid obseruaret. Quem locum ipse teneret: quem cæteris militibus assignaret. Causa. 30. Cyaxares Cyro filiam vxorem offert. 31. Cyrus arbitrio parentum matrimonia permittenda respondet. 32. In patriam redit. 33. Cambyses pater quomodo Cyrum filium, & Persas amoris mutui firmissimo vinculo constrinxerit. 34. Cyrus ex parentum sententia, Cyaxaris filiam ducit vxorem. 35. Cyri sapientia in regno administrando. 36. Eiusdem ad Satrapas mandata. 37. Equorum veredariorum a Cyro primum excogitatorum, ac dispositorũ vsus. 38. Cyrus varias nationes imperio suo subiicit. 39. Quibus in locis potissimum degeret. 40. Quam charus omnibus fuerit. 41. Eiusdem postremus in Persiam aduentus. 42. De morte diuinitus admonetur. 43. Extrema, eaq; sapientissima Cyri oratio, quam ad filios, ad amicos, & Persarum Magistratus habuit, vt eos officij sui moneret, ac ad virtutis, & pietatis studium incitaret. 44. Quomodo tandem mortem omnibus, qui præsentes aderant, salutatis, obierit. 45. In huius historiæ fine prisci Persarum mores cum nouis conferuntur, & maximum horum discrimen indicatur. 46. Quanta rerum mutatio Cyri mortem statim sit sequuta.



HVIVSMODI Cyrus oratione tunc vsus fuit, post quem Chrysantas adsurgens, hoc modo loquutus est: “Etiam aliis in rebus, commilitones, animaduerti sæpius: nihil inter principem bonum, & patrem bonũ interesse. Nam & patres liberis prospiciunt, ne vnquã eos bona deficiãt: & Cyrus iam mihi videtur ea nobis consulere, de quib. felicitatem perpetuã maxime cõsequuturi simus. Quod autẽ minus 201 mihi, quã opotteret, declarasse videtur: id equidẽ ignaros edocere conabor. Cogitate enim, quænam vrbs hostium

ab iis capi poſſit, qui nolint imperio parere? quæ amicorum vrbs conſeruari poſſit ab iis, qui nolint imperio parere? qui militum contumacium exercitus victoria potiri poſſit? quonam modo facilius poſſint in prœliis homines vinci, quam vbi cœperint ſeorſum ſinguli ſalutis propriæ conſilia capere? quid aliud rei præclaræ perfici poſſit ab iis, qui ſe potioribus haud parent? quæ vrbes legitime adminiſtrentur? quæ domus ſeruari queant? quo pacto naues eo perueniant, quo tendunt? Nos ipſi ea cōmoda, quæ modo nobis adſunt, quanam alia re magis comparauimus, quam principi parēdo? Nam ita factum eſt, vt celeriter & noctu, & interdiu, quo erat neceſſe, perueniremus: & dum repente totis copiis principem ſequeremur, nemo vim & impetum noſtrum ſuſtinere potuerit: eorum denique nihil ſemiperfectum reliquerimus, quæ nobis erant imperata. Ergo ſi parere imperio, maximum eſſe bonum manifeſto paret, ad comparādum bona cetera: certo ſciendum vobis eſt, etiam idem hoc bonum eſſe maximum ad conſeruandum ea, quæ conſeruari neceſſe ſit. Et antea quidem multi nobis imperabant, quum nullis nos imperaremus: nunc res omnium, quotquot adeſtis, ſic comparatæ ſunt, vt imperetis alij pluribus, alij paucioribus. Quemadmodū igitur æquum exiſtimatis eſſe, vos poteſtati veſtræ ſubiectis imperare: ſic & ipſi pareamus eis, quibus officij ratio parere nos iubet. Tantum autem inter nos & ſeruuos intereſſe oportet, quod illi quidem inuiti ſuas heris operas exhibent: nos vero ſiquidem liberi eſſe volumus, ſponte noſtra facere conuenit, quod maxime dignum laude videatur. Inuenietis autem, inquit, etiam ciuitatem, quæ vnius imperio nō adminiſtratur, ſi magiſtratibus, omni ſtudio parere velit, minime per vim eo poſſe adigi, vt hoſtium imperium accipiat. Quamobrem ad hāc, vti Cyrus præcipit curiam præſto ſimus, noſq; in iis exerceamus, quibus retinere potiſſimum queamus ea, quæ cōſeruari neceſſe eſt: & operam Cyro noſtrā exhibeamus, vt ea, quamcumque ad rem opus hac fuerit ipſi vtatur. Nam id quoque ſcire debemus, non poſſe Cyrum quidquam reperire, cuius vſus ad ſua tantum, non etiam noſtra commoda pertineat. Etenim eadem nobis conducunt, & iidem

nobis

nobis hostes sunt. Quæ Chrysantas vbi dixisset, alij tum Persæ, tum socij complures adsurgebant, qui hæc oratione sua quoque comprobarent. Estque decretum, vt honorati semper ad portas præsto essent, & Cyro suam operam offerrent, quamcumque ad rem illi visum esset donec eos dimitteret. Quod quidem ita, vt tunc decretum fuit, etiam hodieque faciunt ij, qui regis imperio in Asia parent: dum portas principum officiose frequentant. Atque vt hoc toto libro declaratum est, Cyrum sic constituisse imperium, vt illud & sibi & Persis conseruaret: ita reges eum sequuti nunc quoque constanter institutis iisdem inhærent. Accidit autem in his, quod etiam in aliis. Quum is, qui præest rerum summæ, vir aliquanto melior est, etiam sincerius puriusque legitima instituta maiorum obseruantur: quum deterior aliquis, segnius. Frequentabant igitur illi honorati cum equis & hastis Cyri portas, quando ita decretum esset a præstantissimis auctoritate viris, qui vna cum ipso imperiũ illud euerterunt. Ceterum aliis aliarum rerum curam Cyrus mandabat, quum quidem & eos haberet, qui vectigalia reciperent, & qui sumtuum expensas facerent, & præsides operum, & facultatum custodes, & rerum ad victum necessariarum procuratores. Etiam nonnullis equorum & canum curam committebat, quos existimabat effecturos hæc animalia suum ad vsum accommodatissima. Vt autem illi, quos secum habere vellet, in societatem conseruandæ felicitatis admittendos, longe optimi euaderent:* meditandum sibi sumebat, nec aliis eam curam mandabat, sed esse munus hoc suum arbitrabatur. Norat enim, si pugnandum aliquando esset, ex illorum numero sibi & adstites & substites sumendos esse, qui maximis in periculis exerciti fuissent: itidemque præfectos cohortium tam pedestrium, quam equestrium ex iisdem constituendos esse intelligebat. Quod si copiarum prætoribus aliis, præter se, opus esset: ex his ipsis mittẽdos esse sciebat. Quinetiam norat, quorumdam ex his opera vtendum esse, vt & vrbium & totarum nationũ tum custodes essent, tum satrapæ, legatiq; nonnulli mitterẽtur: quod quidẽ inter res maximi momenti ponebat, vt absq; bello impetraret id, quod cuperet. Quod si tales ij nõ es-

ce 202

Cyrus stabile imperium constituere voluit.

Lectio marginis.

Legatorũ officium maxime necessarium.

ſent, quales eſſe cōueniret, quorum opera maxima pluſ-
rimaque negotia eſſent conficiūda, male rebus ſuis prō-
ſpectum fore arbitrabatur. Sin illi tales eſſent, quales o-
porteret: præclare ſecum actum iri ducebat. Qua in ſen-
tentia quum eſſet, totus in hanc curam incubuit. Exiſti-
mabat ſibi quoque virtutē exercendam eſſe. Nec enim
fieri poſſe putabat, vt qui talis ipſe non eſſet, qualem eſſe
oporteret, is alios ad pręclaras & laudabiles actiones
incitaret. Quæ quum apud animum expendiſſet, otio
primum eſſe ſibi opus ſtatuit, ſiquidem efficere vellet, vti
res eximias cura complecti poſſet. Fieri quidē haud poſ-
ſe iudicabat, vt prouentuū curam negligeret, quod pro-
203 ſpiceret multa in magno imperio expendi. Rurſus autē,
quum magnā opum copiam poſſideret, harū cura ſem-
per ipſum occupari, id vero auocaturum ſe ſciebat a cu-
ra totius ſummæ rerū conſeruandę. Quare conſiderans,
quo pacto & res familiaris recte adminiſtrari, & ipſe frui
otio poſſet: rei militaris ordinem intuebatur. Nam ple-
rumq; decuriones curam decuriarū gerunt, ductores
manipularij, decurionum: tribuni, manipulariorum du-
cum: decem millium præfecti, tribunorum: quo quidem
ipſo contingit, vt nemo ſit, cuius cura non geratur, tam-
etſi valde multæ ſint hominum myriades. Quumq; vult
imperator exercitus opera vti, ſatis eſt, decem millium
præfectis mandata dediſſe. Quæ igitur horum eſt ratio,
eadem Cyrus etiam res domeſticas ſummatim comple-
xus eſt. Quo factum, vt ipſo cum paucis colloquente, do-
meſtica minime negligerentur. Itaq; deinceps ei plus e-
rat otij, quam alij, qui vel vnius domus, vel nauis vnius
curam gereret. Sic adeo rebus ſuis cōſtitutis, ſuos etiam
docuit eadem ratione vti. Atq; hoc modo tam ſibi, quam
ſuis otium parauit. Cœpit deinde ſibi ſumere magiſteriū
efficiundi participes rerum tales, quales eſſe oporteret.
Primum requirebat illos, quotquot aliis terram colen-
tibus victum habere poſſent, ſi ad portas præſto non eſ-
ſent: quod exiſtimaret eos, qui adeſſent, nihil neq; ſcele-
ris, neq; rei turpis admiſſuros: partim quod ipſi principi
adeſſent, partim quod intelligerēt, omnes actiones ſuas
a viris præſtātiſſimis cōſpici. Qui vero non adeſſent, eos
vel intemperantiæ, vel iniuſtitiæ, vel negligentiæ cauſſa
pu-

Quo pacto Cyrus ſuos conſuefecerit, vt frequēter ipſi adeſſent.

putabat abesse. Quamobrē quum hoc primū existimaret, etiā cogebat tales, vt adessent. Etenim aliquē illorū, quos maxime caros habebat, bona eius, qui portas non frequentaret, occupare iubebat, ac dicere, res ab se suas occupari. Hoc quū fieret, statim spoliati veniebāt, quasi quib. esset illata iniuria. Cyro aūt longo tēpore non vacabat, vt huiusmodi homines audiret: & posteaquā audierat, diu cōtrouersiæ cognitionē differebat. Quæ faciens, arbitrabatur eos se ad obseruandū & colendū adsuefacere: sed minus †odiose, quā si pœnis irrogandis eos adesse cogeret. Hæc vna docēdi ratio erat, vt adessent: alia, q̄ & facillima, & maxime fructuosa præsentib. imperaret: itē alia, quod nihil vmquā absentib. tribueret. Pręcipuus vero cogēdi modus erat, vt si nihil horū aliquem moueret, ei facultates adimeret, ac donaret alij, quē existimaret posse sibi opportune præsto esse. Hoc modo amicum vtilem pro inutili consequebatur. Inquirit autē etiā is rex, qui nūc rerū potitur, in eos, qui quū adesse ex officio debeāt, absunt. Ad hūc sane modū Cyrus in absētes se gerebat. Illos aūt qui se offerrēt ac exhiberēt, maxime se putabat ad præclaras & laudabiles actiones excitaturū: siquidē ipse, qui princeps eorū esset, subiectis imperio declarare se niteretur virtute inprimis ornatū. Videbatur.n. animaduertere, meliores quidē effici homines etiā legib. scriptis: sed principē bonum arbitrabatur hominib. esse legē oculis præditā: veluti qui & ordināndo iubere, & ordinis negligentē cernere, ac punire posset. Ita quū sentiret, primū se cultus diuini magis hoc tempore studiosum declarabat, †quia felicior euasisset. Atq; tūc primū Magi cōstituti sunt, qui semper cū prima luce Deos hymnis celebrarēt, & cottidie sacrificarent Diis illis, quib. ipsi sacrificādum dicerēt. Ita quidē id temporis cōstituta, nunc quoq; permanēt apud eum regē, qui quouis tēpore rerum potitur. Imitabātur autem eum in hoc, primum Persę ceteri, q̄ & ipsi beatiores se fore arbitrarētur, si Deos ita colerēt, vt is, qui & felicissimus esset, & imperaret. Præterea se gratiores Cyro futuros putabāt, si hęc facerēt. Cyrus ipse religiosam suorū pietatē sibi quoq; vtilē ducebat esse, quum rationē eamdē sequeret, quā illi, qui certo iudicio cum religiosis potius, quam cum iis, qui cōmisisse aliquid impie videntur, nauigare

† Lectio marginis.

204

† Lectio marginis.

Cyri pietas.

Totus cōponitur orbis Regis ad exemplum.

malunt. Præterea futurũ ratiocinabatur, vt si omnes illi rerum participes religiosi essent, minus aliquod impium facinus tum contra se inuicem, tum contra Cyrũ ipsum designare vellēt: qui bene se de participum collegio promeritum esse arbitrabatur. Itidem quum declararet, id maximi se facere, si nec amicus, nec socius læderetur, & quum id ante oculos haberet, quod iustũ esset futurum putabat, vt alij quoq; se turpibus a lucris magis abstinerent, ac ratione iusta rem facere mallent. Etiam pudore ac verecundia putabat omnes magis impletum iri, si palam ipse declararet, ita se omnes reuereri, vt nihil fœdum ac turpe nec diceret, nec perpetraret. Atque hoc ita futurum, isto argumento colligebat. Etenim non dicam principem, sed illos etiam, quos alioqui non metuunt, magis reuerentur homines si verecundi sint, quam si inuerecundi: & mulieres, quas esse verecundas animaduertunt, homines intuentes vicissim reuereri magis volunt.
205 Putabat etiam suos constantius imperio parituros, si eos qui sine recusatione parerent, in oculis omnium magis ornaret: quam alios, quorum vel maximæ laboriosissimæque virtutes exstare viderentur. Et hoc quidem vti sentiebat, ita etiam facere perseuerabat. Præterea moderationem suam ostendendo efficiebat, vt hanc etiam alij magis exercerent. Nam quum vident homines eum, cui maxima facultas est insolenter agendi, modeste se gerere: nolunt imbecilliores alij quidquam insolentius palam agere. Sic autem verecundiam ac moderationem cernebat, vt diceret, verecundos palam turpia fugere: moderatos etiam illa, quæ occulte fiant. Continentiam sic exercitatum iri a suis maxime putabat, si ipse declararet se per occasiones oblatatum voluptatum ab iis, quæ honesta & bona essent, non abstrahi: sed velle potius ante voluptatum gaudia laborem cum honestate coniunctum suscipere. Enimuero quum talis esset, perfecit, vt ad portam magna inferiorum esset modestia, præstantioribus cedentium, magnus erga se inuicem amborum pudor & composita morum grauitas. Neminem ibi animaduertisses vel irascentem cum vociferatione, vel insolente cum risu gaudentem: sed eos adspiciens existimasses reabse ad honesti decorique normam viuere. Huiusmodi ergo

modi ergo quædam & faciebant, & cõſpiciebant, qui ad portam verſabantur. Ceterũ exercitationis bellicæ cauſa venatum eos educebat, quos in his exercendos arbitrabatur: quod venationem duceret tum bellicæ rei totius optimam exercitationem eſſe tum equeſtris longe veriſſimam. Nam ad inſidendum equis in locis quibus libet maxime reddit aptos, quod fugientes feras ſequi neceſſe ſit: & agiles efficit maxime ad quoduis opus ex equis perficiendum, propter honoris ſtudium, & cupiditatem capiendi. Heic etiam maxime ſuos illos participes adſuefaciebat ad continentiam, & labores, & frigora, & calores, & famam, & ſitim tolerandam: Ac modo quoque tum rex, tum qui cum rege viuunt, hæc facere non ceſſant. Quod igitur arbitraretur, nemini conuenire imperium, qui non eſſet ſubiectis ſibi melior: id de iis, quæ antehac expoſuimus, nulli non patet: ſicut illud etiam, quod ſuos in hunc modum exercendo, multo maxime tum ad continentiam, tum bellicas artes & exercitationes ipſe laborãdo ſe conſuefaceret. Nam venatum quidem alios educebat, vbi nulla neceſſitas* domi manere cogebat ipſe vero etiam retinente domi neceſſitate feras venari ſolebat, quæ in ſeptis hortorum alerentur: nec vel ipſe prius quam ſudaſſet, ſumebat cœnam: nec equis prius, quam eſſent exerciti, pabulum obiiciebat. Ad hanc venationẽ ſceptrigeros etiam ſuos inuitabat. Itaq; multum in omnibus præclaris actionibus & ſtudiis ipſe præſtabat, multum qui cum eo verſabantur, ob exercitationem illam perpetuam. Atq; huiuſmodi ſane exemplum ipſe ſe præbuit. Præterea ſi quos alios videret maxime rerum honeſtarum ſectatores, eos & donis, & imperiis, & ſedendi loco, & omnibus honoribus ornabat. Quo factum eſt, vt in omnibus ingens ſtudium excitaret, quo quiſq; Cyro præſtantiſſimus videretur. Animaduertiſſe vero nos in Cyro id quoque putamus, quod non eo dumtaxat principes exiſtimarit præſtare ſubiectis ſibi debere, vt iis meliores eſſent: verumetiã blãditiis quibuſdam demulcendos arbitraretur. Itaque tum ſibi veſtitum Medicum geſtandum eſſe, certo iudicio ſtatuit: tum illi ſuo participum collegio perſuaſit, vt eundem induerent. Nam ſi quid in alicuius corpore vitij eſſet, id

* Lectio marginis 206

occultare vestitus is Cyro videbatur: & illos, qui eum gestarent, quã pulcherrimos, & maximos exhibere. Habet enim eiusmodi calceos, in quibus maxime subiici clam aliquid potest, vt grandiores, quam sint, esse videantur. Hoc etiam admittebat, vt oculis pigmẽta quædam sublinerentur, quo viderentur oculos habere pulchriores, quam essent: & vt fucus infricaretur, quo præditi colore meliori cernerentur, quam natura concessisset. Ad hæc eos exercuit, vt palam nec exspuerent, nec emungerent se, nec ad vllam rem spectandam se converterent, quasi nihil admirarentur. Hæc adeo vniuersa putabat aliquid adferre momenti, ad hoc, vt subiectorum imperio suo contemtui minus expositi viderentur. Et ad hunc sane modum instruxit eos, quos beneficio suo magistratus gerere volebat: tum exercendo, tum illo ipso, quod eis cum maiestate præesset. Quos autem ad seruiendum instruebat, eos nec ad labores vllos liberales excitabat, nec habere arma sinebat: studioseque dabat operam, ne vnquam liberalium exercitiorum caussa vel cibo vel potu carerent. Permittebat enim seruis, quoties equitibus feras in campos adigerẽt, vt cibum ad venationem secum sumerent: ingenuorum vero nemini. Quando item faciundum erat iter, ad aquas eos perinde, ac iumenta, ducebat. Quum prandij tempus erat, exspectabat eos, donec aliquid comedissent: ne furcilla siue fames acrior eos

Quo pacto Cyrus seruos habere solitus.

207 adfligeret. Quo fiebat, vt non aliter, ac optimates, etiam hi Cyrum patrem adpellarent: qui curam ipsorum gereret, vt semper sine dubio mancipia manerent. Ac totum quidẽ imperium Persicum hoc modo firmum vt esset, ac stabile Cyrus effecit. At sibi nihil ab iis, quos in potestatem redegisset, periculi futurum, vt aliquid perpetretur, magno animi robore confidebat. Nam & imbelles eos existimabat, & nullo inter se coniunctos ordine videbat, ac præterea nemo illorum propius ad ipsum neque noctu, neque interdiu accedebat. Quos vero præstantissimos ducebat, & ab armis instructos, & magno cõiunctos numero conspiciebat, ac partim sciebat equitum duces esse, partim peditum: quorumq; complures animaduertebat esse animis elatis, quasi qui ad imperandum essent idonei, quiq; propius ad custodes ipsius Cyri acce-

accedere possent, ac plerique Cyrum ipsum sæpenumero conuenirent, quod fieri necesse erat, siquidem opera ipsorum vti vellet: ab his igitur ne quid ei mali accideret, periculum erat, idq; multis modis. Quamobrē dispiciēs, quo pacto ab iis quoque tutus esset: arma quidem illis adimi, & reddi ad bellum ineptos, minime probauit: quod esse illud & cum iniuria, & cum imperij euersione coniunctum duceret. Rursus eos non admittere, ac palā declarare, quod fidem eis non haberet: id belli arbitrabatur esse initium. Itaque hoc vnum istorum omnium loco iudicabat & optimum esse ad securitatem suam, & honestissimum: si præstantissimos illos sibi redderet amiciores, quam inter se ipsos essent. Quo igitur modo peruenisse nobis eo videatur, vt amaretur: exponere conabimur. Primum quouis tempore quā poterat maxime clementiam & humanitatem animi declarabat, quum existimaret perinde, ac facile non sit, eos diligere, qui odisse videantur, neque male erga nos adfectos beneuolentia complecti: sic fieri nō posse, vt illi, quorum semel cognitus sit amor & beneuolentia, iis odio sint, qui ab ipsis diligi videantur. Igitur quam quidem diu facultas ei deerat conferendi beneficia, donatis opibus: tum illis prospiciendo, quos secum haberet, tum pro eis laborando, & palam declarando, se prosperis ipsorum rebus lætari, aduersas grauiter ferre, venari amorem eorum nitebatur. Verum posteaquam hoc adeptus est, vt beneficus esse largiendis opibus posset: animaduertisse nobis videtur, primo quidem beneficium hominibus ex eadem impensa nullum esse gratius, quam si quis cibum & potum impertiatur. Id quum ita se habere statuisset, primū de mensa sua mādatum dedit, vt quibus ipse cibis vesceretur, iis similes sibi semper adponerētur, permultis hominibus suffecturi. Quęcumque vero adponebantur, ea semper omnia distribuebat in amicos, quos visum esset, quo se memorem ipsorum esse ostenderet, vel beneuolentiam declararet: extra cibos illos, quibus ipse atque conuiuæ vescerentur. Præterea mittebat cibos iis, quorum vel in excubiis diligentiam suspiciens probaret, vel in præstandis obsequiis & cultu, vel aliis in actionibus: simul significans, non esse ignorā sibi voluntatē eorum,

De Cyri liberalitate. 208

gratificari sibi cupientium. Eodem honore ciborum e mensa sua donatorum domesticos suos adficiebat, si quando laudare aliquem vellet: atque etiam cibos omnes horum domesticorum in mensam suam adponi curabat, quod putaret hoc eis beneuolentiam quamdam inditurum, sicut vsuuenire * pueris solet. Quod si amicos aliquos a multis coli vellet, his ipsis etiam aliquid de mensa sua mittebat. Hodieque adeo si quibus de mensa regia mitti aliqua vident, eos vniuersi magis colūt: quod illos & honoratos esse arbitrentur, & auctoritate valere ad impetrandum aliquid, si sit opus. Nec his solum de causis, quas indicauimus, læticiam adferunt ea, quæ a rege mittuntur: sed reabse præstant suauitate, quæ de mensa regis veniunt. Atque hoc ita esse, non est mirandum. Etenim vt aliorum quoq; artificiorum opera magnis in vrbibus excellentia fiunt, sic etiam cibi regij longe præstantius elaborātur. Nam paruis in oppidis iidem spondam, ianuam, aratrum, mensam fabricantur: atque sæpenumero idem etiam domum exstruit, & bene secum agi putat, si vel hoc modo consequatur aliquos, qui opus ei faciundum locent, quod ipsi alendo sufficiat. Fieri quidem certe nequit, vt qui multis artificiis occupatur, omnia recte faciat. At magnis in vrbibus, quia multi singulis egent, vel vnum cuique sufficit artificium, vt eo se alat: sæpenumero ne vnum quidem totum sed calceos alius viriles, alius muliebres facit. Est vbi quis se calceis dumtaxat consuendis alit, quum alius tantum eos scindat. Itidem alius tantummodo tunicas scindit, alius nihil horum facit, sed eas consarcit. Quamobrem necesse est eum, qui occupatur opere minime longo etiam id quam optime cogi perficere. Hoc ipsum & in victu
209 accidit. Nam cui vnus & idem lectum sternit, mensam instruit, farinam subigit, alias alia obsonia parat: eum necesse est, mea quidem sententia, sic habere singula, vti cesserunt. Verum vbi satis est vni, quod agat coquendis carnibus elixis, assandis alij: alij piscibus elixandis, alij assandis: alij faciendis panibus, ac ne his quidem omnis generis, sed effici panis vnam speciem probatā satis est: tū vero hæc in hūc modū facta necesse est, opinione mea perquā excellenter esse a singulis elaborata. Et cibis quidem

* *Philelphus recte legit non κυσὶν, sed παισίν.*

dem ita ſuos demerẽdo, longe Cyrus omnes ſuperabat.
Vt autem ad homines demerendos aliis etiam rebus o-
mnibus longe præſtiterit, id equidem modo ſum narra-
turus. Nam tametſi mortales ceteros eo ipſo excelleret,
quod prouentus plurimos perciperet: multo tamen in
hoc magis excelluit, quod vnus inter omnes homines
plurima largiretur. Atque hoc ita cœptum a Cyro fuit,
ac permanet etiam nunc apud illos reges multa munifi-
ce donandi conſuetudo. Quem enim nouimus opulen-
tiores amicos habere, quam habeat rex Perſarum? quis
illo rege ſuos elegantius ornare veſtitu videtur? cuius
munera eiuſmodi eſſe cognoſcuntur, qualia ſunt plera-
que regis illius, armillæ, torques, equi frænis aureis inſi-
gnes? Non enim apud Perſas hęc habere cuiquam licet,
cui rex ea non donarit. Quis alius magnitudine numerũ
efficere dicitur, vt fratribus ipſe anteferatur, & parenti-
bus, & liberis? Quis alius hoſtes ſuos, multorum menſiũ
itineris interuallo diſtantes, ſic vlciſci & plectere potuit,
vt rex Perſarum? Quis alius euerſo aliorum imperio, ſic
diem extremum obiit, vt a ſubiectis ſibi pater adpellare-
tur præter Cyrum? At nomen illud magis ei tribui, qui
beneficia confert, quam qui rapit aliena, conſtat. Etiam *Regis apud Perſas oculi & aures.*
hoc accepimus, Cyrum illos, qui & oculi & aures regis
adpellantur, non alia ratione ſibi conciliaſſe: quam mu-
nera largiendo, & honoribus ac præmiis ornãdo. Quip-
pe dum eos, qui nuntiabant, quæcumque ipſius inter-
eſſet in tempore cognoſci, magnis beneficiis coleret: ef-
ficiebat, vt homines permulti & auribus id captarent, &
notarent oculis: quo nuntiato, regi aliquid vtilitatis ad-
ferrent. Hinc multos eſſe regis oculos, & aures multas,
exiſtimatum fuit. Quod ſi quis arbitratur, vnum potius
eſſe regi oculum eximium: is rem non recte æſtimat. Nã
vnus aliquis & cernere pauca, & audire poſſet: & quædã
quaſi negligentia ceteris eſſet indicta, ſiquidem ea de re
mandata duntaxat vni darentur. Præterea quemcumq;
regis oculum eſſe animaduerterent, ab eo cauẽdum ſci- 210
rent. Verum ita ſe res non habet, ſed audit rex quemli-
bet, qui ſe vel audiuiſſe, vel vidiſſe quippiam adfirmat,
quod adtentione dignum ſit. Ita multę regis aures, mul-
ti eſſe oculi exiſtimantur: & vbique proferre metuũt ea,

quæ regi non expediant, tamquam si audiret ipsemet: & reformidant facere non conducentia regi, tamquam si præsens ipse adesset. Tantum igitur aberat, vt ad quempiam aliquis sinistram Cyri mentionem facere fuerit ausus: vt etiã ita quilibet adfectus esset, quasi omnes, quibus cum quouis tempore versaretur, & oculi regis, & aures essent. Quod vero sic in ipsum adfecti essent homines, eius rei caussam equidem ignoro, quam potiorem quis putet, nisi quia pro exiguis ipse meritis beneficia rependere magna vellet. Ac munerum quidem amplitudine superatos ab eo fuisse alios, mirum videri non debet, quum opulentissimus esset: at vero eum, qui esset regia cum dignitate, amicos officiis studiose colẽdo superasse, id sane magis prædicari meretur. Enimuero traditum est, Cyrum in nulla re adeo manifesta pudoris signa dedisse, posteaquam superatus esset, atq; in amicorum obsequiis & cultu. Ac dictum quoddam eius memoratur, quo similia perhibuerit esse boni pastoris & boni regis opera. Nam pastoris esse munus, vt posteaquam iumẽtis felicitatem conciliasset, ita deinde illis vteretur, quæ quidem pecudum esset felicitas: itemque regem vrbibus & hominibus, quos ipse beasset, vti debere. Nihil mirum igitur, quum hac esset in sentẽtia, singulari eum contentione conatum esse homines vniuersos obsequiis & demerendo superare. Præclarum certe documentũ dedisse Crœso perhibetur, quum is futurum admoneret, vt multa largiendo pauper fieret: cui tamen liceret, vni quidem homini, plurimos auri domi suæ thesauros recondere. Quæsiuisse tum Cyrus dicitur: Et quantã pecuniæ summam habiturum me iam fuisse arbitraris, si quemadmodum tu iubes, aurũ collegissem ab eo tempore, quo cum imperio sum? Ibi Crœsum indicasse magnam quandam summam, & subiecisse Cyrum: Age vero, Crœse, mitte quemdam cum hoc Hystaspa, cuicumq; fidei plurimum habes. Tu autem Hystaspa, inquit, circumito profectus ad amicos, ac dicito mihi quoddam ad negotium esse opus auro: (& reuera mihi eo est opus,) iube copiam pecuniæ mihi quisque suppeditet, quantam possit: eamq; de-
211 scriptam, & obsignatam litteris, Crœsi ministro ferẽdam tradat. Quumq; hęc, quæcumq; dixerat, etiã mandasset litteris

Cyrus pastorem & regem bonum inter se comparabat.

Cyrus opes suas Crœso demonstrat.

litteris, atque obsignasset: dedit eas Hystaspæ ad amicos ferendas, adscribēs ad omnes, etiam Hystaspam ipsum, tamquam amicum suum, exciperent. Is cum circuisset, & Crœsi minister litteras adferret, inquit Histaspas: Etiā mecum, rex Cyre, tibi agēdum erit, vt cum diuite. Nam multis tibi cum muneribus adsum, propter litteras tuas. Et Cyrus: Ergo iam hic quoque thesaurus vnus nobis est, Crœse: tu ceteros considerato, ac rationes subducito, quantæ nobis pecuniæ paratæ sint, si ad vsum aliquem eis mihi sit opus. Crœsus initis rationibus, multo plures reperisse fertur, quam habiturum in thesauris fuisse Cyrum dixerat, si eas collegisset. Quod vbi patuit, dixisse Cyrus traditur: Videsne Crœse, mihi quoque thesauros esse? Tu vero me iubes colligendo inuidiæ me atque odio exponere, ac mercenariis custodibus præfectis, fidē habere. Sed ego amicos locupletatos arbitror mihi thesauros esse, custodesque tum mei ipsius, tum bonorum nostrorum fideliores, quam si præsidiarios mercede cōductos eis præficerem. Etiam aliud quiddam tibi dicam. Ego id, Crœse, quo indito in hominum animos, Dij pariter omnes fecere pauperes, ne ipse quidē vincere possum: sed expleri pecuniis nequeo, perinde atque ceteri. Verum hoc discrimen inter me atque alios plurimos esse puto, quod illi pecuniæ copia potiti, superante sufficientem, partim eā defodiāt, partim situ & putredine corrumpi sināt, partim numerādo, metiēdo, ponderando, ventilando, custodiendo sibi negotium facessant. Neq; tamen interea, dum eam domi habent, plus comedunt, quā ferre possint, q alioqui creparent: neq; plures induunt vestes, quā gestare possint, quod alioqui suffocarentur: sed opes illæ nimię nihil eis sunt aliud, quā negotiorū molestię. Ego & diis inseruio, & plura semper adepto: verū vbi eas cōparaui, quas vsum mihi sufficiētem excedere video: his ipsis amicorū penurię medeor, & homines ditando, ac beneficiis adficiēdo, beneuolentiā ex eis amoremq; mihi paro: de quibus & securitatis, & gloriæ fructum capio. Ea vero neque putredine corrumpuntur, neque nimium excrescendo vitiantur: sed gloria quo auctior est, eo fit maior, & pulchrior, & portatu leuior, ac sæpenumero etiam illos, qui eam gestant,

expeditiores reddit. Atque vt hoc quoque ſcias, Crœſe, non equidē eos, qui pecunias plurimas poſſident, & ſeruant plurimas, feliciſſimos duco: quod hoc pacto qui muros cuſtodiunt, fortunatiſſimi eſſent, quum omnia, quæ ſunt in vrbibus, cuſtodiāt: ſed qui parare quamplurimas iuſte poteſt, & plurimis honeſte vti, hunc ego feliciſſimum arbitror, etiam opum reſpectu. Et hæc Cyrus vti verbis proferebat, ita etiam in oculis omnium faciebat. Prętera quum animaduertiſſet hominū pleroſq;, dum bona valetudine continuo fruuntur, operam dare, vt a rebus neceſſariis inſtructi ſint, & quæ victui recte valentium vſui ſint, reponere: verum vt, poſteaquam in morbum inciderint, vtilia ſuppetāt, id quia non admodum eis eſſe curæ cernebat: viſum eſt ei, hac quoque in parte elaborandum eſſe. Itaque medicos præſtātiſſimos ad ſe collegit, quod † nulli parcere ſumtui vellet: ac quęcumque inſtrumenta quis vtilia eſſe ipſi diceret, vel medicamenta, vel cibos, vel potum, eorum nihil erat, cuius non paratam apud ſe copiam reconderet. Quod ſi aliquando quiſpiam ex iis æger eſſet, quos curari conueniret: & inſpiciebat & ſuppeditabat omnia, quibus eſſet opus. Etiam medicis gratiam habebat, quum quis ſanaſſet aliquem, ſumtis iis, quæ haberet ipſe recondita. Et his, atque aliis multis artibus huiuſmodi Cyrus efficiebat, vt apud eos primas obtineret, a quibus diligi ſe vellet. Quibus autem in rebus & certamina Cyrus indicebat & proponebat præmia, quum contentiones inter ſuos excitare de ſtudiis præclaris & honeſtis vellet: eæ res Cyro laudem adferebant, quod curæ ipſi eſſet, vt virtus coleretur: & præſtantiſſimis quibuſque certamina hæc, inter ipſos ſuſcepta, tum contentiones tum altercationes iniiciebant. Præterea Cyrus quaſi legem conſtituit, vt quidquid tamdem eſſet diiudicari neceſſe, ſiue aliqua in lite, ſeu certamine, ad iudices vna currerent illi, quibus diiudicatione opus eſſet. Itaque manifeſtum eſt, aduerſarios vtroſque coniectando reſpicere ſolitos ad iudices optimos, ſibique amiciſſimos. Victus autem victoribus inuidebat, & eos, qui ſententiam ſecundum ſe non tuliſſent, odio proſequebatur. Victor contra, iure ſe viciſſe præferebat, adeoque nemini ſe gratiam debere putabat.

† *Lectio marginis.*

Itidem

Itidem qui primas inter amicos Cyri tenere volebant, perinde sibi inuidebant, atque alij solent, qui degunt in 213 vrbibus. Itaque complures malebant alius alium e medio sublatum potius, quam vt inuicem adiuuando commodum aliquod sibi procurarent. Et hæc quidem indicata sunt, quo pareat, quibus artibus Cyrus effecerit, vt præstantissimi quique magis ipsum amarent, quam se mutuo. Iam vero narrabimus, quo pacto Cyrus primum e regia prouectus sit. Nam ipsa maiestas huius prouectionis vna nobis videtur ex iis esse artibus, quæ perfecerunt, vt imperium ipsius facile contemni nō posset. Primum igitur, antequam prodiret, arcessitis tam Persis, quam aliis, qui essent cum imperio, vestes inter eos Medicas distribuit. Et amictum sane Medicum Persæ tunc primum induerunt. Simul inter distribuendum dicebat, velle se prouehi ad fana Diis selecta, & vna cum ipsis rē sacram facere. Quamobrem ad portas adeste, ornati vestibus istis, prius quam sol oriatur, & sic consistite, quēadmodum Pheraulas Persa vobis ex me denuntiabit: quumque ipse præcessero, vos loco vobis indicato sequimini. Quod si cui vestrum alia quæpiam ratio videbitur elegantior, quam ea, qua modo prodimus: is illam mihi, quum redierimus, ostendat. Nam vti vobis pulcherrimum optimumque visum fuerit, ita singula constitui debent. Posteaquam in præstantissimos vestes elegantissimas distribuit, etiam alias vestes Medicas protulit. Plurimas enim parari curauerat, nullis parcens, siue purpurei, seu fusci, seu punicei, seu caryccini vel sanguinei coloris vestes essent. Has autem singulos in duces dispertitus, iussit, vt eis ornarēt amicos suos: sicut & ego, inquit, vos orno. Tum quidam ex iis, qui aderant, eum interrogans: Tu vero, ait, Cyre, quando exornaberis? Cui Cyrus respondens: An modo, inquit, non etiam ipse vobis ornari videor, dum vos orno? Nimirum si possim in vos, amicos meos, esse beneficus: quamcumque tamdem habeam vestem, in ea videbor elegans. Sic illi digressi, vestibus istis amicos arcessitos ornabant. Cyrus vero, quod existimaret Pheraulam, hominem ceteroqui plebeum, & ingenio valere, & omnis elegantiæ atque ordinis esse studiosum, minimeque negligentem in iis, quæ Cyro

Cyri e regia prodeuntis pompa.

grata facere posset, & illum ipsum, qui aliquando sentẽtiam de singulis pro dignitate ornãdis oratione sua cõprobauerat: hunc arcessit, & cum eo deliberat, quo pa-
214 cto effecturus esset, vt ipsorum prouectio spectatu beneuolis pulcherrima, infestis maxime formidabilis esset. Quumque dispicientibus ipsis eadem visa fuissent, Pheraulam diligẽter operam dare iubet, vt in crastinum ita fieret prouectio, quemadmodum ipsis pulchra fore paruisset. Equidem, ait, quod ordinem in prouectione seruandum attinet, omnes tibi parere iussi. Verum vt eo lubentius imperanti tibi obtemperẽt, age tunicas has pro satellitum hastatorum ducibus sumito: atque etiam saga ista equestria ducibus equitum dato, & curruum ducib. alias hasce tunicas. Ac Pheraulas quidem has acceptas perferebat. Eum vbi duces conspexissent, aiebant: Magnus tu sane quidam es, Pheraula, quum nobis etiã iis indicaturus, quæ facienda sint. Non profecto, inquit Pheraulas, nõ id solum, vti quidem videtur: sed vna sarcinas etiam portabo. Itaque duo ista saga nunc adfero, alterum tibi, & huic alterum: quorum tu, vtrum volueris, accipito. Tum deinde is, qui sagum accipiebat, inuidiæ obliuiscebatur: statimque ipsum in consilium adhibebat, vtrum sumeret. Pheraulas, vbi de meliore sago cõsilium dedisset: Si tu indicaueris, ait, quod optionẽ tibi dederim: deinceps, vbi rursus aliquid administrabo, dissimilem administrum inuenies. Atque in hunc modum Pheraulas his distributis, vt iussus erat: statim curabat ea, quæ ad prouectionem Cyri pertinerent, vt singula quam elegantissime instructa essent. Postridie prius erãt omnia liquida & integra, quam illuxisset: & series ex vtraque viæ parte stabant, quemadmodum iam quoque subsistunt, qua rex equitaturus est: atque inter has series nemini licet ingredi, qui nõ sit honoratorum in numero. Adstabant & flagelliferi quidam, cædentes eos, qui molesti esse vellent. Ac primum quidẽ satellites ad quater mille stabant ante portas, in quaternos explicati: ex vtraque vero portarum parte millia duo. Aderant item equites omnes, & ex equis descenderãt, exsertis per † candyas manibus, quemadmodum hac eas etiam tempestate exserunt, quoties ipsos rex adspicit. Stabant vero ad dextram

† Candys Persicæ vestis nomẽ, quam milites fibula nectunt.

dextram Persæ, socij ceteri ad læuam viæ partem, eodẽque modo curruum pars vtrimque dimidia. Posteaquã regiæ fores aperirentur, primum Ioui quaterni pulcherrimi tauri ducebantur, & Diis ceteris, quibus Magi ducẽdos suis e ritibus indicarant. Nam Persæ multo magis existimant diuinis in rebus artificum opera vtẽdum esse, quam in aliis. Secundum boues, equi ducebantur, ad sacrificium solis: post eos producebatur currus albus, cum aureo iugo, & coronatus, Ioui sacer. Pone hunc solis currus albus, itidem vti prior ille, coronatus. Post illũ currus alius tertius producebatur, cuius equi puniceis stragulis contecti erant: & post eum viri quidam sequebantur, qui magno in foco ignem gestabant. Post quos iam Cyrus ipse prodibat in conspectum e portis in curru, cum tiara recta & tunica purpurea* semialba, (alij vero semialbam gestare non licet) & subligaculis circum crura colore † byssino tinctis, & toto purpureo candye. Habebat & circum tiaram diadema siue fasciam, idemque insigne cognatis ipsius erat, sicut & hoc tempore illud retinent. Manus extra manicas tenebat. Præter ipsum curru vehebatur auriga, procerus quidem ille, sed Cyro tamen minor: siue hoc reipsa sic esset, seu quocumque modo: multo quidem certe grandior visus est Cyrus. Eum vbi conspexissent, omnes adorando summisse venerati sunt: siue quia fuisset imperatum, vt aliqui venerationis huius initium facerent, seu quod adparatus eos stupore quodam adfecisset, seu quod procerus & pulcher Cyrus ipse visus esset. Ante id quidem tempus Persarum nemo Cyrum ita veneratus fuerat. Quum autem currus Cyri proueheretur, præibant illi quater mille satellites, bis mille ad currus vtrumque latus comitabãtur, sceptrigeris adparitoribus eũ in equis subsequentib. qui & ornati erãt, & gestabãt tragulas, numero fere trecenti. Præterea ducebãtur equi frænis aureis insignes, qui Cyro nutriebãtur, virgatis vestibus instrati, ad ducentos. Secundũ hos contati bis mille, post eos primi decies mille facti equites, vbiq; per cẽtenos ordinati, quorum dux erat Chrysantas. Post hos alij decies mille Persici eqtes, eodẽ modo instructi, quorũ dux erat Hystaspas. Post eos itidẽ alij decies mille, quos Datamas

215

*Subalbicante,

† Lectio marginis: Byssinus color, aureo proximus, vt in crudis filis sericis.

Persæ primum adorationis ritu Cyrũ colunt.

ducebat. Rursum post hos alij, duce Gadata. Post eos erāt equites Medi, ac post hos Armenij, post illos Hyrcanij, post quos Cadusij, ac post Cadusios Sacæ. Equites a tergo currus in quaternos ordinati sequebantur, quos Artabates Persa ducebat. Quumque iam pergeret, homines permulti extra signa sequebantur, quorum alius aliud quiddam a Cyro petebat. Itaque missis ad eos quibusdam ex sceptriferis, qui terni ab vtroque currus latere
416 nuntiorum perferendorum caussa comitabantur, dici eis iussit: si quid aliquis ab se posceret, is præfectis inferioribus, quidcumque vellet, indicaret. Eos aiebat rem ad se delaturos. Quamobrem illi discedentes, mox ad equites se conuertebant, & quem quisque potissimum adiret, deliberabant. Cyrus autem, quos ex amicis coli maxime ab hominibus vellet, eos, misso quodam, ad se singillatim arcessebat, & his verbis compellabat: Si quis istorum, qui adsectantur, vobis aliquid indicarit: si quidem nihil dicere videbitur, non adtendite. Qui vero iusta postulare visus fuerit, de hoc ad me referte, vt communi consultatione res eas expediamus. Et ceteri quidē vocante Cyro, totis viribus adequitantes obtemperabant, suoque studio quoddam incrementum imperio Cyri adiungebant, & se promtissimos ad parendum demonstrabant. Vnus † Daipharnes erat, minus culta vir indole, qui se, si minus celeriter pareret, visum iri magis ingenuum ac liberum existimabat. Id quum animaduerteret Cyrus, priusquam accederet, secumque colloqueretur, quēdam e sceptrigeris summisit, ac dicere homini iussit, nihil amplius eo sibi opus esse: nec deinceps eū arcessebat. Qui autē posterior illo vocatus fuerat, equo prior aduectus est: eique Cyrus equum donauit ex illorū numero, qui vna sequebantur, & ex sceptrigeris quēdam hunc deducere iussit, quo ille mandasset. Hoc vero qui cernerent, esse putabant honorificum quiddam, ac multo plures istum deinceps colebant. Quum ad delubra peruenissent, sacrū Ioui fecere, tauris integris combustis: deinde Soli, combustis huic equis integris. Hinc Telluri mactatis hostiis, id fecere, quod Magi docuerāt: post iis heroibus, qui terram Syriam tenerent. Quibus peractis, quia locus amœnus erat, metam designauit ad stadio-

† al. Datiernes.

stadiorum quinque spatium: iussitque, vt tributim heic equos totis viribus ad cursum emitterent. Ipse cum Persis inuectus vicit, quippe cui multo maxime res equestris curæ fuerat. Inter Medos † Artabates victoriam adeptus est. Huic enim Cyrus equum donauerat. Inter Syros is, qui Syris præerat. Inter Armenios, Tigranes. Inter Hyrcanios, equitum præfecti filius. Inter Sacas autem priuatus quidam miles equo suo ceteros equos a tergo reliquit, prope dimidio spatio curriculi. Atque heic Cyrus interrogasse iuuenem dicitur, an hunc equum commutare cum regno vellet. Illum respondisse: Nollem equidem accipere regnum, verum gratiam apud virum bonũ inire non recusarem. Et Cyrus: Equidem, ait, ostendere locum tibi volo, quo si vel conniuentibus oculis aliquid coniicias, a viro bono non sis aberraturus. Omnino, inquit Sacas ille, ostendito eos mihi, vt posteaquam hanc glebam sustulero, in istos coniiciam. Tum Cyrus ei demonstrat, quo loco amici ipsius plurimi erant. Is vero conniuentibus oculis ictu glebæ locum petit, & Pheraulam casu adtingit, qui præteruehebatur. Nam is forte quiddam a Cyro imperatum renuntiabat. Quumq; ictu percussus esset, ne se quidẽ conuertit, sed id acturus perrexit, quod imperatum erat. Sacas apertis oculis, quem adtigisset, interrogat. Neminem profecto, ait Cyrus, ex iis qui adsunt. At ne quidem, inquit adulescens ille, quẽquam absentiũ. Immo vero, inquit Cyrus, adtigisti profecto illum, qui præter istos currus celeriter equum agitat. Qui fit igitur, ait, quod se non conuertit? Nimirum furiosus quispiam est, ait Cyrus, vti quidem adparet. His adulescens auditis, quinam is esset inspecturus, ibat: ac Pheraulam reperit, qui mentum cum barba terra & sanguine plenum haberet. Is enim percusso e naribus fluebat. Quumque accessisset, an ictu percussus fuisset, interrogauit. Vt vides, respondit ille. Hunc ergo tibi, ait, equum dono. Cuius rei gratia? quærebat Pheraulas. Heic iam Sacas rem narrabat, ac tamdem aiebat: Arbitror equidẽ me a viro bono non aberrasse. Et Pheraulas: Opulentiori, quam ego sum, ait, si quidem saperes, eum dedisses. sed tamen eum accipio, & Deos precor, quorum voluntate factum est, vt tu me ferires: facultatem mihi

† Artabazus.

217

Pheraulæ studiũ in parendo mandatis Cyri.

dent perficiũdi, vt huius tui te muneris haud pœniteat. Et nunc quidem, ait, hoc equo meo conſcenſo diſcede: ego vero ſtatim apud te adero. Atque ita inter ſe illi permutatione vtebantur. Ex Caduſiis autem Rathonices vicit. Etiam currus ſingulos Cyrus ad curſum emiſit. Omnibus autẽ victoribus & boues donabat, vt eis mactatis epularentur, & pocula. Ipſe victor bouem, victoriæ præmium, accepit: poculorum partem ſuam Pheraulæ donauit, quia viſus eſſet ipſi prouectionem e regia præclare ordinaſſe. Atque vt iſta tunc a Cyro fuit inſtituta prouectio, ita etiam hoc tempore prouectio regis adhuc in vſu eſt: extra quam quod abſunt victimæ, quoties rem ſacram non facit. Poſteaquam his eſſet impoſitus finis, ad vrbem redibant, & quibus ædes erant datæ, ſuas
218 in ædes diuertebant: quibus datæ non erant, ad ordines. Pheraulas autem arceſſitum Sacam, qui equum ei donauerat, hoſpitio excepit: & quũ alia præbuit adfatim, tum vbi cœnati eſſent, quæ a Cyro acceperat, impleta propinabat ei, donabatque pocula. Sacas vero iſte quum copioſam & elegãtem veſtem ſtragulam videret, copioſumque & elegantem adparatum, & multos famulos: Dic mihi Pheraula, inquit, an etiam domi vnus ex opulentis eras? Quibus opulẽtis? ait Pheraulas. Immo prorſus ex iis, qui manibus ſuis victum quærunt. Etenim pater meus ſuis me laboribus tenuiter alens, in diſciplina puerili educauit. Poſteaquam vero adoleſcẽtulus factus ſum, quia me in otio non poterat alere, rus abduxit, & opus illic facere iuſſit: vbi ego ſane viciſſim eum, dũ viueret, alui tum ipſe paſtinando, tum conſerendo agellũ perexiguum, non improbum tamen, ſed omnium iuſtiſſimum. Nam quidquid ſeminis accepiſſet, idipſum recte ac iuſte reddebat, ac fœnus non valde copioſum. Atque etiam aliquando ſingulari quadam naturæ bonitate duplum reddidit eius, quod acceperat. Hoc pacto igitur equidem domi viuebam. Iam vero hæc vniuerſa, quę vides, Cyrus mihi dedit. Et Sacas ille: Felicem vero te, quum alias ob res, inquit, tũ ob id ipſum, quod ex paupere diues factus ſis. Nam arbitror tibi propterea multo iucundiores eſſe diuitias, quod quum pecunias † vehemẽter expeteres, diuitias adeptus ſis. Et Pheraulas: Itane

Pheraulas gratũ ſe declarat.

† *eſurires.*

vero,

vero, inquit, existimas mi Saca, eo me nunc iucundius viuere, quo plura possideã? Nescis, ait, me & edere, & bibere, & dormire ne tantillo quidem nũc suauius, quam eo tempore, quo pauper erã? Hoc lucri ex istorum copia facio, quod plura mihi custodiẽda sunt, plura distribuẽda in alios, plurium habenda cura, cum negotiorum molestiis. Nam multi a me iam famuli cibum petunt, multi potũ, multi vestẽ: egent medicis alij: quidã vel oues a lupis laniatas adfert, vel boues in pręcipitiũ actos, vel morbũ pecudes inuasisse narrat. Quo fit, vt existimẽ, ait Pheraulas, plus me iã doloris ex eo percipere, ꝙ multa possideã: quã prius, quod haberẽ pauca. Profecto, inquit ille Sacas, quum salua sunt, plura cernens, longe maiori voluptate, quã ego, adficeris. Et Pheraulas: Nequaquã, ait, adeo iucundũ est, opes possidere: quam molestum amittere. Verum autem dicere me intelliges. Nam illorum, qui opulenti sunt, nemo præ voluptate vigilare cogitur: at eorum qui aliquid amittũt, neminem videas, qui præ mærore dormire possit. Ne quidem profecto eorum etiam quemquam, ait Sacas, qui aliquid accipiunt, præ voluptate dormitantem videas. Vera, inquit, narras. Nã si tam iucundum esset aliquid habere, quam accipere: longe diuites pauperibus beatiores essent. Enimuero necesse est eum, mi Saca, qui multa possidet, etiam multa tum in Deos, tum in amicos, tum in hospites impendere. Quisquis ergo pecuniis vehementer delectatur, eũ certo scias etiam vehementer angi, quum sumtum facit. At ego non sum profecto, inquit Sacas, ex eorum numero, sed etiam felicitatem quamdam hanc esse arbitror, vt qui multa possidet, multa expendat. Non tu igitur per Deos immortales, ait Pheraulas, iam statim felix admodum factus es, & me beasti? Accepta enim hæc vniuersa possideto, & vtitor iis ex animi sententia: me nõ aliter atque hospitem pascito: vel etiam vilius, quam hospitem. Quippe mihi sufficiet, illorum esse participem, quæcumque tu habeas. Ludis vero, inquit Sacas. Et Pheraulas iuratus ait, se ista serio dicere. Quin & alia tibi, mi Saca, præter hæc a Cyro impetrabo, vt neque per obsequium frequentare te portas ipsius necesse sit, neque militare: sed domi tu manebis opulentus, ego hæc & tua, &

Pheraulæ generosus animus in spernẽdis opibus.

219

mea cauſſa faciam. Quod ſi etiam aliquid boni vel Cyro
ſtudioſe operam nauando præterea conſequar, vel ex
militia quadam: id ad te perferam, quo plura in poteſta-
te habeas. Tantum, ait, hac tu me cura liberato. Nam ſi
ab his rebus eſſe mihi otioſo liceat, arbitror te & mihi,
& Cyro, magno vſui futurum. His dictis, & paciſcebātur
hæc inter ſe, & pactis ſtabant. Ac alter quidem eorum ſe
iam felicem exiſtimabat, quod multarum opum domi-
nus eſſet: alter etiam feliciſſimum, quod eſſet procura-
torem habiturus, qui otium ei ſuppeditaret ad agendū,
quidquid animo collibuiſſet. Erat autem ea Pheraulis
indoles, vt ſodalitiis delectaretur: nec arbitrabatur ex
vllius rei cultu tantum voluptatis commodiue percipi,
quantum ex hominis cultu & obſeruantia. Nam exiſti-
mabat hominem inter omnes animantes optimum eſ-
ſe, ac gratiſſimum: quia videret eos, qui ab aliquo lauda-
220 rētur, viciſſim hos ſtudioſe laudare: operamque dare, vt
gratificantibus viciſſim gratificentur: & quos beneuolo
eſſe erga ſe animo cognoſcerent, eos viciſſim beneuolē-
tia complecti: quos amare ſe perſpicerent, eos odiſſe ne-
quaquam poſſe: parentes denique multo magis obſe-
quiis & cultu viciſſim demereri velle, quam animalia
cetera: ſiue illi ſuperſtites eſſent, ſeu mortem obiiſſent.
Ceteras vero animantes vniuerſas & magis ingratas, &
minus beneficij memores eſſe, quā homines, ſentiebat.
Sic igitur & Pheraulas mirifice gaudebat, quod faculta-
tem habiturus eſſet, vt aliarum rerum ſuarum cura libe-
ratus, amicis ceteris operam daret: itidemq; Sacas, quod
multa poſſidēs, multis fruiturus eſſet. Ac Sacas quidem
hic Pheraulam diligebat, qui ſemper aliquid adferret:
Pheraulas Sacam, quod accipere omnia vellet, ac tamet-
ſi plura ſemper ei curanda venirent, non tamē propter-
ea plus ſibi negotij exhiberet. Et hi quidem hoc pacto
degebant. At Cyrus etiam facta re ſacra, epulo victoriæ
inſtituto, illos amicos inuitauit, quos aperte conſtaret &
auctum eum maxime cupere, & animis ei ſummopere
beneuolis honorem habere. Cum his inuitauit & Medū
illum Artabazum, & Tigranem Armenium, & equitum
præfectum Hyrcanium, & Gobryam. Gadatas autem
ſceptrigeris eius præerat, totaque victus ratio dome-
ſtica

Qualis a natura Pheraulas fuerit.

stica sic erat instituta, quemadmodum Gadatas ordinauerat. Et quoties cœnabant apud Cyrum aliqui, ne sedebat quidem Gadatas, sed muneris sui curam gerebat: sin adesset nemo, & ipse cum Cyro cœnabat. Delectabatur enim Cyrus consuetudine Gadatæ, qui propter hæc a Cyro multis & magnis honoribus adficiebat, ac propter Cyrum etiam ab aliis. Ad cœnam inuitati quum venissent, non fortuito vnumquemq; collocabat: sed quē honore maximo dignabatur, ad læuam, quod hæc insidiis obnoxia magis sit, quam dextra: secundum ab hoc ad dextram, tertium rursus ad læuam, quartum ad dextram: ac si plures etiam essent, eadem eos ratione collocabat. Arbitrabatur autem vtile esse, quo honore singulos ornaret, planum fieri. Nam vbi existimant homines eum, qui præstet aliis, neque præconia, neque præmia accepturum: liquido patet, inter eos æmulationem nullam existere. Vbi vero præstantissimi cuiusque conditio cernitur esse optima, ibi summa cum alacritate vniuersi certamina se suscipere declarant. Et Cyrus quidem hoc modo, quinam apud se maxima essent auctoritate, statim planum faciebat, exorsus a sessionis & adsistendi loco. 221 Neque tamen esse cuique perpetuum locum volebat eum, quo sedere iussus fuisset: sed lege cauit, vt præclaris facinoribus progressio fieret ad locum honoratiorem, ac si quis ignaue nequiterque se gereret, ad minus honorificum retrocederet. Putabat autem sibi pudendū Cyrus, eum hominem, qui locum in consessu principē obtineret, non etiam conspici plurimis ab se bonis ornatū. Atque hæc vt Cyri tempore fuerunt, ita nunc quoque seruari animaduertimus. Inter cœnandum, minime, visum est Gobryæ mirum, magna copia res singulas esse apud hominem multis imperantem, sed id potius, quod Cyrus in tanta rerum magnitudine, si quid suaue visus esset consecutus, id non solus absumeret: sed etiam laborem susciperet rogando, vt amici præsentes eo communiter vescerentur. Quinetiam sæpenumero videbat eum nonnullis amicis absentibus ea mittere, quib. forte delectatus esset. Quo fiebat, vt posteaquam ipsi cœnati essent, & omnia, permulta quidem illa, Cyrus ex mensa huc illuc misisset, Go bryas diceret: Existimabā antehac

Cyrus in collocatione conuiuarū certam rationem sequitur.

Gobryas humanitatem Cyri admiratur.

equidem, Cyre, plurimum eo præstare te ceteris homi-nibus, quod imperatoriæ disciplinæ peritissimus esses. At nũc Deos iureiurando sancte testor, videri mihi longe te clemẽtia, quam imperatoria laude præstare. Sic est profecto, ait Cyrus, & quidem clementiæ, quam artis imperatoriæ opera demonstrare, multo est gratius. Quinam istuc? ait Gobryas. Quod, inquit, hæc demonstrando, male mortalibus facere necesse est, illa cum beneficio coniuncta sunt. Deinde quum largius biberent, Cyrum Hystaspas interrogat: Num mihi succensurus sis, Cyre, si te interrogem, quod rescire cupio? Immo vero per Deos immortales, ait, e contrario succenserem tibi, si te reticere animaduerterẽ, de quibus interrogare velles. Dic mihi quęso, inquit, an vmquam arcessitus abs te, non accessi? Bona verba, subiecit Cyrus. Num vero lente tibi parui? Ne id quidem. Num aliquid mihi abs te imperatum, non effectum dedi? nihil habeo, quod querar, ait. Quidquid autem facerem, eorum omnium an aliquid est, quod vmquam non satis alacriter, neque cum voluptate facere me animaduerteris? Id vero minime omnium, ait Cyrus. Quid igitur est, per Deos immortales, Cyre, quo Chrysantas te mouit, vt sede honoratiori, quam ego, collocaretur? Dicamne, inquit Cyrus. Omnino, subiecit Histaspas. Tu vero mihi rursum non succen-

Cur Hystaspæ Chrysantam Cyrus prætulerit.

222 cebis, vbi quod verum est, audies? Immo voluptatem capiam, inquit, si me nulla iniuria adfici sciam. Hic ergo Chrysantas primum, ait, non exspectabat, donec arcesseretur: sed rerum nostrarum causa prius etiam, quam arcesseretur, aderat. Præterea non id solum faciebat, quod imperaretur: sed quidquid animaduerteret ipse, quod effectum nobis conduceret, agebat. Quoties autem ad socios aliquid dicendum erat, quæcunque debere dici a me decori ratione putabat, de iis consilium mihi suum dabat: quæ vero persentisceret me quidem scire socios cupere, sed pudore præpediri, quo minus ipse exponerẽ: ea sic proferebat, quasi suam ipsius sententiam pronuntiaret. Quid igitur vetat, quo minus in his mihi meipso potior fuerit? Præterea sibi semper ea, quæ adsunt, sufficere ait: mihi prospicere se declarat ad omnes, ecquid accedere possit amplius, quod vtilitatem adferat. Deni-

que

que de meis commodis plus ipse voluptatis ac lętitię capit, quam egomet capiam. Ad ea Hystaspas: Lætor, ita me Iuno amet, inquit, me de his te interrogasse. Cur id potissimum? ait Cyrus. Nam & ipse, inquit, hæc enitar facere. Vnum modo ignoro, quo pacto efficere possim, vt manifestum sit, me tuis commodis gaudere. Nũ manibus mihi plaudendum, an ridendum, vel quid agendũ est? Et Artabazus: Saltandum tibi est, ait, more Persico. Quæ verba risus consequutus est. Quum autem compotatio produceretur, Gobryam Cyrus interrogabat: Dic mihi Gobrya, modone tibi videare lubentius horum alicui filiam daturus, quam id temporis, quo primum nobiscum congressus es? Num & mihi, subiecit Gobryas, verum licet dicere? Licet profecto, ait Cyrus. Quippe nulla interrogatio mendacium desiderat. Itaque certo scias, inquit, multo me iam lubentius id facturum. Possisne mihi dicere, ait Cyrus, quamobrem? Possim vero. Dic igitur. Quia cernebam eos id temporis tum labores, tum pericula, præsentibus & æquis animis tolerare: nunc etiam res secundas moderate ferre video. Arbitror autem, Cyre, difficilius esse reperire hominẽ, qui res secundas, quam qui aduersas recte ferat. Nam illæ in plerisque insolentiam, hæ modestiam in omnibus excitant. Et Cyrus: Audiuistine, inquit, hoc Gobryæ verbum Hystaspa? Audiui profecto, ait, ac si quidem eiusmodi plura dixerit, multo me magis filiæ procum habiturus est, quã si mihi multa pocula ostẽteret. Profecto, inquit Gobryas, multa mihi sunt huiusmodi litteris cõsignata, quæ tibi ego nõ inuidebo, si filiam meam vxorem duxeris. Pocula vero, ait, quia mihi non videris admittere, haud scio an Chrysantæ huic dare debeam, quando is tibi sedem tuam surripuit. Enimuero, ait Cyrus, mi Hystaspa, & ceteri qui adestis, si mihi rem indicaueritis, quando quis vestrum vxorem ducere conabitur: qualem & ipse vobis operam nauaturus sim, cognoscetis. Et Gobryas. Cui vero indicandum erit, inquit, si quis filiam nuptum dare velit? Etiam illud mihi significate, ait Cyrus. Nam hanc artẽ mirifice calleo. Quam? ait Chrysantas. Cognoscẽdi, inquit, quod coniugium cuiq; congruat. Et Chrysantas: Dic mihi per Deos immortales, ait, cuiusmodi vxo- 225

rem mihi pulcherrime congruituram arbitreris. Primũ, inquit, paruam. nam & tu paruus es. Quod si grandem ducas, adsilire te necesse fuerit, catellorum more, si forte rectam osculari velis. Id vero, inquit, recte abs te prouidetur. Nam ne tantillum quidem ad saltandum idoneus sum. Deinde, ait, admodum tibi sima conduceret. Cur illud? Quia tu, inquit, nasum aduncũ habes. Optime igitur sima nasi forma cõgruerit aduncæ. Tune ais, inquit, bene cœnato, quemadmodum iam ego sum, incœnatã ieiunamque congruere? Ita profecto, ait Cyrus: nam eorum, qui pleni sunt, venter aduncus est, incœnatorum, simus. Et Chrysantas: Obsecro te, inquit, possisne dicere, cuiusmodi vxor regi frigido sit commoda? Heic risum & Cyrus edidit, & alij similiter. quibus simul ridentibus Hystaspas dixit: Equidem te, Cyre, multo maxime ceu felicẽ ob hoc in isto regno tuo admiror. Quid illud est? ait Cyrus. Quod quum frigidus sis, risum mouere possis. Et Cyrus: Tu vero non magno redimeres, inquit, vt hæc abs te dicta essent: atque vt illi renuntiaretur, apud quã esse cupis in existimatione, quod sis vrbanus? Et his quidem iocis inter eos ludebatur. Secũdum illa Cyrus mũdum muliebrem Tigrani protulit, quem vt vxori daret, iussit: quod ea virili animo militię mariti comes fuisset. Artabazo poculum aureum, Hyrcanio equum, cum aliis multis ac pulchris rebus donauit. Tuæ vero, mi Gobrya, inquit, filiæ virum dabo. Me igitur dabis, ait Hystaspas, vt etiam illa Gobryæ scripta cõsequar. Et Cyrus: Num tibi sunt, inquit, facultates, quæ sint puellæ fortunis dignæ? Sunt profecto, ait, & multo quidem maiori-
224 bus etiam opibus. Et vbinam, inquit Cyrus has facultates habes? Heic, ait, vbi tu consedisti, qui mihi amicus es. Id vero sufficit mihi, subiecit Gobryas: statimq; porrecta dextra, Da mihi Cyre, ait. Nam equidem accipio. Et prehensam Cyrus Hystaspæ dextram Gobryæ dedit, & is accepit. Multa deinde munera, & elegãtia quidem, Hystaspæ dedit, quæ puellæ mitteret. Chrysantam vero, admotum sibi, osculatus est. Et Artabazus: Profecto Cyre, inquit, non ex eodem auro mihi poculum, & Chrysantæ munus hoc dedisti. At enim, ait Cyrus, etiam tibi daturus sum. Quando? quęrebat ille. Ad annum, inquit, trige-

Cyrus iocatur cum suis.

Cyrus Hystaspæ dat vxorem Gobryæ filiam.

trigesimum. Tu vero sic te parato, ait * Hystaspas, vt me tempus illud exspectaturum, nec mortem prius obiturum, scias. Hoc modo tum illi contubernio finis est impositus. Quum autem ipsi surgerent, etiam Cyrus surrexit, & eos ad fores vsq; prosequutus est. Postridie socios, qui sponte se coniunxerant, singulos domum remisit, exceptis iis, qui apud ipsum habere domicilia vellet. His & agros, & ædes dedit: quas etiam nunc posteri eorum, qui tunc remansere, possident. Sunt autem plurimi ex Medis & Hyrcaniis. Discedentibus multa largitus, quũ perfecisset, vt nihil tum præfecti, tum milites quererentur: sic eos dimisit. Hinc militibus etiam suis pecunias, quascumque Sardibus acceperat, distribuit: ac decẽ quidem millium præfectis, & adparitorib. suis eximia quædam, pro dignitate cuiusque largiebatur, cetera hinc inde diuidebat. Data enim parte certa cuique decem millium præfecto, commisit eis, vt perinde ac ipse distribuisset in eos, ita & aliis ipsi distribuerent. Ac pecuniæ quidẽ ceteræ sic ab eis distributæ sunt, vt præfectus quisque in præfectos inferiores, sibi parentes, explorando inquireret: tamdemque sex militibus præfecti, gregariis sub se militibus exploratis, pecunias vltimas pro cuiusque merito distribuerunt. Atque hoc modo iustam vniuersi portionem consecuti sunt. Acceptis autem pecuniis hisce, tunc distributis, plerique de Cyro aiebant: Nimirũ multa possidet ipse, quum tam multa cuique nostrum dederit: alij dicebant: Quæ sunt illa multa, quæ possidet? non is vllo modo Cyri mos est, vt rem facere velit: sed maiorem voluptatem dando, quam possidẽdo percipit. Hos sermones, hominumque de se sententias, quum Cyrus animaduertisset: conuocatis amicis, & omnib. illis, quos interesset arcessiri, in hanc sententiam loquutus est: Vidi equidem nonnullos, amici qui existimari vellent, plura possidere, quam haberent reipsa: quod hoc modo futurum arbitrarentur, vt magis liberales viderentur. Verum illi vergere mihi videntur in partem instituto suo contrariam. Nam eũ, qui multa possidere credatur, non pro ratione facultatũ amicis palam commodare: id vero mihi notã illiberalitatis irrogare videtur. Rursus alij quãtum possideãt, ceteros ignorare volunt: qui & ipsi,

Artabazus. Æ. P

Cyrus milites suos præmiis ornat.

225

meo iudicio, male de amicis merentur. Nam quia facultates eorum ignorantur, sæpe amici egentes aliquid petendo sodales hosce non adpellant, sed decipiuntur. Id mihi simplicissimi videtur hominis esse, vt ostẽsis facultatibus suis, pro earum ratione benignitatis laudem sibi parare contendat. Quamobrem & ipse monstrare vobis volo, quascumq; facultates meas videre licet: & quas videre non licet, eas oratione vobis exponam. Quæ loquutus, alias quidem opes, & multas, & insignes, eis cõmonstrabat: alias vero sic collocatas, vt conspici nõ possent, commemorabat. Tamdem dixit: Hæc omnia vos non tam mea, quam vestra ducere conuenit. Nam equidem ea colligo, non vt ipse absumam, nec vt deterendo imminuam, quod a me quidem fieri non posset: sed partim vt habeam, quod alicui vestrũ, quouis tempore præclarum aliquod facinus edenti, largiar: partim vt si quis vestrũ egere se aliqua re arbitretur, ad me veniat, & quidquid forte desiderat, accipiat. Hæc in hunc modum dicta fuere. Quum autem res ita Babylone cõstitutas existimaret, vt etiam inde abesse posset: ad iter Persicum se parabat conuasando, idemque ceteris imperabat. Postea quam satis eorum habere se putaret, quibus opus sibi fore existimabat, Babylone mouit. Nos autem & hęc cõmemoraturi sumus, quantum scilicet agmen in deponendis impedimentis, quam bono se ordine gereret, ac rursum vasa colligeret, celeriterque suo se loco sisteret, quo necesse erat. Nam vbicumque castra rex habet, ibi omnes illi, qui circum regem versantur, sub tentoriis tã æstate, quam hyeme, militant. Et statim quidẽ ipse Cyrus hoc instituit, vt tentorium ita figeretur, quo solem orientem spectaret. Deinde primum, quãto ex interuallo a tabernaculo regio abesse satellitum tentoria deberent, ordinauit. Post hos locum dextrum iis, quibus esset mandata panis conficiundi cura, adsignauit: quibus obsoniorum, sinistrum: equis item dextrum, sinistrũ iumẽtis ceteris. Erant sic etiam distincta cetera, vt quisq; stationem suam tum mensura, tum loco nosset. Quum vero vasa colligunt, quisque vasa illa componit, quorum ipsi adsignatus est vsus: ac rursum alij iumentis ea imponunt. Quo fit, vt simul omnes impedimentorum vectores ad

Cyrus ordinis aptæque collocationis omnium studiosus.

226

tes ad ea veniant, quibus vehēdis ipsi sunt destinati: & simul quisq; suis iumētis sua imponat. Ita tempus idē, vni tabernaculo, & omnibus tollēdis sufficit. Eadem est impedimēta deponendi ratio. Prętere a singulis est imperatum, quid facere debeant, vt omnia necessaria parentur opportune. Idcirco tempus idē & vni parti, & omnibus, ad ea paranda sufficit. Atque vti suus erat locus ministris hęc necessaria curantib. sic & armati milites in metatione castrorū locum illum habebāt, qui armaturæ cuiuis aptus esset, & quis esset is, norāt: adeoq; vniuersi eum sic occupabant, vt minime de eo ambigerent. Nimirū arbitrabatur Cyrus, etiā in familia præclarū esse studiū collocationis aptæ, quandoquidem hoc modo, si aliqua re quis forte indiget, planū est, quo ire debeat, vt eā sumat: sed multo pulchrius existimabat esse, militares tribus apta collocatione distribui, quū in vsu rerū bellicarum quāto magis subitę sunt opportunitates occasionū, tāto plus ab iis delinquatur, qui tardius in iis se gerunt. Per illos vero, qui mature adsunt, ea fieri videbat, quæ bellicis in rebus quantiuis pretij sint. Hæc caussa fuit, cur aptæ huius collocationis perstudiosus esset. Ac primus quidē ipse castrorū in medio se collocabat, ꝙ is locus esset quāmunitissimus. Deinde circū se fidissimos quosq;, sicut & alias cōsueuerat, habebat: atq; horum in ambitu proximi tū equites, tum curruum ductores erāt. Etenim arbitrabatur his loco tuto esse opus, quod ita in castris agāt, vt armis illis, quibus in hostem pugnant, expedite vti nō possint: sed longo tempore ad armandum se indigeāt, si quidem vtiliter efferre in aciē ea velint. Parte vero tum ipsius, tū equitum dextra & læua, cetratorū locus erat: sagittariorum tam ante, quā post ipsum, & post equites. Grauis armaturæ milites, & qui crates parmasve maiores gestabant, in ambitu suorū omnium habebat instar muri: vt si necesse esset equites se prius parare, maxime 227 statarij milites ante ipsos essent, tutumq; spatiū eis ad arma capienda præberēt. Et quemadmodū grauis armaturę milites, sic & cetrati & sagittarij somnū instructi capiebāt: vt noctu si q́d vsus posceret, perinde ac grauis armaturę milites parati sunt ad feriēdos eos, qui cōminus inuadūt, sic & sagittarij & iaculatores pro grauis arma-

turæ militibus, si qui hostes accederent, promte sagittis & iaculis suis vterentur. Præterea certa quędam signa præfecti omnes ad tabernacula habebant. Adparitores vero, non aliter, ac in vrbibus illi, qui locorũ periti sunt, plurimorum domos norunt, & eorum præsertim, quas interest nosse: sic inquam & Cyri adparitores loca ducũ in castris, & singulorum signa norant. Itaque si alicuius opera Cyrus egeret, hunc illi non quærebãt: sed via quã maxime compendiaria ad vnumquemque currebãt. Et quia singulæ nationes secretæ, minimeque inter se confusæ erant, multo etiam magis parebat, siue quis ordinis obseruans esset, siue quod esset imperatum, nõ faceret. Hoc modo si comparati essent, futurum arbitrabatur, vt si quis vel noctu vel interdiu suos adoriretur, in castra sua, tamquam in insidias, incideret. Ac peritum esse struendæ aciei nõ id solum esse arbitrabatur, vt quis extendere phalangẽ facile possit, vel densare, vel de cornu in phalangẽ redigere, vel prout hostes conspecti fuerint dextrorsum, sinistrorsum, a tergo, recte eam explicare: sed etiam posse distrahere, quum necessitas postulat, pertinere ad aciei struẽdæ rationem putabat: ac partem quamlibet eo loco ponere, quo plurimũ sit profutura: & accelerare, quum opus est anteuertere. Hæc omnia, & his similia, putabat eius esse viri, qui struendę aciei peritus esset, itidemque diligentiam his omnibus adhibebat. Ac in itineribus quidem, semper ad id, quod accideret, aliter atque aliter instructis copiis pergebat: sed in metatione castrorum plerumque illa, quam diximus, collocatione vtebatur. Quum autem progrediẽdo Medorum in regionem peruenissent, Cyrus ad Cyaxarem diuertit. Quumque se complexi salutassent, primũ Cyrus Cyaxari dixit, domum & curiam ei Babylone selectã esse: vt si etiam eo veniret, tamquam in sua diuertere posset. Deinde munerib. aliis permultis & insignibus eum donauit. Acceptis his Cyaxares filiam ad ipsum mittit,
228 quæ ei coronam auream, & armillas, & torquem, & Medicam vestem, quam fieri potuit, pulcherrimam adferebat. Ac dum puella Cyrũ coronaret, Cyaxares ait: Equidem hanc ipsam tibi, Cyre, vxorem trado, quæ mea est filia. Nam & pater tuus patris mei filiam vxorem duxit,

Cyaxares Cyro filiã vxorem offert.

qua

qua tu natus es. Atq; hæc illa est, cui tu puer sæpenumero id temporis, quum apud nos esses, more nutricis blādiebare: quumque interrogabatur ab aliquo, cuinā esset nuptura: Cyro se nupturam, respōdebat. Addo nomine dotis, Mediam vniuersam: quum natam ex me subolem sexus virilis nullam habeā. Hæc erant Cyaxaris verba, cui respondens Cyrus: Equidem, ait, mi Cyaxares, & genus laudo, & puellam, & munera. Sed in his tibi de sententia patris ac matris adsentiri volo. Et quamquā hæc ita Cyrus diceret, puellæ tamen omnia donabat, quæcumque grata Cyaxari futura putabat. Atque his peractis, in Persiam iter faciebat. Quumq; pergendo Persarum ad fines peruenisset, copias ibidem ceteras reliquit: ipse cum amicis ad vrbem contendit, partim secum victimas adducens, quæ vniuersæ Persarum nationi tam ad sacrificia, quam ad epulas sufficerent: partim munera ferens, qualia patri, matri, amicis ceteris dari deceret: & qualia magistratibus, senioribus, æqualibus omnibus conuenirēt. Pręterea cunctis in Persia viris ac feminis ea largiebatur, quæcumq; solet hac etiam tempestate largiri rex, quum in Persiam venit. Deinde conuocatis Cambyses Persarū senioribus, & illis magistratibus, penes quos illic rerum maximarum potestas est, Cyrum etiam arcessit, & hanc in sententiam verba facit: Merito ego vos, Persæ, tuque itidem Cyre, beneuolentia complector vtrosq;. Nam vti rex vobis sum, ita tu Cyre mihi filius es. Quamobrem æquum est me, quæcumq; animaduertere videbor ex re vestra futura, in medium proferre. Quod enim adtinet præterita, vos Cyrum auxistis, exercitu tradito, & hoc eius imperatore constituto. Cyrus ducis munere fungens, Diis adiuuantibus, vobis quidem, Persę apud omnes homines celebritatem nominis, gloriamq; peperit, & honorem per Asiam vniuersam conciliauit: præstātissimos autem eorum, qui eius signa sequuti sunt, opulētos reddidit: vulgo militum de stipēdiis & victu prospexit. Quin & Persarum equitatu instituto perfecit, vt etiā loca plana & campestria sibi vindicare possint. Itaque si deinceps 229
quoque hac in sentētia perstiteritis multorum magnorumque bonorum auctores inuicem vobis eritis. Sin autem vel tu, Cyre, propter res modo prosperas elatus ani-

Parētum arbitrio permittēda matrimonia.

Cyrus in patriam redit.

Cambyses pater Cyrū & Persas inter se perpetuo deuincit.

mo, perinde Persis imperare tui cum captatione cōmodi connabere, vt ceteris: vel vos, o ciues, potestati huius inuideritis, atq; idcirco imperium ipsi abrogare tētaueritis: certo scitote, vosmet ipsos mutuo vobis in multis & præclaris rebus futuros impedimento. Quapropter vt hæc nobis non accidant, sed bona potius contingāt: visum est mihi, posteaquā rem sacram solemni ritu fecerimus, Deosq; fuerimus testati, sic paciscendū nobis esse: vt tu quidem Cyre, si quis vel in terram Persidem copias hostiles ducat, vel leges Persarū conuellere conetur, omnibus viribus opem feras: vos vero, Persæ, si quis vel imperiū Cyro adimere, vel subditorū aliquos ad defectionem impellere adgrediatur, tū vobis ipsis, tū Cyro, prout denūtiarit, subueniatis. Atq; dum equidē vixero, meū esto in Persas imperium: verū vbi viuendi finem fecero, planum est, illud Cyri fore, si viuet: qui quidē in Persiam quū veniet, religiose fecerit, si pro vobis hostias cædet, quemadmodum ipse iam sacra procuro. Vbi vero peregre aberit, recte vestra se res habebit, vt arbitror, si is ex familia nostra, qui vobis optimus esse videbitur, rem diuinam perfecerit. Quæ Cambyses quum protulisset eadem tum a Cyro, tum a Persarum magistratibus, decreto communi facto, sunt adprobata. Et quemadmodū id temporis hęc pacti sunt, Deosq; cōtestati: sic & Persæ, & rex inter se constanter eadem hoc etiam tempore obseruant. Atq; his rebus peractis, Cyrus discessit: quumq; in Mediā peruenisset, de patris matrisq; sententia Cyaxaris filiam vxorem ducit, de qua etiā nunc memoriæ proditur, fuisse perelegantem. Nonnulli autē scriptores historiarum aiunt, matris cum eo sororem fuisse nuptam. Verum ea virgo fuisset omnino tunc anus. Nuptiis celebratis, mox cum ea discessit. Quumque esset Babylone, visum est ei, satrapas iam mittendos esse ad nationes in ditionem redactas. Enimuero præsidiorum magistros in arcibus, & tribunos eorum militum, qui per regionē in excubiis erant, alij, quam sibi, parere nolebat. Atque hæc ita prospiciebat, quum cogitaret, eo pacto futurum, vt si quis satraparum opibus & hominū multitudine fretus,
230 insolēter se gereret, imperiumque detrectare niteretur, mox aduersarios suos in ipsa regione haberet. Hæc igi-

Cyrus vxorē ducit, Cyaxaris filiā.

Sapiens Cyri consilium.

tur

tur facere quũ vellet initio conuocãdos iudicabat, quos adesse referret, remq; his prius exponẽdam: vt quas ob caussas mitterẽtur ij, qui mittẽdi essent, scirẽt. Nam hac ratione laturos id æquioribus animis arbitrabatur. Sin præfectus aliquis iã constitutus esset, atq; hæc deinde animaduerteret: grauiter laturos ducebat, velut existimãtes, ea non aliã ob causam fieri, quã quod fides sibi nõ haberetur. Conuocatis igitur iis, huiusmodi quædã loquutus est: Sunt nobis, amici, subactis in vrbibus & præsidiarij milites, & eorũ præfecti, quos tunc reliquimus. Illis ego discedẽs præcepi, nihil vt aliud curiose instituerẽt agere, sed munitiones & castella tuerẽtur. His igitur equidem magistratum non adimã, quum præclare, quæ iussi erãt, conseruarint. Verũ alij mihi satrapę mittẽdi videntur, qui regionũ incolis præsint, acceptoq; tributo, tũ præsidiariis stipendiũ persoluant, tum quidquid necesse fuerit, perficiant. Etiam mihi videtur iis, qui e vobis heic degũt, & quibus ego negotia impono, dũ ad obeũda quædam munera ad istas nationes eos ablego, istic & agros, & ędes adsignãdas esse: vt & tributum huc illis adferatur, & quũ eo venerint, suas in ædes possint diuertere. Hæc quum dixisset, plerisq; amicorũ in omnib. subactis vrbibus donabat ędes ac subditos. Atq; hac etiã tempestate posteri eorũ, qui tunc illa consequuti sunt, in agrorum, quorum alij alia in regione siti sunt, possessione manent: quamuis ipsi apud regem sedes domesticas habeãt. Necesse est autẽ, inquit, vt de satrapis, ad regiones illas mittẽdis, eiusmodi dispiciatis: qui meminerint huc etiã mittendũ esse, quidquid in quouis solo pulchri boniue fuerit: vt etiam nos, qui heic manemus, omniũ bonorum, quæ vbiq; proueniunt, participes simus. Nam si quid vspiam rei terribilis existat, id etiam nobis propulsandum erit. Hæc loquutus, finem dicendi fecit: ac deinde, quos ex amicis animaduerteret eundi cupidos, secũdum cõdiciones propositas: habito delectu, eos, qui maxime viderentur idonei, satrapas misit, in Arabiam *Megazybum: in Cappadociam, Artabatã: in Phrygiam maiorem, Artacamam: in †Lyciam & Ioniam, Chrysantam: in Cariam *Adusium, quem ipsi petierant: in Phrygiam, quæ propter Hellespontum sita, & Æolidem, Phar-

*al. Megabysum.
†al. Lydiam.
*al. Cadusium.

nuchum. Ciliciæ vero, & Cypro, & Paphlagonibus satra-
231 pas Persicos nullos misit: quod vltro visi essent aduersus Babylonem Cyri signa sequuti. Sed tamen his etiam tributa indixit adferenda. Vt autem Cyrus id temporis cõstituit, sic etiam nunc arcium præsidia regis in potestate sunt, & præsidiariorum tribuni a rege constituuntur, & apud regem descripti census eorum exstant. Præterea satrapis omnibus, quos emittebat, edixit: vt omnia, quæcumque se facere viderent pro viribus imitarentur. Primum equites & curruum agitatores ex illis Persis ac sociis, qui comitarentur ipsos, instituerent. Quicumq; vero & agros, & domos publicas consequuti essent: eos ad frequentandam portam cogerent, vtque temperantiæ studiose addicti, satrapæ semet vtẽdos exhiberent, si quid vsus posceret. Etiam liberos, qui eis nascerentur, ad portam educarent & instituerent, quemadmodum apud ipsum fieret. Itidem satrapam, quos haberet ad portam, venatum producere debere: ac tum se, tum suos ad res bellicas exercere. Qui autem mihi, ait, pro ratione potestatis suæ currus plurimos, plurimos & lectissimos equites effecerit: hũc ego, tamquam egregium belli socium, & qui custodiæ imperij tũ Persici, tum mei, sit particeps, honoribus ornabo. Sint apud vos etiam sessionibus perinde, atque apud me, viri præstantissimi præ ceteris honorati. Sit & mensa, quæ sicut & mea, primum domesticos alat: deinde sat bene instructa sit etiam ad impertiẽdum amicis, honoremque illis exhibendum, qui singulos in dies aliquid præclare gerent. Etiã septa vobis hortorum sunto, ac feras alite, nec ipsi vnquam labore nullo præcedente cibum vobis adponite, neque pabulum equis non exercitis obiicite. Non enim fieri poterit, vt vnus ego virtute humana vestrum omnium bona tuear: sed necesse est magno me pariter animo, cum viris fortibus, a me summittendis, auxilio vobis esse: ac vos itidem fortes esse viros oportet, & cũ vestris, qui & ipsi viri fortes sint, socia mecum arma coniungere. Velim hoc etiã consideretis, nihil me horum, ad quæ iam vos cohortor, seruis imperare: & quæ vobis faciunda esse aio, hæc ipsemet exsequi omnia studeo. Denique vt vos ego me imitari iubeo, sic etiam vos magistratus illos, qui vestro im-

Cyri ad satrapas mandata.

perio continentur, ad imitationem vestri cōdocefacite. Atque hæc vti tum Cyrus instituit, sic etiam hodie cuncta regis imperio subiecta præsidia custodiuntur, & omnes magistratuum portæ officiose frequentātur, omnesque tum amplæ, tum exiguæ domus simili modo administrantur: omnes ex iis, qui adsunt, pręstantissimi sessionibus honoris ergo supra ceteros ornātur: omnia itinera eodem modo instituūtur, perq; paucos præfectos res omnino multæ breui compendio curantur. His indicatis, quemadmodum se gerere singuli deberent: ac manu militum cuiq; data, sic eos dimisit: vt prædiceret vniuersis, pararent sese, quod suscipienda in annum proximum esset expeditio, & lustrandi milites, arma, equi, currus. Hoc etiam ab auctore Cyro profectum, vt aiunt, nunc quoque seruari animaduertimus. Circumit hinc inde quispiā regiones cū exercitu singulis annis, qui si satraparum aliquis indiget auxilio, fert ei auxilium: si quis insolenter se gerit, eum sanam ad mentem reuocat. Quod si quis vel tributum adferre negligit, vel incolas tueri, vel vt terra culta sit, vel aliquid aliud ex iis, quæ sunt imperata, prætermittit: hæc ille corrigit omnia. Si vero nequeat facere, regi denuntiat. Is vbi rem audit, de eo, qui spreto imperio se contumaciter gerit, deliberat: ac sæpenumero ij, de quibus dicitur, Regis filius descendit, Regis frater, Regis oculus: licet aliquando nō conspiciātur, circitores illi sunt. Nam vnusquisque horum e via reuocatur, vbi rex ita iubet. Etiam aliud quiddam excogitasse Cyrum cognouimus, quod ad magnitudinem imperij pertinet, de quo celeriter intelligeret, qui etiam rerū longe remotarum status esset. Quum enim considerasset, quantum itineris equus agitatione diurna conficere viribus integris posset: equorum stabula parari curauit, quæ tantumdem distarent, & in his equos cōstituit, cum illis, qui eorum curam gererent. Ordinauit & quolibet loco quemdam, qui tum ad recipiendum litteras adlatas, tum ad tradendum eas aliis idoneus esset: quiq; defatigatos equos & homines exciperet, ac recētes summitteret. Atque hoc in itinere ne noctu quidem interdū cessari dicitur, sed nuntio diurno succedere nocturnum. Quæ quidem ita quum fiunt, aiunt nonnullos iter hu-

232

Equi Veredarij primū a Cyro dispositi.

iuſmodi gruum volatu celerius conficere. Quod ſi vere non dicitur, ſaltim hoc manifeſtum eſt, omnium pedeſtrium itinerum quæ homines conficiant, hoc velociſſimum eſſe. Bonum eſt autem, vt quamprimum aliquid animaduertitur, etiam cura ſine dilatione adhibeatur.

233 Poſteaquam annus præteriiſſet, Cyrus exercitum Babylonem coegit, habuiſſeque proditur ad centum viginti equitũ millia, currus falcatos bis mille, peditũ millia ſexcenta. Quo adparatu facto, expeditionem illam ſuſcepit, qua nationes vniuerſas ſibi ſubieciſſe dicitur, quæ * extra Syriam ad mare rubrũ vſq; ſedes ſuas habent. Poſtea ſuſcepta in Ægyptũ fertur expeditio, qua Ægyptũ ſubegerit. Itaq; deinceps imperium Cyri terminabat ad ſolẽ orientem, mare rubrum: ad ſeptemtriones, pontus Euxinus; occidentem verſus, Cyprus & Ægyptus: verſus meridiem, Æthiopia. Quarum regionũ extremi fines partim ob calorem, partim propter frigus, partim propter aquã, partim ob aquæ inopiã habitari difficulter poſſunt. Ipſe quum in horum medio viueret, hibernum tempus ſeptẽ menſiũ Babylone degebat, quod iſta regio tepida ſit: tres vernos menſes, Suſis: ipſa æſtate vigente, menſes duos Ecbatanis. quod quia faceret, ſemper in calore frigoreq; verno vitam egiſſe dicitur. Erat autem ea hominũ erga ipſum adfectio, vt natio quæuis detrimentũ accipere ſe duceret, ſi non Cyro mitterent, quidquid ipſis egregium in regione ſua vel naſceretur, vel aleretur, vel arte perficeretur. Itidem quæuis vrbs, quiuis homo priuatus opulentum ſe arbitrabatur, ſi rem Cyro gratam præſtitiſſet. Nam & accipiebat a ſingulis Cyrus ea, quorũ copiã illi, qui dabant, haberent: & viciſſim eis largiebatur, quibus eos defici animaduerteret. Poſteaquã hoc modo ad ætatem prouectiorem acceſſiſſet, admodum ſenex vice iam ſeptima, ex quo imperiũ adeptus erat, in Perſiam venit. Quo tempore tum pater, tum mater ipſius iamdudum, ceu credi par eſt, e viuis exceſſerant. Heic quum rite rem ſacrã procuraſſet, & ex inſtituto patrio chorũ Perſarum duxiſſet, ac pro more dona in omnes diſtribuiſſet: conſopitus in regia, ſomniũ huiuſmodi vidit. Accedere quiſpiã ad ipſum viſus eſt, humana ſpecie auguſtior, qui diceret: **Para te, Cyre. Nam ad Deos nunc iturus es.** Hoc ſomnio

Cyrus varias ſibi nationes ſubiicit.

** Lectio marginis.*

Quibus locis degere ſolitus fuerit.

Cyrus omnibus carus.

Cyri poſtremus in Perſiã aduentus.

Cyrus de morte diuinitus admonetur.

viso, excitatus est: propeq; scire iam videbatur, vitæ sibi finem adesse. Quamobrem sumtis mox hostiis, Ioui patrio, & Soli, & Diis ceteris in summis montium iugis, qui Persis sacrificandi mos est, rem diuinam fecit, & huiusmodi preces concepit: Iupiter patrie, tuq; Sol, ac vos Dij 234
vniuersi, accipite hæc sacra, quibus & multis præclarisq; actionibus finē impono, & gratias vobis ago, quod mihi tum extis, tum signis cælestibus, tum auguriis, tū ominibus ea significastis, quæ vel faciunda, vel omittenda erāt. Magnas etiam vobis gratias ago, quod & ipse curam de me vestrā adgnouerim, & numquam me rebus prosperis supra condicionem humanam extulerim. Rogo vos, vt nunc quoque liberis, vxori, amicis, patriæ felicitatē largiamini: mihi vero peto, vt quale concessistis æuum, talē etiam exitum detis. His peractis, quum domum reuertisset, quieti se dare decreuit, & decubuit. Posteaquam tempus ita posceret, accedunt ij, quibus hoc erat negotij datum, atque vt lauet, hortantur. Suauiter ille se quiescere dicebat. Itidem illi, quibus id erat negotij datum, quum tempus esset, cœnam ipsi adponunt. At Cyri animus nō ille quidem cibum admittebat, sed sitire videbatur: itaque cum voluptate bibit. Eadem illi quum altero, atq; item tertio die accidissent: filios arcessiuit, qui forte tunc sequuti patrē, in Persia degebant. Arcessiuit & amicos, & Persarum magistratus: qui iam vniuersi quum adessent, huiusmodi orationē exorsus est: Instat modo, mei filij, ac vos amici, qui adestis, vitæ meæ finis: quando id multis indiciis certo cognosco. Vos autē, vbi vitā cum morte commutauero, de me, tamquam beato, & dicere omnia, & facere oportet. Nam & quū puer essem, eorū, quæ illa in ætate præclara existimantur, fructū mihi cōsequutus esse videor: & adulescens eorū, quæ habet adulescentia: & virilem prorsus ad ætatē vbi perueni, eorum, quæ virilis ætas habet. Quin & progressu temporis vires meas auctas, animaduertere videbar. Itaque senectutem meam adulescentia numquam imbecilliorē factā sensi, neq; vel expetiisse me animo meo, vel adgressum quidquam memini, cuius non factus sim compos. Amicos quidē certe fortunatos per me factos vidi, hostes in seruitutē a me redactos, patriam antehac nullo in Asia cla-

Extrema Cyri & sapientissima oratio.

» ram imperio, nunc dignitate principe ornatam relin-
» quo: quæ denique sum consequutus, eorum nihil non
» conseruasse me scio. Et quamquam præterito tempore
» nihil non ex voto mihi succederet, tamen quia comes
» mihi metus erat, ne quid in futurum vel viderem, vel au-
235 dirē, vel paterer rei grauis, non is mihi concessit, vt pror-
» sus elato animo essem, vel effuse lætarer. Nunc si moriar,
» vos quidem, filij, quos mihi Dij nasci voluere, superstites
» relinquo: & patriam, & amicos itidem relinquo fortu-
» natos. Qui possit igitur fieri, vt ego non merito beatus
» prędicer, & æterna hominum memoria celebrer? Est au-
» tem mihi declarandum hoc quoque, cui regnum relin-
» quam: ne id relictum in ambiguo, negotia vobis facess-
» sat. Complector equidem, filij, pari vtrumque vestrum
» beneuolentia: verum & consilio prouidere, & ducis offi-
» cio fungi, quacumque in re tempus & vsus postulet, eum
» iubeo: qui natu maior est, & vsum rerum maiorē de con-
» sentanea quadam ratione habet. Equidem vt ab hac mea
» vestraque patria sum institutus, natu maioribus nō mo-
» do fratribus, sed ciuibus etiam, de via, sedibus, dicendi
» loco cedendum esse: sic & ipse, filij, ab initio vos institui,
» vt natu maioribus honorem principem deferatis, & vi-
» cissim minoribus honore pręeatis. Quamobrem ita, quę
» a me dicuntur, accipite: vt qui tum prisca, tum moribus
» recepta, atque etiam legibus consentanea proferam. Ac
» tuum quidem, Cambyses, regnum esto, Diis illud, ac me,
» tibi largientibus, quantum quidem in me est: tibi vero,
» Tanaoxares, hoc tribuo, vt Medorum, & Armeniorum,
» & tertio loco Cadusiorum satrapa sis. Quæ tibi quū lar-
» gior, maius quidem imperium, & regni nomē natu ma-
» iori me relinquere arbitror: tibi vero felicitatem magis
» omnis expertem molestiæ. Nam qua delectatione hu-
» mana cariturus sis, equidem non video. Nimirum vni-
» uersa quæ hominibus adferre voluptatem videntur, tibi
» sunt adfutura. Amorem vero illorum, quæ confectu dif-
» ficilia sunt, & multarum rerum sollicitam occupationē,
» & vitæ alienam a quiete rationem, pungente animum
» æmulatione rerum a me gestarum, & insidiarum moli-
» tionem, earumdemque structarum ab aliis metum: hæc
» inquā necesse est illum, qui regno potietur, magis, quā
te, co-

te, comitentur. Atque hęc, sat scito, multa obiiciunt impedimenta, quo minus animo læto quis esse possit. Te quoque, mi Cambyses, scire volo, non aureum hoc sceptrum esse, quod regnum tibi conseruet: sed amici fideles regibus & verissimum, & tutissimum sceptrum sunt. At vero non nasci homines fidos existimabis, quod ita iidem omnibus fidos se declararẽt, sicut & naturalia cetera conspiciuntur esse omnibus eadem: sed fidi qui sint, 236
eos abs quouis homine tales effici necesse est. Parantur autem, non vi, sed potius beneficentia. Quamobrem si voles & alios tibi adiũgere, qui in conseruãdi regni quasi societatem veniant, nequaquam aliunde initium facito, quã ab eo, qui loco tecũ eodem ortus est. Nã & ciues exteris magis sunt nobis coniũcti, & contubernales iis, qui nobiscũ eodem in contubernio non viuunt. At vero qui eodẽ semine prognati, ab eadẽ nutriti matre, in eadẽ domo creuerunt, & ab iisdem parẽtibus diligũtur, eumdemque patrem & eamdem matrem adpellant, qui fieri possit, vt non omnium sint coniũctissimi? Ne igitur ea bona, per quæ Dij fratres mutuam ad coniunctionem deducunt, frustra vobis esse cõcessa patiamini: sed super hæc ipsa statim studia quædam alia beneuolẽtię & amoris exstruite: quo fiet, vt amicitia vestra semper inuicta sit. Nimirum sui ipsius curam gerit, qui fratri prospicit. Nam cui frater magnus adeo est ornamento, vt fratri? Quis hominem præpotentẽ honore tãto prosequetur, quanto frater? quemnam aliquis magis metuat, si fratrem habeat virum magnũ, atq; ipsum fratrem? Quãobrem nemo te celerius huic obœdiat, nemo alacrius ad ipsum veniat. Quippe nec secũdæ nec aduersę tristesque res huius, ad quemquam magis proprie pertinent, quam ad te. Hoc etiam consideres velim, cuinam gratificando maiora te consequuturum sperare debeas, quam si gratificeris fratri? Cui opem ferendo, belli socium firmiorem tibi adiunges? Quẽ turpius est non amare; quã fratrem? Quemnam omnium laudabilius est obseruare honorando, quam fratrem? Solus est frater, mi Cambyses, qui si apud fratrẽ locum principem obtineat, nequit ad eum pertingere aliorum inuidia. Quare vos obtestor per Deos patrios, mei filij, prosequimini vosmet hono-

Hunc locũ M. Cicero in Catone maiore interpretatur.

re:si quidem vllum vobis cordi est gratificandi mihi studium. Non enim liquido scire vos arbitrari debetis, me, posteaquam viuendi finem fecero, nihil futurum. Nam ne modo quidem animum meũ cernebatis, sed esse eum deprehẽdebatis ex iis, quæ agebat. An necdum animaduertistis, quos terrores illorum animi, qui vim & iniuri-
„ am passi sunt, homicidis incutiant? quos scelerum vindi-
„ ces nefariis immittant? Anne permansuros fuisse puta-
„ tis extinctorum honores, si nihil eorum animis iuris ac
237 potestatis reliquum esset? Equidem, filij, nequaquã per-
„ suaderi mihi vmquam passus sum, animum, quamdiu
„ mortali corpore contineatur, viuere: posteaquam ab eo
„ diremtus sit, mori. Nam animum video his morti ob-
„ noxiis corporibus, quam diu in eis degat, vitam imperti-
„ ri. Ne id quidẽ persuaderi possum, non sapere animum,
„ posteaquã ab hoc insipiẽte corpore separatur: sed quum
„ a corpore secreta est pura mens & integra, tum eam sapi-
„ entissimã esse, vero maxime consentaneũ fuerit. Quum
„ dissoluitur homo, non est obscurum, ad res sui generis
„ singula commigrare, extra vnum animum: qui solus ne-
que dum adest, neque dum discedit, cernitur.* Animaduertistis, nihil esse morti hominis similius somno. At per somnum maxime hominis animus diuinitatẽ suam de-

** al. Veniat vobis in mentẽ,*

„ clarat, atque etiam futura prospicit: quippe qui tunc, vti
„ quidem adparet, maxime sit liber. Quare si hæc ita sunt,
„ quemadmodum equidẽ existimo, & si animus hoc cor-
„ pus relinquit: reueriti animum meũ, quæ vos rogo præ-
„ state. Sin hæc ita non sunt, sed animus & manet in cor-
„ pore, & cum eo interit: vos tamen Deos, qui immortales
„ sunt, & intuentur & possunt omnia, ordinemq; vniuersi-
„ tatis huius expertem detrimenti & senectæ, & extra om-
nem errorem positum,* præ pulchritudine atque etiam magnitudine inexplicabilem, conseruant: Deos inquam

** al: præ celeritate,*

„ pertimescite, vt nihil impij, nihil nefarij vel committa-
„ tis, vel deliberetis. Post Deos vniuersam hominum nati-
„ onem, quæ perpetua successione continuatur, reueremi-
„ ni. Nam Dij vos caligine quadam non tegunt, sed actio-
„ nes vestras semper in omnium mortalium luce versari
„ necesse est: quæ si puræ secretæq; ab iniustitia paruerint,
„ potentes vos inter homines vniuersos reddent. Sin ali-

quid alter in alterum iniuriæ cogitaueritis, apud omnes
homines fidem amittetis. Nam nemo poterit amplius
vobis credere, tametsi magnopere cupiat, si videat adfi-
ci illum iniuria, qui sit amicitiæ iure coniunctissimus.
Itaque si satis ego vos doceo, quales vosmet erga vos ge-
rere debeatis, (recte est:) sin autẽ, ab iis saltim discite, qui
ante nos exstitere, quæ doctrinæ ratio optima est. Nam
multi parentes erga liberos, multi erga fratres in amore
constantes fuere: nõnulli etiam his cõtraria inter se mu-
tuo designarunt. Vtris igitur animaduertitis ea, quæ per- 238
petrarunt, profuisse: illorum si facta prætuleritis alteris,
recte vobis consulueritis. Ac de his quidẽ iam fortasse sa-
tis. Ceterum corpus meum, filij, quum diem in terris su-
premũ clausero, nec in auro cõdite, nec in argẽto, nec vl-
la in re alia, sed terræ quamprimum reddite. Quid enim
beatius, quam in terrã abdi, quæ omnia præclara, bona
omnia profert ac nutrit? Equidẽ ceteroqui studiosus ho-
minũ fui, iamq; adeo perlubenter mihi videor eius rei
particeps futurus, quæ in homines est benefica. Enim-
uero deficere me videtur animus ea parte, qua, ceu con-
sentaneum est, omnes deficere incipit. Quamobrem ac-
cedat, si quis vestrum vel dextram meam vult continge-
re, vel in oculos viuentis adhuc intueri. Vbi vero tectus
& obuelatus fuero, ne quis hominum, mei filij, corpus
meum videat, ac ne vos quidem ipsi, etiã atq; etiam oro.
Persas quidem omnes, ac socios, meum ad monumẽtum
euocate: quo mihi gratulentur, cui iam in tuto agẽti ni-
hil accidere mali possit, siue adeo cum numine diuino
fuero, siue in nihilũ redigar. Quotquot autem venerint,
hos illis beneficiis adfectos, quæcumq; in hominis for-
tunati funere solemne est exhiberi, dimittite. Denique
hoc ex me postremũ memineritis. Si benefici in amicos
fueritis, etiam hostes puniendi facultatẽ vos habituros.
Valete filij cari, atq; idem matri verbis meis renuncia-
te. Itidẽ omnes amici, qui adestis, & abestis, saluete. Hæc
quũ loquutus esset, atq; omnibus dextrã porrexisset, ob-
uelauit se, vitamq; cum morte cõmutauit. Fuisse quidem
regnũ Cyri inter ea, quæ Asia vidit, longe præclarissimũ
ac maximũ, vel ipsum de se testatur. Terminis inclusum
fuit ad solẽ orientem mari rubro: ad septentriones, Pon-

Historiæ conclusio, qua mores Persarum nouos cũ priscis cõfert.

to Euxino:ad occasum, Cypro & Ægypto:ad meridiem, Æthiopia. Tantum vero quum esset, vno tamẽ Cyri arbitrio gubernabatur:qui subiectos sibi liberum instar & honore prosequebatur, & obsequiis sibi deuinciebat, quum subiecti Cyrum vicissim tamquam patrem venerarentur. Is vbi diem suum obiit, mox inter ipsos filios est coortum dissidium, mox vrbes & nationes defecerũt, rebus vniuersis in peius vergentibus. Quod quidem vere me dicere, primum docere de rebus diuinis incipiam.

239 Equidem scio, prius regem, ac regi subiectos, etiam iis, qui vel extrema facinora designassent, siue iusiurãdum dedissent, idipsum seruasse:siue iunxissent dextras, firmiter promissis stetisse. Quod si tales non fuissent, & eiusmodi de se opinionem excitassent, ne vnus quidem fidẽ ipsis adhibuisset, sicut hodieque ne quidem vnus fidem eis adhibet, quod ipsorum impietas iam perspecta sit, ita nec illorum militum prætores, qui expeditionem cum †Cyro susceperũt, fidem eis habuissent. Iam vero quum priscæ de illis opinioni credidissent, seipsos eis tradiderunt, & ad regẽ deductis capita fuerunt amputata. Multi etiam barbari, qui hanc expeditionem vna susceperãt, alij alia fidei policitatione decepti, perierunt. Sunt etiã, quod hæc attinet, multo nunc deteriores. Nam olim si quis pro rege salutem in discrimen conijceret, vel vrbem aut nationem eius imperio adiecisset, vel aliquid aliud præclare fortiterque pro rege perfecisset:hi scilicet erãt, qui honoribus cumularentur.† Nunc si quis perinde ac Mithradates, patre Ariobarzane prodito, & quemadmodum Leomithres vxore, liberis, & amicorum quoq; liberis apud Ægyptium obsidibus relictis, & sanctissimo iureiurando violato, regi quod expediat, facere videatur:hi vero sunt, qui maximis honoribus ornantur. Quæ quum omnes Asiatici videant, etiam ipsi ad impietatem & iniustitiam deflexerũt. Nam quales sunt ij, qui præsunt: tales & illi plerumque solent esse, qui eorum imperio subiecti sunt. Hinc factũ, vt magis iam sint nefarij, quam olim fuerint. Pecunias vero quod attinet, hoc modo nunc magis iniusti sunt. Nõ enim dumtaxat eos, qui admodum multa scelerate designarunt: sed iam illos quoque, qui nihil iniusti admisere comprehendũt: ac præ

†Intelligit Cyrũ minorem, de cuius expeditione, cæsisq; ducibus Græcis, libros sequentes legito.

† Lectio marginis.

ac præter ius & æquum pecunias soluere cogunt. Quo fit, vt nihilominus ij, quorum res lauta videtur esse, sibi metuant: atque alij, qui aliquid iniuste patrarunt. Iidem cum potioribus congredi recusant, neque ad expeditionis regiæ copias adiungere se audent. Quapropter omnibus licet, qui bellum ipsis faciunt, in eorum regione, citra pugnam omnem pro lubitu vagari, tum propter ipsorum erga Deos impietatem, tum propter iniurias, quas hominibus inferunt. Atque hoc modo sunt ipsorũ animi prorsus iam deteriores, quam olim. Ne corporum quidem eos illa ratione, qua prius, curam habere, iam narrabo. Nam erat in eorum institutis, vt nec exspuerẽt, nec emungerentur. Perspicuum est autem, id ipsos non ea de caussa sanxisse, quod corporis humori parcendum existimarent: sed quod laboribus ac sudore solida effici 240
corpora vellent. Iam vero manet id quidem adhuc, ne vel exspuant, vel emungãt se: sed laborum exercitia nulli vsquam curę sunt. Enimuero erat etiam apud illos olim hoc institutum, vt semel tantum pascerentur: quo tam ad expediunda negotia, quam ad laborum exercitationes die toto fruerentur: iam restat id quidem, vt semel dumtaxat cibum capiant, sed quum eo tempore vesci incipiant, quo solent, qui maxime matutino prandent, tã diu comedere ac bibere perseuerant, quam diu solent, qui sero admodum cubitum eunt. Erat item in eorum institutis, ne ad conuiuia importarentur obbæ: quod existimarent minus tum corpora, tum animos debilitari, si quis non nimium hauriat. Nunc has non importari, restat id quidem: tantum vero bibunt, vt non importent, sed ipsi exportentur, quando nimirum recto corpore nõ amplius exire possunt: erat & illud vnum ex institutis patriis, quod itinera facientes neque comedebant, neque bibebant, neque quidquam eorum palam faciebãt, quæ de his necessario consequuntur. Hoc tempore manet id quidem, vt ab his rebus abstineant: verũ itinera tam breuia conficiunt, vt nihil mirum sit, a rebus illis necessariis eos abstinere. Toties olim venatum ibant, vt solæ venationes ad exercendum tam ipsos, quam equos sufficerẽt. Posteaquam vero rex Artaxerxes, & ipsius familiares, vino cœpissent obrui: non iam amplius ipsi perinde, ac

prius, venatum prodibant, & alios ad venationes educebant. Quin & illis palam inuidebant, quasique se potiores oderant, quicumque laborum amantes, cum equitibus suis venarētur. Est hodieque in vsu, pueros ad portas institui: verum vt artem equestrem discant & exerceant, id scilicet extinctum est: quod istic non sint, vbi specimen edendo, gloriam consequi possint. Est & illud penitus peruersum, quod pueri audientes prius illic iudicia iusta iudicari, iusticiam discere videbantur. Nā manifesto vident eos superiores discedere, qui plurimū largiuntur. Etiam illorum, quæ terra nascuntur, vires pueri antehac discebant, quo vtilibus vterentur, a noxiis abstinerent: nunc ea sic edoceri videntur, vti quamplurimū noceant. Quo fit, vt nusquam plures, quam illic, vel ex-
241 tinguantur venenis, vel perniciose lędantur. Etiam multo nunc sunt addictiores deliciis & vitæ voluptariæ, quā Cyri sæculo. Nam ea tempestate Persica quidem institutione & continentia adhuc vtebantur, vestitu vero & elegantia Medorum: nunc a Persis profectam laborum tolerantiam extingui patiuntur, & Medorum molliciē retinēt. Libet autem ipsorum etiam delicias & voluptatem explanare. Nam primum eis non satis est, cubilia molliter sterni: sed iam spondarum quoque pedes tapetibus imponunt, ne pauimentum obnitatur, sed tapetes nonnihil cedant. Præterea quæ ad mensam coquuntur, eorum quidquid prius inuentum fuit, nihil est detractū: & alia quædam artificia noua semper excogitant. Idem in obsoniis fit. Nam in vtroque habent, qui semper aliquid noui conficiant. Quinetiam hiberno tempore non caput solum, non corpus, nō pedes ipsis satis est tegi: sed etiā ad extremas manus habent tegumenta quædā hirsuta, & digitabula. Æstate nec arborū, nec specuum ipsis vmbræ sufficiunt: sed in his adstant eis homines, qui & alia excogitant vmbracula. Iam si etiam pocula maximo numero habeant, eo ipso tamquam ornamento semet ostentant. Sed ea comparata improbis esse artibus, nulla in turpitudinis parte ponunt. Nam & iniusticia, & lucri turpis cupiditas, mirifice apud eos creuerunt. Etiā illud prius erat eis in more patrio positum, vt pedites in itineribus obeundis non conspicerentur: idque alia nulla de

la de caussa, quam vt equestris rei peritissimi euaderent. Iam vero multo plus stragulorum in equis, quam in cubilibus habent. Non enim tam equestris res ipsis est curæ, quam vt molliter sedeãt. Bellica quidem studia quod attinet, qui non in illis consentaneum fuerit, nunc prorsus eos deteriores esse, quam olim fuerint? quibus superiori tempore patrium fuit, vt quotquot agros possiderent, equites inde suppeditarent, qui militatum irent: qui vero in præsidiis degerent, siquidem aliquando suscipienda esset pro defensione regionis expeditio, stipẽdiis militarent. At nunc & ostiarij, & panis, & obsoniorũ opifices, & pocillatores, & balneatores, & qui cibos in mensas adponũt, & qui eos tollunt, & qui cubitũ deducũt, & qui de somno excitant, & qui eos pigmẽtis illinẽdis & infricandis exornãt, & eleganter cætera quoque componunt: hi omnes a viris præcipua potentia præditis equites facti sunt, vt stipendia sibi mereant. Et hominum quidem illi multitudinem quamdam oculis exhibent, non tamen vllus eorum in bello est vsus: quod 242 quidem ex illis ipsis, quæ vsu veniunt, manifestum est. Nam illorum in agro facilius hostes, quam amici, versantur. Enimuero quum ex ferentariorum ordine Cyrus eos eximeret, ac tum ipsos, tum equos armaret, & cuique daret in manum tragulam vnam, comminus eis in hostem vsus est. Nunc neque amplius leui certamine cum hoste congrediuntur, neque comminus pugnam conferunt. Itidem pedites habent illi quidem crates, & copidas, & secures, quibus perinde, ac ipsius Cyri tempore, prœlium ineant: verum ne illi quidem manum conserere volunt. Nec falcatos item currus ad eos vsus, quibus a Cyro destinati fuerunt, adhibent. Nam is aurigas honoribus auctos & ad fortitudinem consuefactos habuit, qui grauem in armaturam impetum facerent. Hodierni Persæ quum eos, qui sunt in curribus, ne quidem norint; inexercitatos arbitrantur pares futuros exercitatis. Faciunt vero illi quidem impetum, sed prius, quam intra hostes penetrent, partim sponte sua delabuntur, partim desiliunt. Quo fit, vt ab aurigis destituta vehicula iugalium sæpenumero plus amicis detrimenti adferant, quam hostibus.

Enimuero quum ipsi intelligant, quales sint ipsorum adparatus bellici: cedunt aliis, neque quisquam amplius absque Græcis ad bellum se comparat: siue adeo ipsi bellum inter se gerant, seu contra eos Græci copias educãt: quod animaduertant, etiam aduersus Græcos non nisi cum Græcorum auxiliis sibi bella esse suscipienda. Et arbitror sane me iam perfecisse, quod institueram. Quippe demonstratum aio, Persas, & alios Persis coniunctos, minus erga Deos esse religiosos, & erga cognatos magis impios, & iniustiores erga ceteros, & bellicis in rebus effœminatos iam magis, quam prius. Quod si quis cõtraria sententiæ meæ statuit, saltim eorum facta cõsideret, ac meis ea rationibus testimoniũ perhibere comperiet.

243 XENOPHONTIS HISTORIARVM DE CYRI *EXPEDITIONE, LIB. I.

** Adscensu, videlicet, in Asiam superiorem.*

ARGVMENTVM.

1. Artaxerxes, & Cyrus, Darij, & Parysatidis filij, quibus de causis inter se discordes esse cœperint. 2. Iunioris Cyri virtus. 3. Quomodo copias collegerit, vt bellum fratri faceret. 4. Earũ numerus, & qualitas. 5. Epyaxa Syennesis Cilicum Regis vxor ad Cyrũ venit, magnáq; pecuniæ vim ei affert, vnde stipendium militibus persolutum. 6. Græci per iocum aliis timorẽ incutiunt. 7. Aditus Ciliciæ difficiles. 8. Clearchus a suis propemodum oppressus. 9. Cyrus suum consiliũ dissimulat. 10. Quãta cum difficultate copias Græcorum aduersus fratrẽ duxerit. 11. Pisces quidam a Syris pro Dijs habiti. 12. Cyrus Euphratẽ sine nauigijs quomodo traiecerit. 13. Arabiæ descriptio. 14. Asini syluestres in Arabia quales. 15. Struthiocameli velocitas. 16. Cyri apud suos autoritas. 17. In itinere conficiendo celeritas. 18. Litem inter Clearchi, Menonisq; milites ortam Cyrus quomodo compo-

composuerit. 19. Orontas Persa Cyro struit insidias. 20. Qua ratione Cyrus has vitarit: Orontem comprehenderit, quibus praesentibus de eius proditione cognouerit, quod poenae genus in eum ex totius sui consilij sententia decreuerit, & quid tandem Orontae contigerit. 21. Cyrus quibus verbis suos ad rem fortiter gerendam sit hortatus. 22. Copiarum, quas Cyrus habebat, quantitas, & qualitas. 23. Hostilium copiarum numerus, & qualitas, & castrorum, in quibus versabantur, amplitudo. 24. Silani Ambraciotae vaticinium euentu comprobatum. 25. Praelium inter fratres committitur, in quo Cyrus capite nudo versatur. 26. Copiarum regiarum ordo. 27. Clearchi prudentia. 28. Xenophon Cyrum alloquitur, eiq́; suam fidē, ac operam offert. 29. Graeci victoria potiuntur. 30. Cyrus in fratrem irruit, eum vulnerat: sed non interficit. Ipse vero interea a quodam regis milite caeditur. 31. Cyri defuncti praeclarum encomium, quod eius ingenium, mores, virtutes, dicta, factaque memoratu digna demonstrat. 32. Ariaei, equitumque fuga. 33 Aspasia capitur. 34. Graeci cum regiis copiis iterum confligunt, easque vincunt.

** Alterum huius libri argumentum breuissimum vide in libri sequentis initio, vbi res κατ' ἀνακεφαλαίωσιν, εἴτε συγκεφαλαίωσιν aperte declarantur.*



DARII & Parysatidis filij duo fuere, quorum natu maior † Artaxerxes, minor Cyrus erat. Quum autem Darius aeger vitae sibi finem adesse suspicaretur, filiū vtrumque ad se venire voluit. Ac maior quidem natu forte tunc aderat, Cyrum a praefectura, quam ei cum satrapae titulo cōcesserat, arcessit: ac praetorem omnium designat, quicumque ad Castoli campum atque planiciem congregari solent. Itaque Cyrus adscendit, Tissapherne tamquam amico sibi adiuncto, cum trecentis grauis armaturae militibus Graecis, quibus Xenias Parrhasius praeerat. Posteaquam Darius viuendi finem fecit, & Artaxerxes regno potitus est: Tissaphernes Cyrum apud fratrē criminatur, quasi is illi insidiaretur. Adhibet ille calumniis fidem, & Cyrum, interficiendi consilio, comprehē-

Darius cognomēto nothus.

†al. Artoxerxes.

Occasio fraterni discidij.

dit:sed matre precibus intercedente liberatur,& ad præ-
fecturam suâ remittitur. Is vbi periculo obiectus, & ad-
fectus contumelia,euasit: consilia init, quo pacto se de-
inceps e potestate fratris eximeret: atque etiam, si fieri
posset,eius loco regno potiretur. Et Parysatis, Cyri ma-
ter,magis hunc,quam Artaxerxem regem diligebat. Ipse,
si quis ad se missorum a rege veniret,eos omnes sic adfe-
ctos ab se remittebat: vt ei,quam regi, esse amici mallet.
Virtus Cyri minoris. Præterea barbaros,quos habebat secum, eo studio con-
docefaciebat: vt ad gerendum bellum idonei essent, &
ipsum beneuolentia complecterentur. Græcas copias
quam poterat occultissime cogebat, vt regem impara-
tissimum offenderet. Quoties igitur delectum haberet
eorum militum præsidiariorum, quicumque ei in vrbi-
bus erant,toties singulis eorum præfectis mandabat, vt
e Peloponneso & plurimos & optimos quosque euoca-
244 rent, quasi Tissaphernes vrbibus insidiaretur. Nam vr-
bes Ionicæ fuerant illæ quidem prius Tissapherni a re-
ge traditæ,sed hoc tempore omnes, excepta Mileto, ad
Cyrum defecerant. Quum enim Tissaphernes Mileti
præsensisset, Milesios eamdem ad Cyrum defectionem
moliri:partim eos occiderat,partim eiecerat.Hos Cyrus
in exsilium actos quum excepisset,exercitu comparato,
terra marique Miletum obsidebat, & eiectos reducere
conabatur. Atque hæc erat ei caussa cogendi militis al-
tera.Mittebat & ad regem,atque orabat,vt fratri potius
quam Tissapherni concedere in eas vrbes imperium
vellet: qua in re matris etiam studio adiuuabatur. Itaq;
accidit,vt rex insidias sibi strui non animaduerteret: sed
existimaret Cyrum idcirco copias alere,quia Tissapher-
ni bellum faceret, adeoque moleste non ferret, bellum
inter ipsos geri.Nam mittebat Cyrus tributum regi de-
bitum iis ex vrbibus, quas Tissaphernes habuerat. Co-
gebantur & aliæ copiæ Cyro in Cherroneso, e regione
Abydi, idque in hunc modum. Cum Clearcho Lacedæ-
monio exsule cōgressus Cyrus, admiratus est hominem,
ac decem millia Daricorum nummorum ei donauit.
Quo ille auro accepto, copias iisdem pecuniis cogit, ac
progressus e Cherroneso, Thracibus iis, quibus supra
Hellespontum sedes sunt, bellum infert. Quæ res quia
Græcis

Græcis commodo erat, etiam ſponte ſua ciuitates Helleſponticæ pecunias ad alendum hunc militem conferebant. Quapropter & hæ copiæ Cyro clam alebantur. Ariſtippus vero Theſſalus, hoſpes Cyri, quum domi factione aduerſaria premeretur, venit ad eum, externoſque milites ab eo circiter bis mille, cum trium menſium ſtipendio petit: quod ſe hoc pacto facile ſuperiorem inimicis fore confideret. Huic Cyrus ad quatuor millia conceſſit, & in ſex menſes ſtipendium: quum illud etiam peteret, vt prius cum aduerſariæ factionis hominibus non tranſigeret, quam ſecum conſilia communicaſſet. Atque hoc modo clam in Theſſalia quoque exercitus ipſi alebatur. Etiam Proxenum Bœotium, hominem amicum, cum quanto poſſet maximo militum numero venire iuſſit: quaſi vellet aduerſus Piſidas, agrum ipſius infeſtantes, exercitum ducere. Sophænetum quoque Stymphalium, & Socratem Achæum, hoſpites itidem ſuos, cum quanta maxima poſſent manu venire iuſſit, quaſi cum Mileſiis exſulibus Tiſſapherne̅ oppugnare vellet. Ac hi quidem ita faciebant. Cyrus quum in ſuperiorem Aſiam mouere ſtatuiſſet, cauſſam belli eam præ ſe ferebat, quaſi Piſidas vellet omnino ex regione ſua eiicere. Itaque aduerſus hos ſimulat ſe barbaricas & Græcas copias cogere, Clearchoque denuntiat, vt cum exercitu, quem haberet, ad ſe pergeret: & Ariſtippo, vt poſteaquam tranſegiſſet cum ciuibus, copias ſuas ad ſe mitteret. Xeniæ Arcadi, qui præerat copiis exteris, quas in ciuitatibus alebat, imperat: vt ad ſe cum ſuis veniret, relictis iis, qui tuendis arcibus ſatis eſſent. Arceſſiuit & illos, qui Miletum obſidebant, ipſoſque Mileſios exſules expeditioni adeſſe iuſſit: policitus ſe, ſi bellum, quod tunc ſuſciperet, ex ſententia conficeretur, non conquieturum prius, quam eos domum reduxiſſet. Parebant illi perlubenter, quippe qui Cyro fidem haberent, ac ſumtis armis Sardes acceſſerunt. Eodem Xenias cum iis, qui ex vrbibus colligebantur, quatuor fere peditum grauis armaturæ millibus venit: Proxenus cum grauis armaturæ militibus, mille quingentis, & quingentis expeditis: Sophænetus Stymphalius, cu̅ grauis armaturæ mille: Socrates Achæus, cum grauis

245

Cyri minoris copiæ

armaturæ circiter quingentis : Pasio Megarensis cum
septingentis fere venit. Erat autem hic cum Socrate de
illorum numero, qui Miletum oppugnabant. Atque hi
quidem Sardes ad Cyrum veniebant. Quæ Tissapher-
nes quum animaduertisset, adparatum maiorem arbi-
tratus, quam qui aduersus Pisidas institueretur : quam
celerrime poterat, cum quingentis equitibus ad regem
contendit. Rex posteaquam de exercitu Cyri ex Tissa-
*Tertia pherne cognouit, & ipse ad bellum se parat. Cyrus cum
statione. iis, quas dixi, copiis Sardibus mouet, & per Lydiam *ter-
† Plethrũ tiis castris parasangas viginti duas progressus, ad Mæan-
Suidæ spa- drum fluuium peruenit. Is latitudinem duum †plethro-
tium 100. rum habet, & ponte, quem nauigia septem sustinebant,
pedũ: He- erat iunctus. Hunc quum traiecisset, per Phrygiam ca-
rodoto, stris vnis, parasangis octo confectis, Colossas venit, vrbẽ
sexta sta- incolis frequentem magnam & opulentam. Heic dies
dij pars. septem quum substitisset, Meno Thessalus cum mille
246 grauis armaturæ peditib. venit, cetratis quingentis, qui
Dolopes, & Ænianenses, & Olynthij erant. Inde castris
tertiis Parasangas viginti pergit Celænas, vrbem Phry-
giæ frequentem incolis, magnam, opulentam. Erat heic
Cyro regia, & ingens hortus, refertus feris belluis, quas
eques ipse insectabatur, si quando seipsum & equos ex-
ercere vellet. Medium hortum Mæander fluuius perla-
bitur, cuius fontes ex ipsa regia oriuntur. Amnis ipse et-
iam per Celænas oppidum fluit. Est & magni regis mu-
nita Celænis regia, ad Marsyæ fluminis fontes, sub arce.
Labitur hic quoque per vrbem, & in Mæandrum sese ex-
onerat, & quinque ac viginti pedum latitudinem habet.
Heic Apollo Marsyam victum ab se dicitur excoriasse,
quum is de sapientia cum ipso contenderet, ac in antro
cutem suspendisse, ex quo sunt amnis fontes. Ea caussa
est, cur fluuius Marsyę nomen habeat. Hoc loco Xerxes,
quum pugna victus retrocederet e Græcia, regiam hanc,
& Celænarum arcem, exstruxisse dicitur. Cyrus heic tri-
ginta dies mansit, intra quos Clearchus Lacedæmonius
exsul cum peditibus mille grauis armaturę, & octingen-
tis cetratis e Thracia, ducentisque sagittariis Cretensi-
*al. So- bus ad eum venit. Aderat & * Sosia Syracusanus cũ mille
crates. grauis armaturæ militibus, itemque Sophænetus Arcas
cum

cum mille grauis armaturæ militibus. Heic Cyrus Græcum in horto militem recensuit, atque in vniuersum censa sunt armaturæ grauis militum XI millia, cetratorum fere duo. Inde castris alteris, parasangas decem progreditur ad oppidum incolis frequens Peltas, vbi dies tres commoratus est, quibus Arcas ille Xenias Lupercalia institutis sacrificiis & ludis celebrauit: victoribus præmia erant aureæ strigiles. Ludos etiam Cyrus ipse spectabat. Hinc pergit alteris castris, duodecim parasangas, ad Forum Ceramorum, vrbem incolis frequentem, vltimam terræ Mysiæ. Inde castris tribus, triginta parasangas ad Caystri campum procedit, vrbem frequẽtem. Heic dies quinque commoratus est, & quum militi trimestre stipendium, atque eo maius deberetur, frequẽs ille postulatum hoc ad portas aderat. Cyrus autem adeuntes non nisi spe proposita consolabatur, neque sollicitudinem animi dissimulare poterat. Nec enim erat is Cyri mos, vt quoties haberet stipendia, non ea daret. Interim * Epyaxa Syennesis Cilicum regis vxor, ad Cyrum venit, quæ illi magnam pecuniæ vim dare ferebatur. Itaque tunc exercitui Cyrus salarium quatuor mensium persoluit. Habebat secum hæc fœmina Cilicum & Aspendiorum satellitum comitatum, ac Cyrus consuescere cum ea dicebatur. Inde castris alteris, parasangas decem progreditur ad oppidum frequens, cui nomen † Thymbrium. Heic propter viã fons erat, qui Midæ Phrygum regis fons dicebatur, & ad quem Midas Satyrum illum venatus esse fertur, quum fontem vino miscuisset. Hinc castris alteris, parasangas decem pergit ad frequens oppidum Tyriæum, quo loco triduum mansit, rogasseq; Cyrum Ciliciæ regina perhibetur, vt sibi exercitũ ostenderet: quod quum ille facere cogitaret, tam Græcos, quam barbaros in campo lustrabat. Græcis autem mandabat, vt more suo ad pugnam instructi starent, ac quisque suos disponeret. Itaque in quaternos dispositi sunt, & dextrum quidem Meno cum suis obtinebat, læuum cum suis Clearchus, in medio ceteri duces erant. Cyrus primum barbaros spectabat, qui in turmas & cohortes instructi ꝓgrediebantur: deinde Græcos, quos ipse in curru præteruehebatur, Cilissa vero in carpento. Habebant

247

* al. Epyanaxa

Epyaxa Ciliciæ regis vxor.

† *Supra vocatur Thymbraia. pag. 169.*

Midæ fons, ad quem Silenus olim captus.

autem omnes æreas galeas, & tunicas puniceas, & ocreas, & scuta detersa. Quũ præteruectus omnes esset, currum ante phalangem mediam sistit, ac Pigrete interprete ad Græcorũ duces misso, mandat: vt arma infesta obuerterent, totamque phalangem promouerent. Atque illi quidem militibus hæc denuntiabant. Vbi classicum cecinisset, armis obuersis, procedebant: quumq; celerius cum clamore progrederentur, vltro milites ad tabernacula cursu se conferebant. Barbari vero quum alij terrebantur, tum Cilissa fugiebat e carpento, & turba forensis relictis rebus venalibus itidem est dilapsa, Græcis cum risu ad tabernacula se recipientibus. Cilissa splendorem atque ordinem copiarum, quem viderat, admirabatur. Cyrus vero magnam voluptatem cepit, quum barbaris metum a Græcis iniectum cerneret. Inde castris tribus, viginti parasangas progreditur ad vltimã Phry-

Græci terrorẽ aliis per iocum incutiunt.

248 giæ vrbem Iconium. Heic triduum cõmoratus, per Lycaoniã castris quinq; triginta parasangas progreditur. Huius regionis agrum Græcis deripiendum concessit, quod hostilis esset. Hinc Cyrus in Ciliciã via breuissima Cilissam, adiunctis ei militibus Menonis, & ipso etiam Menone Thessalo, dimittit. Cum cæteris per Cappadociam castris quatuor, viginti & quinq; parasangas progreditur ad frequentem incolis vrbem, eamdemq; tum amplam, tum opulentam, Danam. Heic triduum substitit, & interea Megaphernem, hominem Persam, regium purpuræ tinctorem, & alium quemdam magnæ inter præfectos potentiæ, insidiarum ab ipsis sibi structarum titulo interfecit. Hinc in Ciliciam irrumpere conabantur. Verum qua irrumpendũ erat, via est plaustro tantum peruia, præceps admodũ, & exercitui non penetrabilis, si quis arceat. Et Syennesis aditum summis in iugis custodire ferebatur. quæ caussa fuit, cur in planicie diem vnũ subsisteret. Postridie nuntius venit, qui reliquisse vertices Syennesim renuntiabat, posteaquam animaduertisset, Menonis copias cis montes in Cilicia esse, ac Tamon audisset cum Lacedæmoniorũ & ipsius Cyri triremibus in Ciliciã ex Ionia nauigare. Cyrus nemine prohibente montes conscendit, & conspectis tabernaculis, in quibus Cilices iuga custodiuerant, magnam in planiciem des-

Aditus Ciliciæ difficiles.

ciem des-

ciem descendit, eamque amœnam & irriguam, omnis generis arboribus ac vitibus plenam, sesamique, panici, milij, tritici, hordei feracem. Hanc mons vndique munitus & arduus a mari ad mare amplectitur. Quum descendisset, per istam planiciem quatuor castris parasangas quinque & viginti progressus, Tarsum venit, amplam Ciliciæ opulentamque vrbem. Heic regia Syennesis Cilicum regis erat, ac per vrbem mediam fluuius labitur, cui nomen Cydnus, duum plethrorum latitudine. Hac incolæ, vna cum Syennesi, deserta, munitum ad locum in montes fugerunt: exceptis iis, qui stabula cauponasve tenerent. Nec illi fuga dilapsi erant, qui propter mare Solos & Issos oppida inhabitabant. Epyaxa quidem, Syennesis vxor, quinque ante Cyrum diebus Tarsum venerat: quæ dum montes ad planiciem tendentes superaret, duo de Menonis exercitu
cunei periere: quos aiebant alij quadam in direptione 245
a Cilicibus fuisse cæsos: alij, relictos a tergo, quum reperire copias ceteras, & vias non possent, sic deinde palantes periisse. Et erant hi grauis armaturæ milites centum. Reliqui, posteaquam Tarsum venere, diripiunt vrbem, ira propter commilitonum cladem accensi, ipsamque cum vrbe regiam. Cyrus vrbem ingressus eques, Syennesin ad se arcessit. Ille, quod ne antehac quidem se potentioris alicuius in manus venisse diceret, venire tum quoque prius ad Cyrum recusabat: quam suasu vxoris adductus esset, & fidem ab Cyro accepisset. Post hæc congressi quum essent, Syennesis Cyro ingentem pro exercitu pecuniam donat, & Cyrus illi vicissim ea munera, quæ magni sunt apud reges pretij: nimirum frænis aureis insignem equum, & torquem aureum & armillas, & acinacem aureum, cum vestitu Persico. Præterea non amplius agrum direptum iri, ac direpta mancipia, sicubi in ea incidisset, recepturum. Heic Cyrus cum exercitu dies xx substitit, quod negarent se milites vlterius perrecturos. Iam enim suspicabantur, contra regem seduci, aduersus quem stipendio se conductos negabat. Clearchus primus suos vi propellere, vt pergerent, volebat. At illi tum in ipsum procedere incipientem, tum ipsius iumenta lapides cōiiciunt.

Clearchus pene a suis opprimitur.

Quo factum, vt parum abesset, quin lapidibus obrueretur. Tamdem quum vi se nihil perfecturum animaduerteret, militem suum ad cōcionem vocat: ac primum diu multis cum lacrumis stabat, quod quidē illi quum cernerent, cum silētio mirabantur, deinde in hunc modum est loquutus: Ne vobis mirum sit, milites, me præsentem rerum statum grauiter molesteq; ferre. Cyrus enim hospitij ius mecum iniit, meque exsulantem a patria quum aliis ornauit honoribus, tum Daricorum nummum x millibus donauit. Eos posteaquam accepi, non in commodum meum, nec voluptatem meam verti, sed in vos expendi. Ac primum quidem Thracibus bellum intuli, & vobiscum eos, Græciæ caussa suscepta, sum vltus. Nam quum Græcis colonis Cherronesum eripere vellent, ego hoc ipso eos agro expuli. Posteaquam deinde me Cyrus arcessiuit, vobiscum ad eum veni, vt pro ipsius in me beneficiis ei, si ita vsus posceret, commodarem. Nunc
250 quum vos nobiscum hoc iter suscipere non velitis, ac me necesse sit vel vobis desertis amicitia Cyri vti, vel spem illius frustratum vobiscum esse: tametsi haud scio, an iuste facturus sim, nec ne: vos quidem certe præferam, vobiscum quidquid opus erit, feram. Nec vmquam quisquam dicturus est, me postea, quam Græcos barbaricum in solum abduxerim, desertis ipsis amicitiam barbarorum amplexum esse: sed quia vobis morem mihi gerere, ac me sequi non lubet, sequar ego vos, ac quidquid ferendum erit, feram. Vos ego mihi patriam, vos amicos, vos socios duco: vobiscum, vbicumque fuero, honoratum me fore existimo: a vobis si destitutus sim, neque vel amico quidquam adferre me commodi posse arbitror, vel hostem vlcisci. Quamobrem ea vos esse in sententia debetis, iturum me, quocumque vos perrexeritis. Hæc ille ait. quæ quū & ipsius, & ceteri milites audiissent; laudarunt id, quod diceret, aduersus regem se nō proficisci. A Xenia quidem, ac Pasione, plures duobus millibus, sumtis armis & impedimentis, in Clearchi castra transierunt. Cyrus ob hæc inops cōsilij & mæstus, Clearchum ad se vocabat. Is iturum se quidem negabat, sed clam tamen militibus misso ad ipsum nuntio, præsenti vt animo sit, hortatur. Nam fore, vt hæc ita, vti expediat,

pediat, componantur: se modo iterum arcesseret, quan-
tumuis se venturum negaret. Post hæc conuocatis in cõ-
cionem militibus tam suis, quam qui ad ipsum se con-
tulerant, atq; etiam ex aliis, cuicumq; liberet, huiusmo-
di orationem habuit: Ea nos, mei milites, policeri nobis
de Cyro iam debemus, quæ sibi de nobis ipse policetur.
Nam neq; nos amplius Cyri milites sumus, quum ipsum
non sequamur: neque nobis ille stipendium numerat.
Scio equidem illum existimare, iniurios nos in ipsum es-
se: quo fit, vt tametsi me arcessat, venire tamen nolim:
maxime, quia pudet me mihimet esse conscium, dece-
ptum illum a me prorsus esse. Deinde metuo, ne si me
cõprehenderit, ob ea me multet, quæ a me per iniuriam
existimat in se commissa. Quamobrem nobis hoc tem-
pore minime dormiendum arbitror, ne nos ipsos negli-
gamus: sed deliberandũ, quid deinceps facturi simus. Ac
si quidem heic manebimus, considerandum existimo,
quo pacto quam tutissime mansuri simus: sin disceden-
dum videtur, quo pacto quam minimo cum periculo
discesserimus, etiam a commeatu satis instructi. Nam
absque hoc sit, nec imperatoris, nec priuati militis vsus
vllus fuerit. Et Cyrus, cui quidem amicus est, quan- 251
tiuis est amicus pretij: grauissimus autem hostis il-
li, cum quo inimicitias exercet. Præterea copias pe-
destres, & equestres, & nauales habet, quas nos omnes
pariter & videmus ante nos, & nouimus. Nam prope mi-
hi ab ipso videmur cõsidere. Quapropter tempus est in-
dicandi, quod quisq; factu optimũ esse statuit. Hæc lo-
quutus, dicendi finẽ fecit. Deinceps surgebant alij quidẽ
sua sponte, sententiam suam exposituri: alij iussu Clear-
chi, quanta difficultas futura esset, demõstrabant: si præ-
ter Cyri voluntatem vel manere, vel discedere vellent.
Vnus quidam properationẽ simulans, vt quamprimum
Græciam versus iter faceret, ait quamprimum deligen-
dos esse prætores alios, si Clearchus ipsos recusaret ab-
ducere: cõmeatum emendum esse, (& erat barbarorum
in exercitu rerum venalium forum) ac vasa colligenda.
Eundum deinde ad Cyrum, petitũ nauigia, quibus auehe-
herentur. Quod si ea non daret, postulandũ ab Cyro du-
cem esse, qui per regionem pacatã eos abduceret. Quod

si ne ducem quidem daret, quamprimum struendā esse aciem, ac mittendos, qui montium vertices antecaperent: vt nec Cyrus nos anteuertat occupandis hisce iugis, nec Cilices quorū permultos habemus, multis cum opibus abreptos. Huiusmodi fuit illius hominis oratio, post quem Clearchus tantum dixit: Nemo vestrū dicat mihi de imperatorio munere suscipiendo, quod permulta videam, quamobrem id fieri per me non debeat: sed vt ei, quem vos delegeritis, pro viribus obtemperem: quo videatis, me alterius imperio parēdi scientia, nemini mortaliū cedere. Post hunc surrexit alius, qui partim eius stoliditatem cōmonstrabat, qui poscendas naues esse dixerat a Cyro, velut expeditionem aliam deinceps non suscepturo; partim cōmonstrabat, quam stultum esset, ducem ab eo petere, cuius nos, inquit, institutū ad nihilum redigimus. Quod si duci fidem habebimus, quem nobis Cyrus dederit: quid vetat, quo minus etiam vertices ipsos nobis occupari ab Cyro iubeamus? Equidem naues conscendere, quas ille nobis dederit, plane reformidauero, ne cum ipsis nos triremibus demergat. Itidem sequi ducem metuero, quem ille nobis adiunxerit: ne nos eo ducat, vnde non sit exeundi facultas. Malim inuito Cyro clam discedere, sed hoc fieri nequit. Quamobrem has equidem nugas esse censeo. Quin potius arbitror debere
252 nonnullos homines idoneos vna cum Clearcho Cyrum conuenire, qui de ipso quærant, quam ad rem nostra vti opera velit. Quod si nihil a nobis aliud, quam a conducticiis militibus antehac petet: sequamur censeo, nec iis ignauiores simus, qui prius iter hoc cum ipso susceperūt. Sin erit res maior, quam prior illa, grauiorisq; tum laboris, tum periculi: petamus, vt vel nos suam in sententiam pertractos secum ducat, vel ipse nostram in sententiam concedens, in regionem pacatam nos dimittat. Sic enim fiet, vt siue sequamur ipsum, amicis & alacribus animis sequuturi simus: siue discedamus, tuto simus discessuri. Quidquid ad hæc responderit, huc renuntiandum censeo: quod vbi nos audierimus, nostra ad id consilia facile accommodabimus. Hac sentētia comprobata, lectos homines cum Clearcho mittunt, qui Cyrum de iis, quæ decreuerat exercitus, interrogabant. Respondebat ille,

audire se, hostem suum Abrocomam ad fluuium Eu-
phratem esse, ad quem perueniri castris duodecimis pos-
sit. Aduersus hunc velle se pergere, ac si quidem istic *Cyrus cõ-*
eum offendat, pœnas se de ipso sumturũ: sin fugæ se de- *siliũ suum*
derit, nos istic, ait, de re tota consultabimus. Hæc audi- *dißimu-*
ta militibus illi delecti renuntiant. Milites vero, licet su- *lat.*
spicarẽtur, Cyrum aduersus regẽ ducere: tamen sequen-
dum decernebant. Quumq; stipendium amplius posce-
rent, Cyrus se salarij pristini sesquiplum daturum omni-
bus policetur, nimirũ pro nummo Darico tres dimidia-
tos Daricos menstruos in singulos milites. Duci autem
ipsos aduersus regem, ne quidẽ ibi quisquã audiuit pu-
blice. Hinc castris alteris, x parasangas ad * Pharum flu- * *Al. Psa-*
mẽ pergit, cuius est trium plethrorum latitudo. Inde ca- *rum.*
stris vnis, parasangas v progreditur, ad Pyramum flu-
uium, cuius æquat latitudo stadium. Inde castris se-
cundis x v parasangas progressus, Issos vrbem extre-
mam Ciliciæ, maritimam, frequentem incolis, amplam
& opulentã, venit. Heic dies tres substitit, quibus ad Cy-
rum ex Peloponneso xxxv naues venere, quarum erat
nauarchus Pythagoras Lacedæmonius. Dux earum inde
vsq; ab Epheso Tamos Ægyptius erat, qui naues etiã alias
Cyri xxv adducebat, quibus Miletum obsederat: quod
vrbs ea Tissapherni fauerat, aduersus quẽ cum Cyro Ta-
mos bellũ gerebat. Aderat itẽ iis in nauib. Cherisophus
Lacedæmonius, euocatus a Cyro, cũ ıↄcc grauis arma-
turæ militibus, quorũ apud Cyrum duxerat. Naues ipsæ
propter Cyri tentoriũ adpulerunt. Hoc loco etiã stipen- 253
diarij Græci cccc grauis armaturæ, qui * Abrocomæ *Al. Aere-*
militabãt, ab eo deficiunt, & contra regem signa Cyri se- *comæ, quæ*
quuntur. Hinc vnius itinere diei parasangas v cõficit, ad *diuersitas*
portas vsq; tum Ciliciæ, tum Syriæ. Erãt hæ duo castella, *etiam de-*
quorũ citerius obuersum Ciliciæ, Syennesis ac Cilicum *inceps re-*
præsidiũ tenebat: vlterius obuersum Syriæ, dicebatur re- *peritur.*
gis præsidiũ custodire. Medio inter hæc loco * Cersus a- * *Al. Car-*
mnis fluit, latitudine plethri. Totum vero spacium inter *sus.*
castella medium, triũ erat stadiorũ, neq; transiri vi pote-
rat. Nam transitus angustus erat, ac muri ad mare perti-
nebãt, & saxa desuper erãt inaccessa. Supra castellũ vtrũq;
fauces illæ siue portæ prominebãt. Hic erat ille trãsitus,

cuius caussa naues Cyrus adduci iusserat: quo trãsmissis citra & vltra portas grauis armaturæ peditibus, atq; hostibus loco pulsis, transire possent, si quos forte Syriacas portas præsidio tuentes reperissent. Nam hoc facturum Abrocomam Cyrus, instructum magnis copiis, arbitrabatur. Non tamen hoc fecit Abrocomas, sed quod Cyrum in Cilicia esse audierat; relicta Phœnicia, perrexit ad regem cum trecentis hominum millibus, quemadmodum quidem ferebatur. Inde per Syriam vnius itinere diei parasangas v. confecit Myriandrum vsque Phœnicum vrbem maritimã. Hic locus emporium erat, quo tunc onorariæ naues permultæ adpulerant. Heic ad septimum vsque diem substiterunt, & dux ille Xenias ex Arcadia, cum Pasione Megarensi, conscensa naui, & in eam maximi pretij rebus impositis, discesserunt, æmulatione ducti, quemadmodũ compluribus videbatur, quod milites suos qui ad Clearchum se contulerant, quasi qui essent in Græciam redituri, ac non aduersus regem perrecturi, penes Clearchũ manere Cyrus permitteret. Quum prorsus ex hominum se conspectu subduxissent, rumor est diditus, quasi triremibus eos Cyrus persequeretur: & nonnulli optabãt, vt quia fraude mala egissent, caperentur: alij, ne caperentur, ex commiseratione metuebant.
„ Cyrus autem, collectis ducibus, ait: Deseruere nos Xe-
„ nias & Pasio, verum certo sciant, nec clã se fugisse, quum
„ egomet, quo secesserint, norim: nec effugisse, quũ mihi
„ triremes sint, quibus ipsorum nauigium capere possum.
„ Sed ego ipsos profecto non persequar, neque quisquam
„ dicturus est, me hominũ opera, dum adsunt, vti, postea-
254 quam abire voluerint, comprehensos & lædere, & fortu-
„ nis suis spoliare. Abeant vero, ac se sciant iniquius nobis-
„ cum, quam nos cum ipsis agere. Nam equidẽ ipsorum
„ & liberos & vxores Trallibus præsidio septos habeo, qui-
„ bus ipsis etiam non carebunt, sed virtuti erga me pristi-
„ næ condonabuntur. Hæc Cyrus ait. At e Græcis, si qui erant minus ad expeditionem alacri animo, perspecta ipsius virtute, lubentius & alacrius eum sequebantur.

Pisces pro Diis habiti.

Post hæc Cyrus castris quartis, parasangas xx ad Chalum fluuium, cuius erat vnius plethri laditudo, progreditur. Erat is magnis mansuetisque piscibus refertus, quos Syri pro Diis

pro Diis habebant, neque lædi eos patiebantur, ſicuti ne columbas quidem. Vici, in quibus caſtra metabantur, Pariſatidi erant ad vitæ ſumtus adtributi. Hinc caſtris quintis, paraſangas triginta ad Daradacis fluuij fontes pergit, cuius erat vnius plethri latitudo. Heic Beleſis erat regia, qui Syrię cum imperio præfuerat, & ingens admodum elegansque hortus, quo continebantur omnia, quæcumque anni tempora proferunt. Hunc Cyrus excidit, & regiam cremauit. Inde caſtris tertiis, paraſangas quindecim ad Euphratem fluuium procedit, cuius erat quatuor ſtadiorum latitudo. Ibidem vrbs ampla & locuples erat, cui nomẽ Thapſacus. Heic dies quinque ſunt commorati, & Cyrus arceſſitis Græcorum ducibus, iter hoc inſtitui Babylonem aiebat aduerſus magnum regẽ, idque tum dici militibus iubet, tum perſuaderi eiſdem, vt ſequerentur. Illi coacta concione, quum hæc renũtiarent, milites, ducibus ſuccenſebant, & aiebant hæc ipſos dudum perſpecta habuiſſe, atque occultaſſe. Negabant itidem progreſſuros ſe, niſi data pecunia, quæ illis Græcis data fuiſſet, qui cum Cyro ad patrem prius iter fecerant: præſertim quum illi nullam ad pugnam exiiſſent, ſed patre Cyrum arceſſente. Hæc Cyro renuntiant duces, qui ſe in ſingulos daturum minas argenti quinque policetur, quamprimum Babylonem veniſſent: itemq; ſtipendium integrum, tam diu, donec ipſos in Ioniam reduxiſſet. Huic condicioni bona Græcorum pars adquieuit. Meno autem prius, quam pateret, quid milites ceteri facturi eſſent, ſequuturi ne Cyrum, an non: copias 255
ſuas ſeorſum cogit, & hac eos oratione cõpellat: Si mihi parueritis, milites, nullo nec periculo, nec labore veſtro conſequemini, vt maiori vos Cyrus honore, quam ceteros milites, adficiat. Quid ergo faciundum cenſeo? Rogat nunc Cyrus, vt aduerſus regem ſe Græci ſequantur. Ego vero aio debere nos Euphratem fluuium traiicere prius, quam quid reliqui Græci reſpõſuri Cyro ſint, conſtet. Quod ſi decreuerint, ſequendum eſſe: vos illi totius rei auctores exſtitiſſe videbimini, a quibus traiiciẽdi factum fuerit initium: atque adeo gratiam vobis Cyrus, vt gratificandi ſibi ſtudioſiſſimis, habebit ac referet: quod quidem ſi quiſquam alius, ipſe certe facere nouit.

Sin ceteri ſecus ſtatuerint, vniuerſi quidem domum re-uertemur: ſed vos tamen, vt ſolos dicto audientes, fidiſſimorum loco habebit, & ad præſidia, & ad præfecturas cohortium: ac ſi quidem aliud etiam quid fuerit, quod requiretis, ſcio vos ab Cyro veſtri ſtudioſo impetraturos. Quæ quum illi audiſſent, obtemperebant: ac prius, quam alij reſponderent, traiiciebant. Quos vbi Cyrus transmiſiſſe animaduerteret, magnam voluptatem cepit, ac ſtatim ad eas copias Glun cum his verbis miſit: Equidem vos iam laude [illegible]etum vt vos viciſſim me laudetis, mihi curæ erit, aut pro Cyro me non amplius habebitis. Milites magna ſpe concepta, fauſta, feliciaq; ipſi omnia precabantur. Menoni etiam magnifica munera

Cyrus Euphratem ſine nauigiis traiiciens. miſiſſe ferebatur. Quibus peractis, & ipſe tranſmittebat, & vniuerſus eum exercitus ſequebatur: ac nemo ex iis, qui amnem traiiciebant, ſupra mamillas madefactus fuit, adfirmantibus Thapſacenis, numquam alias id flumen pedibus tranſmiſſum fuiſſe, quam hoc tempore, quippe quod nauigiis tantum traiiciatur, quæ præcedẽs ante ipſos Abrocomas exuſſerat, ne Cyrus traiiceret. Res quidem ipſa diuinitus accidere viſa eſt, quaſi fluuius ipſe Cyro regnaturo cederet. Deinceps per Syriam progreditur caſtris IX, paraſangas L, & ad Araxem fluuium perueniunt. Heic vici multi erant, frumento & vino referti. quamobrem triduum ibidem hærent, & commeatum

Arabiæ deſcriptio. comparant. Hinc per Arabiam, quum Euphratem haberet ad dextram, caſtris quinque, paraſangas XXXV per ſolitudinem conficit. Hoc loco planicies tota maris inſtar æquabilis erat, abſinthio plena. Si quid aliud habebat vel fruticeti, vel arundinum, ea vero vniuerſa inſtar aromatũ erant fragrantia. Arbor quidem certe nul-

256 la erat. Ex feris habebat ſilueſtres aſinos quamplurimos,

Aſini ſilueſtres Arabiæ. & ſtruthiocamelos grandes haud paucos. Erant heic & otides & damæ. Atque has feras equites nonnunquam inſectabantur. Aſini quidem iſti, ſi quis perſequeretur, præcurrebant, ac deinde reſtitabant, quod multo velocius equo currerent: & rurſus equo propius accedente, idem factitabant. Itaque capi non poterant, niſi ex interuallo diſtarent equites, atq; aliis alij ſuccedentes, eos venando vrgerent. Si quæ caperentur, carnes habebant

cerui-

ceruinis quidem illas consimiles, sed aliquanto teneriores. Struthiocamelũ nemo cepit, adeoq; qui persequuti eos fuerãt equites, cito desierunt. Nam volando fugiebat, quum & pedum cursu, & alis expansis pro velo vteretur. Otidas, si quis celeriter suscitet, licet capere. Nam breue ad interuallum tamquam perdices volant, & celeriter defatigantur. Carnes harũ suauissimæ erant. Facto per hãc regionem itinere, ad Mascam fluuiũ perueniunt, cuius erat latitudo plethri vnius. Heic vrbs erat ampla quidẽ illa, sed deserta, cui nomen Corsote, & quã Mascas vndiq; circumfluebat. Manserunt hoc loco triduũ, & exercitui frumẽtatione prospiciebatur. Hinc castris decimistertiis, per loca deserta parasangas nonaginta cõficit, Euphratem fluuiũ ad dextram retinens, & ad Portas siue fauces montium peruenit. In his stationibus multa iumẽta fame peribãt. Nam neq; pabulũ heic erat, neq; vlla vsquam arbor: sed regio vniuersa nuda erat & vacua. Incolę vero lapides molares propter flumẽ effodiebant, & formatos, Babylonemq; vectos vendebãt: proq; hoc pretio frumẽto comparato, vitã sustinebant. Iam frumentũ milites defecerat, neq; coemendi eius facultas erat reliqua, nisi in foro Lydio, illorum barbarorum in castris, qui Cyrum sequebãtur: vbi farinę capitha siclis quatuor vẽdebatur. Siclus septẽ Atticis obolis & semisse valet, ac duos chœnices Atticos capitha cõtinebat. Quamobrem se carnibus milites sustentabant. Et nonnullæ ex his stationibus admodum longo ex interuallo distabant, quoties vel ad aquam, vel ad pabulũ quærendum durare suos volebat. Quin aliquando, quũ vias angustas, lutumq; offenderent, quod a plaustris penetrari non posset, Cyrus cum eis, quos secum habebat præstantissimos & fortunatissimos, restitit: ac Glun Pigretemq; cum barbarorũ copiis, extrahere de luto plaustra iussit. Quum autem illi hoc lente Cyro facere viderentur, quasi indignabundus summa penes se auctoritate Persas currus expedire celeriter coniũctis operis mãdabat. Heic vero non omnino nullum parentis imperio modestiæ indicium videre licuisset. Nam purpureis vestibus, quas cãdyas vocãt abiectis eo loco, quo forte quilibet stabat, quasi quispiã de victoria curreret, collẽ ad-

Struthiocameli.

Cyri apud suos auctoritas.

257

modum etiam præcipitem subibant: quum magni pretij tunicas haberent, & variis coloribus caligas, nonnulli etiam torques circa collum, & circum manus armillas. Nihilominus statim cum his in lutum insilientes, citius opinione cuiusquã plaustra in sublime sublata exportabant. Ad summam, res ipsa declarabat, Cyrum itineri festinationem addere, neque diutius vsquam hærere, nisi si frumentationis vel alterius necessariæ rei caussa alicubi subsisteret. Existimabat enim, tanto se imparatiore cum rege dimicaturum, quanto celerius ipse accessisset: quanto autem tardius, tanto maiores regi copias coactum iri. Neque non intelligere poterat, quicũque rem attentius consideraret, regis imperium regionis quidem illud amplitudine, hominumque copia firmum esse: verum & ob itinerum prolixitatem, & quia copiæ hinc inde diuulsæ sint, idem illud imbecillum esse, si quis celeriter bellum gerat. Vltra Euphratem, versus illas stationes desertas, tum opulenta tum magna vrbs erat, cui nomẽ Carmanda. Ex hac sibi milites commeatum comparabant, quum ratibus opera tumultuaria confectis in hunc modum vterentur. Pelles eas, quibus vtebantur pro tegumentis, leui fœno referciebant, ac deinde suturis artius iunctis prohibebant, ne aqua pertingere ad paleas posset. His ergo traiiciebant, commeatumque comportabant: videlicet vinum ex palmulis factum, & panici frumẽtum. Nam huius in ea regione maxima erat copia. Ceterum orta inter Menonis & Clearchi milites hoc loco controuersia, Clearchus Menonis militem, iudicio suo illatæ reum iniuriæ, verberibus cædi iussit. Is ad exercitum suum reuersus, rem exponit. Quo milites cognito, moleste ferebant, & Clearcho succensebant grauiter. Eodem die Clearchus, quum ad traiectum fluminis accessisset, foro venalium rerum ibidem inspecto, ad tabernaculum suum per Menonis castra cum suis perpaucis equo reuehebatur. Cyrus autem nec dum venerat, sed adhuc erat in itinere, vt accederet. Quum vero quidam e Menonis militibus ligna scinde-
258 ret, viso Clearcho, qui eques transiret, securim in eum coniicit, & ab illo quidem hic aberrat: verum alius eum lapide petebat, & item alius, excitatoque clamore permulti.

Cyri celeritas expedita.

Lis inter Clearchi & Menonis milites orta.

multi.Clearchus ſua in caſtra fuga elabitur,ac ſtatim arma capi mãdat, grauiſque armaturæ militibus iſtic ſubſiſtere iuſſis, & ante pedes ſcuta collocare: cum Thracibus & equitib. ipſe, quos in agmine ſuo ſupra quadraginta habebat, & eos maxima ex parte Thraces, ſic aduerſus Menonis milites prouehitur,vt & illi terrore percellerentur, & Meno etiam ipſe:aliis ad arma concurrẽtibus,aliis ſtantibus, & quid in re nec opinata facerent, ignorantibus. Proxenus autem qui tamdem forte cum grauis armaturæ militum acie acceſſerat, ſtatim ductis inter vtroſque copiis,arma deponebat, & Clearchũ rogabat,ne hæc faceret. Ferebat ille grauiter, quod cũ parum abfuiſſet, quin lapidibus obrutus periſſet, lenibus verbis in illo acerbo caſu ſuo vteretur. Denique de medio excederet,iubebat. Interea quum aduenisset Cyrus, *Cyrus litẽ componit.* ac rem totam percepiſſet, mox ſumtis in manus armis, vna cum maxima illorum manu, qui aderant, in mediũ aduehitur, & huiuſmodi quædam inquit: Neſcitis plane,quid agatis,Clearche,tuque Proxene,ac Græci ceteri,qui adeſtis. Nam ſi prœlio inter vos congrediemini, exiſtimare debetis, & me hoc ipſo die, & vos non multo poſt,ad internecionem cæſum iri. Nam ſi non recte noſtræ res adfectæ fuerint,omnes hi barbari,quos cernitis, *nobis infenſiores erunt: quam ij qui regis partes tuentur. **Vobis. Vel ἡμῖν in Græco ſcribendum. Æ.P.* Quæ verba quum Clearchus audiiſſet,ad ſe rediit:& ambo,facto iraſcendi fine, arma deponebãt.Inde quum procederent,ex equorum veſtigiis & ſtercore, quæ conſpiciebantur, coniecturam faciebant, fuiſſe iſtic equorũ ad duo millia. Hi præeundo tum pabulum, tum ſi quid aliud eſſet vſui futurum,exurebant.Erat quidam Orontas Perſa,qui genere familiam regis adtingebat, & inter Perſas rerum bellicarum peritia excellere ferebatur. Is Cyro inſidias facere inſtituit. *Orontæ proditio.* Ac tametſi etiam ante hoc tempus arma contra Cyrum ceperat, tamen modo reconciliatus aiebat: ſi mille ſibi equites traderet, aut ſtructis inſidiis equites illos incendiis omnia vaſtantes ſe interemturum, aut multos in poteſtatem ſuam viuos redacturum: prohibiturumque, ne accedendo reliqua incenderent: facturum denique ne vlli vmquam renuntiare regi poſſent, quod vidiſſent Cyri exercitum. Quæ

259 quum audiisset Cyrus, visa ei sunt e re sua futura. Quamobrem iussit, vt a singulis ducibus copiarum partem acciperet. Orontes qui existimaret paratos sibi equites fore, literas ad regem scribit, venturum se cum equitatu quam posset maximo: saltim dici iuberet equitibus suis, vt se tamquam amicum exciperent. Eadem in epistola pristinam regi amicitiam ac fidem in memoriam reuocabat, eamque homini, quemadmodum ipse existimabat, fideli tradebat. Is quum primum eam accepisset, Cyro ostendit: qui ea lecta, comprehendit Orontam, & ad tabernaculum suum Persas septem, auctoritate apud se præstantissimos, arcessit: Græcorumq; duces iubet grauis armaturæ milites adducere, qui cum armis tabernaculum suum circumsisterent. Parebant illi, circiterque militum armaturæ grauis tria millia ducebant. Clearchum introuocatum etiã in consilium adhibebat, quod is tum ipsi, tum ceteris, Græcos longe dignitate videretur antecellere. Quumque post ille de tabernaculo exiisset, quo pacto de Oronta iudicium factum fuisset, amicis narrabat: quippe qui rem silentio tegere iussus nõ esset. Aiebat autem, Cyrum fecisse dicendi principium huiusmodi quoddam: Equidem vos, amici, huc aduocari volui, quo de vestri consilij sententia, de hoc Oronta id statuam, quod & ad Deos, & ad homines æquissimum fuerit. Hunc primum pater meo sub imperio esse voluit. Postea fratris mei iussu, quemadmodum ipse fassus est, aduersum me arma cepit, Sardium arce occupata. Ego vero bello hominem persequens effeci, vt abstinendum sibi a bello aduersus me putaret: adeoque dextram ipsi & dedi, & accepi. Post hæc, ait, vllane te iniuria adfeci, Oronta? Quum is respondisset, Nulla: rursus interrogabat Cyrus: Ergo deinceps, vti quidem ipse profiteris, nihil a me læsus, nonne facta ad Mysos defectione agrum meum, quacumque ratione poteras, infestum habuisti? Factum, Orontes ait. Ergo quum rursus, quæ tuæ vires essent, adgnosceres: nonne ad aram Dianæ accessisti, ac pœnituisse te facinoris tui dixisti, mihique persuaso fidẽ dedisti, & accepisti: Quæ itidem quum Orontes fassus esset: Quanam igitur, ait Cyrus, adfectus a me iniuria, tertium modo mihi deprehensus es insidias struere? Quũ

nulla

nulla se adfectum Orontes iniuria diceret, Cyrus eum interrogat: Ergone te fateris in me iniurium esse? Id quidem necesse est, ait Orōtes. Tum rursum Cyrus: Etiamne deinceps fratri meo hostis fueris, mihique amicus & fidus? Cui ille: Tametsi maxime sim, respondit: tibi tamen, Cyre, nō amplius fidus videbor. Ad quæ verba Cyrus iis, qui aderant, ait: Hic quidem huiusmodi tum fecit, tum fatetur: vestrū vero tu primus dicito, Clearche, sententiam tuam. Et Clearchus: Equidem censeo, ait, hunc hominem quamprimum e medio tollendum esse, ne deinceps necesse sit ab ipso nos cauere: sed otium nobis sit, quod hunc attinet, de iis, qui amici nobis esse volunt, bene promerendi. Ad hanc sententiam Clearchus aiebat & ceteros accessisse. Post hæc surgentes vniuersi, atque in his etiam propinqui hominis, Cyro sic iubente, cum indicio necis zonam Orontæ prehenderunt. Deinde quibus hoc negotij datum erat, ipsum educebant: quem quum viderent ij, qui prius eum summisse venerabantur, etiam tunc eumdem illi venerationis honorē exhibebant, tametsi hominem duci ad mortem intelligerent. Posteaquam introductus in Artapatæ, quo Cyrus vno sceptrigerorum fidelissimo vtebatur, tabernaculum fuisset: nemo deinceps Orontam vel viuum vel mortuum vmquam vidit, aut dicere certo potuit, quo pacto extinctus esset, aliter aliis suspicantibus. Ne quidē vmquam sepulchri ipsius vllum vestigium extitit. Inde per agrum Babylonium castris tertiis, parasangas XII conficit. Quum castra tertia metatus esset, tam Græcas, quam barbaras copias in planitie lustrabat, idque nocte media. existimabat enim regem postridie mane ineundi prœlij caussa cum copiis adfuturum. Et Clearchum quidem, dextrum cornu ducere iubet: Menonem Thessalū, sinistrum. Suos struebat ipse. Posteaquam lustratæ copiæ fuissent, aderant postridie magno a rege transfugæ, qui de exercitu regis Cyro nuntios adferebant. Is, aduocatis Græcorum prætoribus, & cohortium præfectis, quo pacto pugnam institueret, consultabat: simulque cohortatus ipsos, huiusmodi verbis fiduciam addebat: Ego vos, Græci, non quod barbarorum mihi deesset copia, socios belli huc adduxi: sed quod præstare multis vos barbaris

Orontæ proditoris suppliciū.

260

» exiſtimarem, idcirco mecum ſumendos putaui. Quam-
» obrem date quæſo operam, vt vos eos exhibeatis, qui li-
» bertate, quam obtinetis, & cuius gratia vos equidē bea-
» tos arbitror, digni ſitis. Nam ſcire vos volo, me liberta-
» tem rebus vniuerſis anteferre, quas poſſideo, multoque
261 etiam maioribus aliis. Verum vt intelligatis, quale vobis
» in certamen ſit deſcendendum: rem omnem vobis ape-
» riam. Hoſtiū multitudo ingens eſt, & ingenti cū clamo-
» re aduerſarios inuadunt. Quæ ſi pertuleritis, ceterorum
» vos ipſos pudebit, ſat ſcio: tales eſſe noſtros in his terris
» homines experiemini. Vos ſi, vt viri eſtis, etiam audentes
» voſmet exhibueritis: faciam, vt quicumque domū redire
» voluerit, ciuibus ſuis ſuſpiciēdus redeat: quamquā etiam
» effecturum me arbitrer, vt multi rebus patriis oblatas a
» me rationes ſint antepoſituri. Heic quū Gaulites quidā
Samius exſul adeſſet, Cyro fidus: Atqui, ait, nonnulli te
dicūt, Cyre, multa policeri hoc tempore, quod tali ver-
ſeris in periculo, eoq; iam imminēte. Sed ſi fortuna pro-
ſpera vtare, nullius te rei memorē fore. Nonnulli etiam
aiūt te, ſi & memineris, & velis, minime tamē poſſe præ-
ſtare, quę te præſtaturum policeare. Quæ quum Cyrus
audiſſet: Nobis, inquit, paternum regnum, milites, per-
tingit verſus meridiē ad ea loca, in quibus caloris cauſſa
homines habitare nequeūt: verſus ſeptemtriones ad ea,
in quibus nemo hyemis cauſſa habitat. Quæ his interie-
cta ſunt omnia, fratris amici ſatraparum cum titulo &
poteſtate obtinent. Quod ſi nos vicerimus, vos amicos
noſtros his per me potiri æquum eſt. Quapropter nō eſt
quod metuam, ne quod amicis ſingulis largiar, ſi quidē
res ſucceſſerint, habeam: ſed ne nō ſatis multos habitu-
rus ſim, quib. dem. Vobis quidem Græcis etiā coronam
ſingulis aureā dabo. Quæ quum illi audiſſent nō ſolum
ſuo nomine multo alacriores erāt, ſed eadem aliis quo-
que renuntiabāt. Ingreſſi deinde ad ipſum partim duces,
partim quidam de Græcis ceteris, ſcire cupiebant, quid
eſſent habituri, ſi vincerent. Hos omnes Cyrus, animis
ſpe refertis, dimittit. Quotquot autē cū ipſo colloque-
rentur, hortabantur eū, ne prœliaretur ipſe, ſed poſt aciē
ſuā ſubſiſteret. Atque hoc ipſo tempore Clearchus eum
interrogabat in hāc ſententiā: Exiſtimaſne Cyre, fratrē
tuum

tuum prælio tecum decertaturum? Profecto, inquit Cy-
rus, ſiquidẽ Darij & Paryſatidis filius eſt, & frater meus,
non ſine prœlio equidem hæc conſequar. Ceterũ quum
exercitus armaretur, cenſa ſunt Græcorũ CCIↃↃ & CCCC,
qui ſcutati erant: cetratorum, IICIↃ & * CCCC. Barba- * al. IↃ.
rorum, qui Cyro militabant, erant CCCIↃↃↃ, currus
falcati fere XX. Hoſtium numerus eſſe ferebatur duode-
cies centena millia, currus falcati CC. Item equitũ mil- 262
lia ſex, quibus * Artagerſes cum imperio præerat, & qui * al. Antagerſes.
ante regem diſpoſiti erant. Regiarum copiarum impe-
ratores, & prætores, & duces quatuor, trecentenis mil-
libus ſinguli præerant, * Abrocomas, Tiſſaphernes, Go- * al. Acrocomas, Tiſſaphernes, Gebryas, Arcabes.
bryas, Arbaces. Verum ex hac multitudine tantum no-
ningenta millia prœlio interfuerunt, & currus falcati
CL. Nam Abrocomas ſerius ex Phœnicia venit, nimirum
die quinto a pugna. Etenim hæc Cyro renuntiabant
transfugæ quidã, qui e caſtris magni regis ante prœlium
exceſſerant: & qui cõmiſſo iam prœlio deinceps inter-
cepti fuerunt, eadem commemorabant. Hinc Cyrus ca-
ſtris vnis paraſangas tres progreditur, quum copias vni-
uerſas, tum Græcas, tum barbaras inſtructas duceret.
Nam hoc die regem prœlium commiſſurum exiſtima-
bat. Etenim non longius, quam dimidij diei itinere foſ-
ſa aberat alta, latitudine quinque orgyarum, altitudine
trium. Ea per campos ſurſum verſus ad paraſangas XII, *Amplitudo caſtrorum regiorum.*
nimirum vſque ad Mediæ caſtellum porrigebatur. Quo
loco ſunt aluei numero quatuor, latitudine plethri, pro-
funditate ingenti: qui ex Tigri fluuio deriuantur, atque
etiam naues in eis agi frumẽtariæ poſſunt. Iidem in Eu-
phratem influunt, & paraſangæ interuallo diſtant inter
ſe, pontibuſque ſtrati ſunt. Propter ipſum Euphratem
tranſitus erat artus, inter fluuium ac foſſam, latitudine
fere XX pedum. Hanc foſſam magnus rex pro muni-
mento fecit, poſteaquam inaudiſſet, Cyrum cum exer-
citu aduentare. Sed tranſitum hunc Cyrus cum exercitu
ſuperauit, atque intra foſſam ſeſe recepit. Ac rex quidem
eo die pugnam non commiſit, ſed tum equorũ, tum ho-
minum retrocedentium multa veſtigia manifeſto cer-
nebantur. Heic Cyrus arceſſito Silano Ambraciota va- *Silani Ambra-*
te, Daricis cũ IIICIↃ donauit, quod Cyro die ante eum

Silani vaticinium euentus comprobat. diem, vndecimo, consultis prius extis dixisset, regē diebus decem proximis prœlium nō commissurum. Quo tempore Cyrus respōdit, non amplius subiturum aleam prœlij, si diebus iis nō prœliaretur. Quod si tu verum dixeris, decē tibi talenta policeor. Quapropter quum dies illi x præteriissent, aurum hoc ei tunc dedit. Rex vbi Cyri
263 copias fossam traiicere non prohiberet, visum est Cyro & ceteris, ipsum pugnandi consilium abiecisse. Quamobrē postridie Cyrus negligentius iter faciebat. Die tertio etiam in curru sedēs proficiscebatur, paucis acie instructa præeuntibus. Ipsum militum vulgus confusis copiis pergebat, ac pleriq; in plaustris & iumentis arma vehebāt. Iamq; adeo id temporis erat, quo forum frequenti hominum turba refertum esse consueuit, & locus erat in proximo, quo metatis castris subsistere volebat: quum *Patagyas Persa, vir ex familiaribus in primis Cyro fidus, aduehi totis virib. e longinquo conspicitur equo sudante, statimq; ad omnes, in quos incideret, clamabat tum barbaricis tum Græcis verbis, regem magno cum exercitu aduentare, paratum prœlio cōgredi. Tum vero tumultus ingens exortus est, Græcis & ceteris omnib. futurum existimantibus, vt in non instructos irrueret. Cyrus e curru desiliens loricam induebat, equoq; conscenso, & arreptis tragulis, denūtiabat vniuersis, vt arma caperēt, & suo quisque se loco sisteret. Ibi tum impigre constiterunt. Clearchus quidem ad cornu dextrum propter Euphratem fluuium, cui Proxenus contiguus erat, ac post eum stabāt ceteri: læuum cornu Græcarum copiarū obtinebat Meno, & ipsius agmen. De barbaris equites mille Paphlagones ad dextrum cornu propter Clearchū steterunt, itemq; Græci, qui cetris vtebantur. In cornu sinistro Ariæus, Cyri præfectus, cum barbaricis copiis erat. Cyrus cum equitib. DC in medio, qui omnes grādibus loricis muniti erant, & femorum tegumentis, & galeis: vnus Cyrus nudo capite pugnam exspectans constitit. Aiunt ceteros etiam capitibus nudis aleā prœlij subire. Habebant & equi omnes in exercitu Cyri frontium pectorumque munimenta, & equites ipsi gladios Græcos. Iam meridies erat, nec hostes adhuc conspiciebātur. Verum vbi post meridianum tempus adpetiisset, puluis qui-

al. Pagyas.

Prœlium inter fratres.

Cyrus capite nudo pugnat.

quidam visus est, tamquam nubes albicans, & tempore non magno interiecto, tamquam nigredo quædam diu totum campum occupauit. Quum propius accessissent, statim & æs fulsit, & hastæ, & ordines palam conspiciebantur. Ac læua quidem in parte copiarum hostilium equites erant loricis albis induti: quibus cũ imperio præesse Tissaphernes perhibebatur. His erant proximi, qui crates gestabant: succedebant grauis armaturæ pedites, cum scutis ligneis ad pedes vsque tendentibus, qui esse ferebantur Ægyptij. Succedebant & alij tum equites, tum sagittarij. Atque hi omnes per gentes dispositi agminibus quadratis, iisque plenis singillatim incedebãt. Præibant currus, qui magnis a se distabant interuallis, & falcati appellabantur. Ij falces habebant ab ipsis axibus in obliquum porrectas, & sub curruũ sellis in terrã spectantes, vt in quamcumque rem incidissent, eam discinderẽt. Erat autem hoc ipsis consilij, quod currus hos in ordines Græcorum acturi essent, eosque disturbaturi. Enimuero Cyrus in eo, quod dixerat, quum Græcos adhortaretur, vt barbarorum clamores sustinerent, falsus est. Non enim cum clamore, sed quanto maxime silentio poterant, sedate, incessu æquabili, atque etiam lente ad prælium accedebant. Heic Cyrus cum Pigrete interprete, aliisque tribus aut quatuor, preteruectus equo, clamore significabat Clearcho: vt aduersus mediam hostium aciem copias suas duceret, quod istic rex esset. Eam inquit, si vicerimus, omnia nobis confecta erunt. Clearchus, tametsi medium illum globum videret, ac de Cyro audiret, regem longe vltra Græcorum cornu læuum esse: (nam tanta rex multitudine hominum superabat, vt tametsi suorum aciem mediam obtineret, tamen læuum Cyri cornu ex aduerso sibi oppositum nõ haberet) non tamen volebat inquam Clearchus cornu dextrum a flumine auellere, quia metueret, ne ex vtraque parte circumdaretur. Cyro quidem respõdebat, curæ sibi futurum, vt res præclare gereretur. Interea barbari æquabiliter procedũt, & Græcorum ordines, quam diu adhuc eodem loco subsistebant, ex iis, qui subinde accedebant, instruebantur. Cyrus autem copias modico ex interuallo præteruectus, vtrosq; spectabat eminus, tũ

Ordo copiarum regiarum. 264

Clearchi prudẽtia.

conuersis in hostes oculis, tum in suarum partium milites. Quem vbi de Græcorū exercitu Xenophon Atheniensis vidisset, equo nonnihil adacto, vt ei occurreret, num aliquid imperaret, quærit. Cyrus paullum subsistēs, dici iubet ad omnes, exta & hostias perpulchre sibi addicere. Quæ proferens, tumultum quemdam ordines peruagari audit: & quis esset ille fremitus, interrogauit. Respondit Xenophon, iterum iam tesserā dari. Mirum Cyro videri, quis eam prodidisset. Quapropter interrogat, quænam sit tessera. Cui Xenophon: Iupiter, inquit, Seruator, & victoria. Quod vbi Cyrus audisset: Accipio tesseram hanc, ait, atq; ita sane esto. Quæ loquutus, suū ad ad locum se recepit. Iamq; adeo nō vltra tria quatuorve stadia phalanges ambæ ab se inuicem distabant, quum Græci pæanem canunt, & in hostes aduersos incipiunt pergere. Quumq; progredientibus ipsis, pars aciei quædā fluctus instar prorueret: qui relicti a tergo erant, cursu ferri cœperunt. Simul vniuersi, dum currerent, cōclamabant: quemadmodum Martiæ vlulationes fieri consueuerunt. Nonnulli aiunt, eos etiam scutis ad hastas allisis strepitum excitasse, quo equis terrorem incuterent. Priusquam intra ictum teli ventum esset, barbari cōuersis equis fugiunt. Tum vero totis viribus Græci persequendo incumbunt, & adclamant alter alteri, ne cursu ferrentur, sed ordine non perturbato sequerentur hostem. Currus partim per hostium ipsorum aciem agebātur, partim per Græcos, aurigis vacui. Quos quia Græci nonnulli prævidérant, subsistebant: nonnulli territi, sicut in equestri curriculo fieri solet, a curribus adtracti fuere: quibus tamen nihil accidisse mali proditum est: sicuti nec quisquam alius Græcorum hac in pugna perpessus est aliquid, extraquam quod a latere læuo quidam sagitta vulneratus fuisse dicebatur. Cyrus, quum Græcos a parte sua victores euasisse cerneret, eosdemq; iam hostes persequi, voluptatem magnam capiebat: iamq; nōnulli eorum, qui apud ipsum erant, tamquam regem eū adorabant. Neque tamen ad persequendum propterea fuit euagatus, sed stipatus conferto DC equitum globo, quos apud se habebat, quid rex facturus esset, studiose obseruabat. Norat enim, hunc mediam exercitus Persici aciem

Xenophon Cyrū adloquitur.

265

Græci victoria potiuntur.

aciem obtinere. Quinetiam ceteri barbarorum pręfecti sic suos ducebant, vt ipsi media in acie essent: quod existimarent hoc pacto se quam tutissimo loco futuros, si ex vtraque parte robur suum haberet, & animaduersum iri duplo citius ab exercitu putarent, si quid oporteret imperari. Rex autem, quamquam id temporis aciem suā mediam obtineret, tamen vltra Cyri læuum cornu erat. Quum autē nemo in ipsum acie pugnaret aduersa, nec in eos, quos ante se collocatos habebat: inflectendo se mouit, tamquam hostes circumdaturus. Ibi vero metuēs Cyrus, ne posteaquam a tergo suos inuaderet, Græcum agmen cederet: aduersus irruit, & facta cum IↃC illis impressione, vincit eos, qui ante regem collocati erant, adeoque illa equitum VICIↃ in fugam vertit. Quin & ipse manu sua Artagersem, horum præfectum, interfecisse dicitur. Posteaquam illi terga vertere, Cyri etiam illi IↃC equites persequendi studio dissipantur: præter paucos admodum, qui reliqui apud ipsum erant, fere qui mensæ participes dicebantur. Hos quum apud se haberet, regem cum globo suo conspicit: & mox, quia se continere non poterat: Video, inquit, hominem. Itaq; facto in ipsum impetu, pectus ei ferit, & per ipsam loricā fratrem vulnerat, quemadmodum Ctesias medicus memoriæ prodidit, qui se etiam vulnus illud curasse commemorat. Dum fratrem Cyrus ferit, quidam magna vi hastam vibrans, sub oculum eius adigit. Ibi dum & rex & Cyrus inter se dimicant, & qui vtrumq; tutabātur: quot homines ex parte regis perierint, Ctesias refert, qui apud regem tunc erat. Cyrus & ipse interfectus est, & supra ipsum octo longe fortissimi stipatores eius iacuerūt. Artapatas autē, minister vnus Cyro inter sceptrigeros fidelissimus, posteaquam humi cecidisse Cyrum vidit: ab equo desiliens, ad ipsum se abiecisse fertur. Atque hunc, sunt qui dicant, iussu regis a quodam supra Cyri cadauer iugulatum esse. Alij tradunt, eum stricto, quem aureum habebat, acinace manus ipsi sibi adtulisse. Nā torquem etiam gestabat, & armillas, & alia, vt quiuis e Persarū præstantissima dignitate viris. Erat enim apud Cyrum in honore tum ob beneuolentiam, tum fidem. Hic Cyri fuit exitus, qui vir inter Persas consentiente omniū

266

Cyrus in fratrem irruit.

Cyri mors

Commemoratio

de Cyri indole, moribus, rebus geſtis lucu-lenta.

iudicio,qui vſi eius cõſuetudine fuiſſent,poſtCyrũ illum priſcum maxime regia fuit indole, ac imperio digniſſimus.Primo, quum puer adhuc eſſet, ac vna cum fratre, ceteriſq; pueris inſtitueretur,omniũ in omnibus viſus eſt eſſe præſtantiſſimus. Nam ſumma dignitate hominum apud Perſas liberi regis ad portam educãtur: vbi magnã continentiam animaduertere licet,nec eſt quidquã iſtic turpe vel audire, vel videre. Quinetiam ſpectant pueri tum eos,qui a rege ornantur, deq; iis audiunt: tũ alios, qui ignominia notantur. Quo fit,vt mox a prima pueritia parendi & imperãdi leges diſcant. Heic Cyrus primũ

Si αἰδημονέστατος legas, ſententia eſt, Maxime verecundus erat.

maxime viſus eſt eſſe inter æquales * docilis, & ſenibus etiam obœdientior,quam illi,qui fortuna longe impari eſſent. Deinde rei equeſtris ſtudioſiſſimus,equiſque vti quam optime viſus eſt.Exiſtimabatur etiam in pertinentibus ad arma ſtudiis,ſagittis ac iaculis mittẽdis,admodum docilis,& in exercitationibus tolerantiſſimus. Ipſo in adoleſcentiæ flore, venãdi maximo deſiderio tenebatur,& in pugnãdo aduerſus belluas pericula nulla defu-

267

Cyrus vrſum interficit.

giebat. Etiam vrſum aliquando irruentẽ non extimuit, ſed cum eo cõgreſſus,& auulſus ab equo, accepit ea vulnera,quorum in eo cicatrices cernebantur, quum quidẽ ad extremum feram occideret. Quin & illum, qui tum ei primus opem tulit,ijs muneribus ornauit,vt ab omnibus fortunatus prædicaretur.Poſteaquam a patre in Lydiam,Phrygiam magnam , Cappadociam cum ſatrapæ titulo miſſus,& eorum omnium, quos ex officio neceſſe eſt in Caſtoli campum cõuenire, prætor deſignatus fuit: primũ declarauit, ſibi nihil antiquius eſſe, quam ne falleret,ſi quis eſſet forte,quocũ vel fœdus iniiſſet,vel eſſet pactus, vel aliquid policitus. Quapropter & ciuitates, quæ erant ipſius curæ creditæ,fidem habebant ei,ſicut &

Cyri in fœderib. obſeruandis religio.

homines ipſi.Quod ſi qui inimicitias etiã cum ipſo exercuerant,poſteaquã pacta conuenta eſſent, nihil ſibi metuebant, ne quid præter leges conuentionis accideret. Quare poſteaquã bellum aduerſus Tiſſaphernem mouiſſet,vrbes omnes,extra ſolos Mileſios,vltro Tiſſapherni Cyrũ prætulerunt. Nã illi metuebant eum,quod exſulum cauſam negligere nollet. Etenim tũ reabſe declarabat,tum verbis,numquã ſe cauſſam illã deſerturum, po-

ſteaquam

ret quā semel eos in amicitiam recepisset: ne si pauciores quidem forent, ac fortuna magis aduersa premerentur. Præterea palā præ se ferebat, adniti se studiose, vt eis superior euaderet, quicūq; ipsum vel adfecissent beneficio, vel iniuria. Nonnulli etiam votū eius protulerunt, optare se, vt tādiu viueret, donec & bene de se promeritos beneficiis, & hostes vlciscēdo vinceret. Quamobrē vni huic ex omnibus nostræ memoriæ hominibus quamplurimi & fortunas, & vrbes, & corpora sua credere cupiebant. Neq; tamē hoc etiā dici potest, quod improbis & sceleratis illudere sibi permiserit: sed ita in eos animaduertebat, vt prorsus ipsis nō parceret. Ac sæpenumero tritis in viis erat cernere, quosdā homines, qui pedibus, manibus, oculis multati essent. Quo factū, vt in iis locis, vbi Cyrus imperaret, cuivis tam Græco, quam barbaro neminē lædenti, secure liceret iter facere, quocumq; vellet, & quidquid tamdē secum ipsi gestare commodū esset. Militari quidem certe virtute præditos omniū consensu eximiis honoribus ornabat. Primū bellū aduersus Pisidas & Mysos gessit. Aduersus has regiones susceptæ expeditioni quoniā ipsius intererat, quoscumq; sponte sua salutē in discrimen coniicere videbat, eos partim illi agro, quem occupauerat, cum imperio præficiebat, partim aliis præmiis ornabat. Qua re fiebat, vt viri fortes lōge fortunatissimi omnium in oculis essent: ignaui vero, pro seruis horum ducerentur. Enimuero magna erat illorum copia, qui adire pericula vellent, sicubi quis animaduersurum id Cyrum arbitraretur. Quod si qui iusticiæ dedissent illustre documentū, eos existimabat omnibus modis locupletiores reddendos esse, quā ij forent, qui rationibus iniustis lucrū facerent. Itaq; quum alia multa iuste ab ipso administrabātur, tum illum habebat exercitum, qui vere dici exercitus mereretur. Nā & legionum prætores, & cohortiū præfecti non pecuniæ caussa ad ipsum nauigabant: sed quod esse fructuosius existimarēt, Cyri imperio recte parere, quam mēstruo lucro ditari. Quod si quis ipso aliquid mandante, egregie imperata fecisset: hanc ipsam animi promptitudinem nequaquā præmio carere patiebatur. Quapropter in rebus omnibus habuisse Cyrus administros lōge præstātissimos perhibetur,

Cyrum in sceleratos seuere animaduertisse.

268

Cyrum suos præmiis propositis excitasse.

Si quem iusta ratione rem familiarẽ mirifice augere videret, aut regionem, cui cum imperio præesset, ornando longe prouentu fructuosiorem facere: tantum abest, vt huic aliquid adimeret, etiam addebat plura. Quo fiebat, vt illi cum voluptate labores perferrent, & fidenter bona pararent, & quæ quisque possideret, ea Cyrum haudquaquam cælarent. Nec enim iis, qui se diuites esse profidebantur, inuidere videbatur: sed illorum vti pecuniis conabatur, qui eas occultarent. Amicos certe quoscumque sibi adiungeret, sibique beneuolos esse animaduerteret, ac iudicaret idoneos ad eas res secum efficiundas esse, quas confici cuperet: omnium consensu obsequiis demereri studiosissime solebat. Nã ea ipsa de caussa, ob quam sibi existimabat amicis opus esse. nimirũ vt gerẽdarum rerum adiutores haberet: etiam ipse conabatur amicis operam suam egregiam probare, quidquid tandem singulos cupere persentisceret. Vnus ipse plurimis donis cumulabatur multas ob caussas. Verum ea potissimũ amicis, considerato cuiusque ingenio, & quo quemque maxime videret egere, largiebatur. Præterea de iis quæcumque ad ornatum corporis ipsi mitterentur, vel ad vsum belli, vel ad elegantiam vestitus, dicere solitum accepimus: Non posse suũ corpus omnibus his ornari, sed præclare ornatos amicos se maximum hominis ornamentum ducere. Et magnis quidem beneficiis quod amicos vinceret: qui longe potentior esset, nihil mirum erat: at quod & cura de ipsis, & gratificandi cupiditate eos superabat, hæc vero mihi potius admiranda videntur. Nam sæpe numero eis orcas vini semiplenas mittebat, quoties vinum admodum suaue nanctus esset: addens, longo iam tẽpore se suauius vinum adeptũ non esse. Quamobrem illud tibi Cyrus misit, teque rogat, vt illud hodie cum quibus gratissimũ erit tibi, bibas. Sæpenumero semesos etiam anseres mittebat, & panes dimidiatos, & huius generis alia: quum addere iuberet eum, cui ferenda dabat: Cyrus his delectatus est, eaq; de caussa vult hęc te quoque gustare. Quod si pabuli esset ingens penuria, quod ipsi paratu esset facile, ꝓpter ministrorũ copiam ac diligentiã: hinc inde aliquid mittens hortabatur, vt hoc pabulũ amici equis illis, quibus eorum corpora veherentur,

Quam Cyrus sua cũ amicis cõmunicãdi cupidus fuerit.

269 *Cyri erga amicos studia plena humanitatis.*

tur, obiiceret: ne illi amicos suos fame confecti gestarēt. Si aliquando quopiam proficisceretur, ac multos se spectaturos sciret: arcessitis ad se amicis, data opera cum eis serio disserebat: vt quos honore maximo dignaretur, significaret. Quo fit, vt neminem eorum, de quibus equidem auditione accepi, pluribus tum Græcis tū barbaris carum fuisse iudicē. Cuius rei hoc quoque argumentum est, quod ab Cyro, qui alteri seruiebat, nemo ad regem defecerit, extra vnum Orontam, qui saltem hoc facere conatus fuit, quamquam illum rex dum sibi fidelem putat, pæne Cyro quam sibi, amiciorem reperit. at vero a rege permulti ad Cyrum transierunt, posteaquā fratres hostiliter inuadere se cœperunt, & quidē ij, quos rex maximo amore complectebatur. Existimabāt enim fore, vt virtuti suæ apud Cyrum plus honoris ac præmiorum deferretur, quam apud regem. Magnum & illud argumentum est, quod in exitu vitæ ipsi accidit, tum ipsum fuisse bonum, tum recte iudicare potuisse, quosnam & fideles, & beneuolos, & constantes haberet. Nam quum vitam amitteret, omnes apud eum amici & mensæ participes, pro eo pugnantes mortem oppetierunt, extra vnum Ariæum. Is forte copiis equestribus ad læuū aciei cornu præesse suo loco iussus fuerat, quū q; cecidisse Cyrum comperisset, integro cum agmine suo fugā arripuit. Et Cyro quidem tunc & caput & dextra præcisa fuit. Rex autem cum suis dum hostes persequitur, in castra Cyriana incidit. Heic Ariæi milites nequaquam subsistūt, sed per castra sua stationem ad illam, vnde paulo ante discesserāt, diffugiunt. Id iter quatuor esse parasangarum ferebatur. Rex cum suis præter alia, quæ diripiebant, etiā Cyri concubinā, patria Phocæensem, quæ sapiens & elegans adpellabatur, cepit. Etenim altera natu minor, Milesia, quum esset & ipsa regiis a militibus capta, nuda profugit ad Græcos, qui armati apud impedimenta erant. Nam ij Persis resistentes, partim multos, qui castra populabantur, interficiebant: partim & ipsi occidebantur. Neq; tamen terga dedere, sed & mulierem hanc saluam eripuerunt, & alia, quæ intus habebant, ipsos scilicet cū facultatibus homines conseruarunt. Erat heic inter regem & Græcos xxx fere stadiorum interuallum, quum hi oppo-

Ariæi & equitum fuga.

270 *Aspasia capitur.*

ſitos ſibi hoſtes perſequerentur, quaſi qui vniuerſos viciſſent: illi caſtra diriperent, quaſi totus ipſorum exercitus victoriam adeptus eſſet. Verum poſteaquam Græci regem cum copiis eſſe apud impedimenta ſua perſentiſcerẽt, & rex de Tiſſapherne audiiſſet, Græcos aciem oppoſitam ſibi viciſſe, ac perſequi fuſos vlterius: tum vero ſuos rex collectos inſtruit. Clearchus autem, vocato ad ſe Proxeno, qui ei proximus erat, nũ quoſdam mitteret, deliberabat: an potius omnes ad caſtrorum defenſionem pergerent. Interea rex iterum accedere palam viſus eſt, & quidem a tergo, vti putabatur. Græci, vt acie conuerſa regem adorirentur & ſuſtinerẽt, ſeſe comparant. Rex autẽ non hac ducebat, ſed qua progreſſus vltra cornu læuum fuerat, eadem retroceſſit receptis ad ſe iis, qui ad Græcos in prœlio perfugerant, ipſoque etiam Tiſſapherne cum ſuis. Nam Tiſſaphernes primo in conflictũ non fugerat, ſed ad flumen ipſum cum equitatu penetrarat aduerſus Græcos, qui cetris vtebantur. Quo in conatu penetrandi neminem quidem interfecit ipſe, ſed Græci duas in partes diuiſi, Tiſſaphernis copias cædebãt & premebãt iaculis. Cetratorum præfectus erat, Epiſtenes * Amphipolitanus; vir, vti ferebatur, prudens. Itaq; Tiſſaphernes, qui ſe inferiorem eſſe cerneret, diſceſſit: quumq; Græcorum in caſtra perueniſſet, ibidem forte in regem incidit. Quo factum, vt ambo ſimul de integro inſtructis ſuis abirent. Ad læuum Græcorũ cornu quum perueniſſent, verebantur Græci, ne cornua ſua inuaderent, & vtrimq; circumuentos cæderent. Quare viſum eſt ipſis, ita cornu hoc explicandum eſſe, vt a tergo flumen haberent. Hoc

Al. Megalopolitanus

271 illi dum conſilij capiunt, rex ad priſtinam aciei formam, qua primum hoſtes adortus fuerat, reducta phalange aduerſus conſtitit, iamq; pugnaturus acceſſit. Quũ autem Græci hoſtes iam & inſtructos, & in propinquo cernerẽt; rurſum pæanem exorſi, multo alacrius, quam antea, in eos pergunt. Horum impetum barbari non ſuſtinent, ſed effuſius, quam prius, fugam arripiunt. Græci eos vſque ad vicum quemdam perſequuntur, vbi demum ſubſiſtunt. Nam vico quidam collis imminebat, in quo ſe conuertebant ij, qui erant cum rege: complente collem equitatu, qui pedites ſecũ nullos habebat. Quo factum,

Græci iterum cum rege congrediũtur, & vincunt.

factum, vt Græci, quid rerum ageretur, haud scirent. Etiam signum regium videre se dicebant, auream quādam aquilam in hasta extensam. Quum autem Græci huc etiam tenderent, deserunt, collem equites, non confertis copiis, sed passim alij alio: nutabaturque adeo collis equitum copiis, donec omnes discessissent. Clearchus tamen non continuo militē promouit in collem, sed copiis sub ipso collocatis, Lycium Syracusanū mittit cum alio quodā, atq; imperat, vt speculati, quæ essent in colle, omnia sibi renuntiarent. Lycius quū adequitasset, & omnia vidisset fugere ipsos totis viribus renuntiat. Quū hæc gererentur, sol propemodum occidebat. Atq; heic Græci subsistebant, & armis collocatis quiescebant; neq; non mirari poterant, quamobrē nec Cyrus vsquam adpareret, nec alius ab ipso quisquam adesset. Nam mortuum esse ignorabant, atq; adeo suspicabantur, eum vel hostes persequi, vel ad occupandum aliquid prouectum esse. Consultabant autem inter se, num illic potius manendum esset, adductis eo impedimentis; an ad castra pergēdum. Ad extremum placuit in castra redire, ac sub cœnæ tempus ad tentoria perueniunt. Et hic quidem eius diei fuit exitus. Offendunt autem quum alias fortunas suas maxima ex parte direptas, tum quidquid potulentum esculentumve fuerat, & plaustra farina vinoque onusta, quæ Cyrus sibi parauerat; vt si quando graui in exercitu penuria rerum laboraretur, inter Græcos ea distribueret. Plaustra ipsa numero fuisse C C C C dicūtur, quæ tum regiæ copiæ diripuerant, eaque de caussa maxima Græcorum pars cœna carebat, quum ne quidem pransi fuissent. Nam priusquam ad prandendum accedere in castra potuisset exercitus, rex sese ostenderat. Atque hanc quidem noctem sic exegerunt.

272 XENOPHONTIS HISTORIARVM DE CYRI EXPEDITIONE, LIB. II.

ARGVMENTVM.

1. Græci de Cyri morte certiores fiunt. 2. Rex Græcos arma tradere iubet. Græci vero se potius morituros, quam arma tradituros respondent. 3. Xenophontis, & Clearchi ad Regis legatum responsiones. 4. Græci de discessus ratione consultant. 5. Quantum iter ante prœlium cum regiis copiis commissum confecerint. 6. Ariæi de profectione consilium. 7. Clearchi generosus, & excelsus animus. 8. Rex inopinato Græcarũ aduentu terretur. 9. Clearchus qua ratione deiectos suorum animos erexerit, & confirmarit. 10. Clearchi ad Regem, & Tissaphernem excusatio. 11. Fœdus inter Græcos, & Regẽ sancitur. 12. Clearchi stulta prudentia. 13. Mediæ murus quantus fuerit. 14. Tissaphernis, & Clearchi congressus, & colloquium. 15. Astutissimum, ac perniciosissimum hominis nefarij consilium, & oratio, qua Græcorum duces præter fidem ipsis datam, decepti, comprehensi, capitaliq; supplicio non multo post a Rege sunt affecti. Cæteri vero, qui duces suos comitati fuerant, ad Tissaphernis prætorium repente concisi. 16. Clearchi præclarum encomium, & res ab eo gestæ. 17. Proxeni encomium, & res ab eo gesta. 18. Menonis Thessali vita, mores, studia, fraudes, scelera. Alterum huius libri breuissimum argumentum vide in prima sequentis libri periodo.



QVEMADMODVM igitur Græcas Cyrus copias coegerit, quo tempore aduersus Artaxerxem fratrem expeditionẽ suscepit, & quæ in itinere, dum adscenderetur, gesta fuerint: quo pacto pugna fuerit commissa, & Cyrus occubuerit, Græciq; ad castra sua reuersi quieti se dederint, quod

quod vicisse se omnino existimarent, & Cyrum esse superstitem: superiore libro declarauimus. Mane summo quum coiuissent duces, mirabantur a Cyro nec alium quemquam mitti, qui significaret, ecquid agendum esset, nec ipsum in conspectum prodire. Quamobrem visum est eis, vt collectis impedimẽtis armati procederẽt, donec cum Cyro se coniungerent. Quum iam progredi cœpissent, sub ipsum solis ortum, Procles Teuthraniæ prætor, ex Damarati Lacedæmonij posteritate ortus, & Tami filius Glus veniunt. Narrant hi, Cyrum vitã cum morte cõmutasse. Ariæum, qui fugæ se dedisset, iis esse in castris cum reliquis barbaris, e quibus pridie profecti fuissent. dicere hunc, velle se diem illum Græcos expectare, si venturi essent: postridie perrecturum in Ioniã, vnde venisset. Hæc quum duces perciperent, itemq; Græci ceteri, grauiter sane ferebãt. Clearchus quidem certe. Vtinam Cyrus, ait, viueret: verum quia mortuus est, Ariæo renunciate, vicisse nos regem, neq; quemquam amplius restare, quemadmodũ videtis, qui aduersus nos pugnet. Quod nisi vos venissetis, aduersus ipsum regẽ perrexissemus. Simul Ariæo policemur, si huc venerit, nos ipsum regium in solium collocaturos. Nam iis, qui prœlio superiores euadunt, regnum etiam debetur. Quum hæc dixisset, nuntios ablegat, adiunctis Cherisopho Lacedæmonio, & Thessalo Menone. Nam Meno ipse sic volebat, quippe cui cum Ariæo & hospitij ius intercederet, & amicitiæ. Et hi quidem iter sunt ingressi, quum Clearchus subsisteret. Exercitus interea iumentis victitabat, vt poterat, ac boues & asinos mactabat: Progressiq; parumper ab aciei loco, quo loco prœlium cõmissum fuerat, pro lignis vtebãtur sagittis, quarum magna erat copia, coactis iis, qui a rege perfugerant, vt eas euellerent; itemq; cratibus, & ligneis scutis Ægyptiacis. Erãt & ceteræ passim, & plaustra vacua, quibus vsi omnib. elixabãt carnes, iisq; famẽ illo die leuabant. Et iam id erat temporis, quo forum maxima hominum multitudine frequens erat, quum a rege ac Thissapherne caduceatores veniunt, alij quidem barbari, vnus Græcus Phalinus, qui apud Thissaphernem erat, & quidẽ honesto loco, quod aciei struendę, & gladiatorię peritiam sibi vindicaret. Hi

Græci de morte Cyri cognoscunt.

273

Græcos rex arma tradere iubet.

quũ accessissent, Græcorũq; præfectos euocassent: mandare aiũt regẽ, quia Cyro interfecto penes se victoria sit, arma traderẽt, & regis ad portã profecti periculũ facerẽt, si quid forte cõmodi possent impetrare. Hæc regij caduceatores aiebant, quæ audita tametsi grauiter molesteq; Græci ferrent, Clearchus tamẽ id vnũ respondit: nõ esse illorũ, qui vicissent, arma tradere. Verum vos duces, ait, hoc eis respondete, quod honestissimũ & optimũ vobis in mentẽ venerit. Ego mox reuertar. Nam vnus ex adparitoribus eũ arcessiuerat, vt exta iam exemta inspiceret, quod id temporis forte rem sacrã faceret. Ibi Cleanor Arcas, natu maximus omniũ, respõdet: Prius se † moriturũ, quam arma traderet. Proxenus vero Thebanus: Equidẽ miror, inquit, Phaline, vtrũ sic arma rex postulet, vt qui vicerit, an amicitiæ ac munerũ caussa. Nam si ea victoriç nomine postulat, quid opus est ea petere? cur non potius ereptũ venit? Sin persuadẽdo putat ea se consequuturũ, dicat nobis, quid habituri milites sint, vbi in hoc ei gratificati fuerint? Ad hæc Phalinus: Rex inquit, vicisse se arbitratur, quia Cyrũ occiderit. Nã quis est hominũ, qui sibi regnũ hoc prçtereà vindicet? Vos etiã pro suis ducit, quos media in regione sua cõclusos tenet, intra flumina traiectu difficillima: & aduersus quos hominũ eam multitudinẽ ducere potest, quã vos ne dirimere quidẽ possetis, si potestatem eius rex vobis maxime faceret. Tum Xenophon Athenẽsis: Nobis iam, inquit, Phaline, nullius boni, ceu vides, copia est: extra sola hæc arma, & virtutem.

† morituros, quam arma tradituros.

Xenophon legato regio respõdet.

274 Quamobrẽ quã diu arma retinebimus, virtutẽ vsui nobis fore putabimus: eadẽ si tradiderimus, veremur corpora nobis ereptum iri. Quamobrem non existimes, ea nos bona, quç sola nobis reliqua sunt, tradituros: sed horũ ipsorum ope, de bonis etiam vestris pugnaturos. Quæ quũ Phalinus audisset, cum risu: Tu quidẽ, ait, philosophi speciẽ præ te fers, adulescens, & nõ iniucunda quædã profers. Sed enim stultũ te esse scito, si virtutẽ ac fortitudinẽ vestrã viribus regiis superiorẽ fore speras. Alios autẽ nonnullos ferebatur animis nõnihil remissis fuisse, qui Cyro se fidos fuisse dicerent; atq; etiã regi maximo cõmodo futuros, si recipere ipsos in amicitiã vellet. Nam & in aliis quibusuis expeditionibus adfuturos, in quibus

vsurus

vsurus ipsorum esset opera: & si debellare Ægyptum vellet, vna cum ipso eam expugnaturos. Interea Clearchus reuertens, ecquid iam respondissent quærebat. Eius sermonē Phalinus excipiens: Horum inquit, alius aliud ait, Clearche. Tu quid dicas, exponito. Et ille: Ego vero Phaline, ait, lubens te vidi, atq; itidem omnes hi, mea quidē sententia. Nam & tu perinde Græcus es, ac nos, qui tot numero sumus, quot ipse vides: & hoc rerum nostrarum statu consilium abs te de eo, quod nobis agendum sit illa in caussa, quam adfers, poscimus. Quamobrē per Deos immortales te obtestamur, vt consulas nobis, quod tibi pulcherrimū & optimū factu videbitur, & quod sequuturis temporibus repetitum cōmemoratumq; honorem tibi adferet: Phalinū videlicet, a rege missum, vt Græcos arma tradere iuberet, hæc & illa ipsis consuluisse. Scis autem necessario futurum, vt eius consilij, quod dederis, in Græcia mentio fiat. Hæc Clearchus adiiciebat, quia vellet illum ipsum, qui legationē regis obiret, hoc ipsis consilij dare, ne arma traderent, vt Græci spem meliorē conciperent. Phalinus autē secedens vbi reuertisset, præter ipsius opinionem hoc modo respondit: Ego, si vel vna spes de mille vobis est reliqua, fore vos saluos, si bellum cum rege geratis: hoc consilij do, ne tradatis arma. Sin rege inuito nulla vobis spes salutis superat, salutem amplectendam esse consulo, quacumq; ratione poteritis. Ad ea Clearchus: Dicis tu quidem hæc, inquit. Verū nostris verbis renūtiato, existimare nos, si regi amicos esse oporteat, multo nos ipsi futuros vtiliores amicos, quū arma retinebimus, quam si alteri ea tradiderimus. Sin bellum 273
cū ipso gerendū erit, melius id geremus armis instructi, quā iisdē alij traditis. Renuntiabimus hæc, ait Phalinus, sed & illa dici rex iussit, se vobis heic manentibus fœdera: discedentibus ac progredientibus, bellū offerre. Quamobrem de hoc etiā respondete, num manendo iuiri fœdera velitis, an bellū vos anteponere nuntiandum sit? Et Clearchus: Hac etiam in parte, inquit, renuntiato, nobis eadem, quæ regi, videri. At quæ sunt illa? subiecit Phalinus. Si manebimus, ait Clearchus, fœdera nos facturos: sin abeamus ac progrediamur, bellum. Et Phalinus iterū quærit: Fœderane, an bellum renuntiabo? Clearchus

rursum: Fœdera quidem manentibus: discedentibus autem, vel progredientibus, bellum esto. Quid autem ipse facturus esset, non significabat. Quapropter Phalinus cum suis abibat. Procles vero, & Cherisophus, ab Ariæo quum redissent, Menone apud Ariæum remanente: aiebant dixisse Ariæum, multos Persas sibi longe præstare dignitate, qui laturi non sint, vt rerum ipse potiatur. Verum si vultis, inquiunt, cum ipso discedere, noctu iam venire nos iubet: sin autem, scire vos vult, prima se luce cras discessurum. Et Clearchus: Sic faciendum est, inquit, si ad ipsum accedere volumus, quemadmodũ vos dicitis: sin autem, facite id, quod vobis maxime profuturũ existimatis. Ipse quid facturus esset, non indicabat. Post hęc, sole iam occidente, conuocatis prætoribus & cohortium præfectis, huiusmodi quædam loquutus est: Sacram mi-
,, hi rem facienti, milites, expeditionis aduersus regē sus-
,, cipiendæ causa, exta abdixerũt, & merito quidem. Nam
,, vt ego iam comperio, medio inter regem & nos loco Ti-
,, gris fluuius interest, qui nauibus tantum traiici potest;
,, ideoque traiici a nobis absq; nauigiis haudquaquam po-
,, terit, quod a nauibus destituimur. Heic autem fieri non
,, potest vt subsistamus, quod commeatus nos deficit. Ce-
,, terum de profectione ad amicos Cyri, auspicata nobis
,, exta inprimis obtigerunt. Quamobrem sic res est agēda.
,, abite, ac cœnam pro copia quisque sua capite: deinde
,, quum eo modo, quo quiescendi tempus significatur, da-
,, tum cornu signum fuerit, colligite res vestras: quum si-
,, gnum alterũ dabitur, iumentis eas imponite: ad signum
,, tertium, ducentem sic sequimini, vt secundum flumen
,, iumenta sint, exterius armati. Quæ quum duces audis-
,, sent, itemque præfecti cohortium, abeunt, & imperata
176 faciunt. Atque ex hoc tempore Clearchus imperium obtinebat, parebant illi, non quod eum ad hoc delegissent, sed quia viderent solum sic sapere, vt principem in exercitu virum oporteat, quum alij rerum vsum nullum haberēt. Iter, quod ab Epheso Ioniæ oppido, ad prœlij tempus vsque confecerant, castris x c I I I absoluerant, quę parasangæ sunt I Ↄ X X X V, stadia vero X V I C I Ↄ, & L. A pugna dicebantur Babylonem vsque restare tria millia stadiorũ & sexaginta. Inde quum aduesperasset, Miltocythes

Quantũ iter Græci cõfecerint ante pugnam.

tocythes Thrax cum XL equitibus, & circiter CCC e Thracia peditibus, ad regem perfugit. Ceterorũ dux erat Clearchus, quemadmodum conuenerat. Qui quum eum sequerentur, ad castra prima perueniunt prope Ariæum, & ipsius exercitum, circa medium noctis. Quumque armatorum acies instructa esset, Græcorum prætores, & præfecti cohortium, apud Ariæum conueniunt: & tam Græci, quã Ariæus: cum aliis apud hunc dignitate præstantissima viris, iuramento confirmant: non prodituros se mutuo, sed in societate constanter permansuros; addentibus hoc sacramentum barbaris, sine fraude se itineris duces futuros. Hæc sacramenta sic conceperunt, vt apro, tauro, lupo, ariete, mactatis: Græci gladium, barbari hastam in scutum tingerent. Posteaquam fidei sacramento se obligassent, Clearchus inquit: Age vero, mi Ariæe, quãdo eadem nobis & vobis expeditio suscipitur, dic mihi, quæ sententia tua sit de itinere: eadem ne redeundum nobis via sit, qua venimus, an aliam animaduertisse tibi potiorem videris? Et Ariæus: Si viam, qua venimus, inquit, fuerimus ingressi, omnes fame peribimus: quippe qui commeatum nullum habeamus. Nam totis denis septenis castris proximis ne tum quidem, quum huc pergeremus, quidquã ex ipsa regione habere potuimus: & si quid sane istic fuit, nos quũ iter illac faceremus totum absumsimus. Iam vero cogitamus via longiore quidem illa proficisci, sed in qua commeatus nobis haud deerit. Ac castra quidem prima, quam fieri poterit, longissime promouenda erunt: vt quam maxime regiis a copiis diuellamur. Nam si semel bidui vel quatridui ab ipsis itinere abfuerimus, non iam rex amplius nos adsequi poterit. Nam paruis cum copiis sequi nos minime audebit, & magno cum exercitu celeriter progredi non poterit, atque etiam fortasse commeatus inopia laborabit. Hæc mea, inquit, sententia est. Ceterum hoc de ducendo 277
exerci[illegible] consilium ad nihil aliud, quam ad recessum & fugam accom[illegible] fortuna melius ducis est officio functa. Nam vbi primum illuxisset, sic iter faciebant, vt solem haberent ad dextra[illegible] Existimabant enim, occidente sole ad vicos agri Babylonici se peruenturos: in quo sane haudquaquam falsi sunt. Ve-

Ariæi de profectione consilium.

rum circa vesperam hostiles equitum copias videre visi sunt. Quare tum Græci, qui extra ordines incedebant, cursu se ad eos receperunt: tum Ariæus, qui forte curru faciebat iter, quod vulneratus esset, descendens de eo lorica se muniebat vna cum suis. Interea tum armis illi se induerent, speculatores præmissi redeunt, ac non equites hos esse renuntiant, sed iumenta pastum quærentia. Quapropter omnes animaduertebant, regem alicubi in propinquo habere castra. Nã & fumus non magno ex interuallo in vicis conspiciebatur. Ibi Clearchus, tametsi in hostem non duceret, quod norat, milites tantum non animos despõdisse, atq; etiam adfligi inedia: quum præterea dies quoq; declinasset admodum: non tamen etiã deflectebat, quod caueret, ne fugere videretur: sed recto ducens tramite, sole iam occidente cum iis, qui erant in fronte, proximis in vicis castra locat. Erant autẽ ex illis ab agmine regio direpta etiam ipsa ædificiorum ligna. Ac primi quidẽ † quali quali sane modo castra sunt metati, posteriores, quia nocte obscura venerant, quo forte quilibet loco erat, cubabãt: ac mutuo se adpellando tantum clamorem excitabãt, vt is ab hostibus etiam audiretur. Quo factum est, vt hostiũ proximi suis e tentoriis fugerent. Satis hoc postridie animaduersum fuit. Nam neque iumentum vllum vsquam adparuit neque castra, neque fumus vllus in proximo. Quin & rex ipse nostri exercitus accessu, quemadmodum videbatur, perterritus fuit: idque satis declarauit iis, quæ altero die fecit. Sed tamen eadem nocte procedente, Græcos etiam terror ac tumultus quidam inuasit, tantusque strepitus erat, quantũ esse consentaneũ est tum, quum terror aliquis incidit. Clearchus vero Tolmidem Eleum, quem longe præstantissimum eius temporis præconem apud se forte tunc habebat, pronuntiare iussit, silentio prius indicto: Significare duces omnibus, eum, qui auctorem
* [illegible] terroris indicarit, [illegible] mercede talentum argenti accepturum. Id posteaquam proclamatum [illegible] præconem fuit, intellexere milites terrorem vanum
278 fuisse, ac duces saluos esse. Sub primam lucem Clearchus Græcis imperat, vt armati illum in ordinẽ se collocarẽt, quo in prœlio priori constiterant. Ceterum quod paullo

Magnitudo animi in Clearcho.

† lectio marginis.

** lectio marginis.*

ante

ante scripsi, regē hoc aduentu nostro exterritum fuisse: id sane manifestū erat. Nam missis ad nos quibusdā pridie eius diei, postulabat arma sibi tradi: tunc vero sub ortum solis per caduceatores de fœderibus agebat. Illi quū ad primas excubias venissent, duces quęrere se aiebāt. Quod vbi renuntiatū a custodibus esset, forte Clearchus id tēporis ordines lustrans, custodibus ait: mandarent eis, vt opperirentur, donec sibi otium esset. Quum autē sic instruxisset exercitum, vt omni ex parte pulcherrimā densæ phalangis speciem exhiberet, nec quisquā inermis esset in conspectu: nuntios arcessit, ac tum ipse progreditur aliquantū cum parte militū suorū armis instructissima, visuq; pulcherrima, tum aliis hæc ducibus denūtiat. Posteaquam ad nuntios peruentū esset, ecquid vellent, interrogat. Respondent illi, missos esse homines idoneos ineundorum fœderum caussa, qui & Græcis renuntiare mandata regis possent, & Gręcorum mandata regi. Quibus Clearchus: Ergo renuntiate regi, ait, primū prœlio decertandum esse. Nam & prandium nusquā nobis est, & nemo est hominū, qui apud Græcos mentionē facere fœderum audeat, nisi si prandiū præbeat. His nuntij auditis abequitant, ac statim redeunt: de quo ipso perspici poterat, in propinquo regem alicubi esse, vel quemdam alium, cui huius rei perficiendæ negotium datum esset. Respondent autem, regi videri æqua esse, quæ proponerent. [illegible] ducibus itinerū, qui eos, si fœdera inirentur, ducturi ad illa [illegible] vbi commeatum abunde habituri essent. Quos vicissim Clearchus interrogabat, an iis tantū fœdera polliceretur, qui [illegible] psum ituri ac redituri essent: an futurū sit, vt omnes iisdē fœderibus cōprehendantur? Respondēt illi, pacē omnibus promitti, quousq; a vobis proposita ad regem referantur. Quæ quum dixissent, Clearchus, nonnihil summotis ipsis, de tota re consultabat: decretumq; est, quā primum fœdera ineunda esse, vt pacate perueniri ad capiendum cōmeatum posset. Idem sibi placere Clearchus aiebat. sed tamen hoc decretum nostrum cōfestim ipsis nō significabo, sed cunctabor aliquamdiu, donec legati vereantur, ne fœderū ineundorū ratio a nobis repudietur. Equidem nostros etiā milites eodem in metu futu-

Regi metus a Græcis incutitur.

ros arbitror. Posteaquam visum est illi esse commodum, 279 percussurum se fœdus ait, statimque duci ad commeatum parandum se iussit. Præibant illi. Clearchus fœdera percussurus, copiis instructis iter faciebat, quarum ipse partem vltimam custodiebat. Incidunt autem in fossas & alueos aqua plenos, quos absque pontibus trāsire non poterant. Sed tamen eos palmarum adiumento traiiciebant, quæ partim humi stratæ iacebant, partim ab ipsis cædebantur. Atque heic animaduerti poterat, quo pacto Clearchus præesset. Nam manu læua tenebat hastam, dextra baculum: ac si quis ei videretur illorum, quibus hoc negotij dederat, ignauius se gerere: mox idoneum eligens, illum alterum remouebat: quum quidem ipse descēdens in cœnum, cum aliis manū operi admoueret. Quo fiebat, vt omnes dedecori sibi fore ducerent, si non & ipsi magno studio rem maturarent. Quamquam autem apud se triginta tantum annos natos constituisset, tamen etiam ætate prouectiores, posteaquam Clearchū maturantem opus viderunt, & ipsi manus admouerunt. Multo certe magis Clearchus festinabat, quod fossas in hunc modum non semper aqua plenas esse suspicaretur: quippe quum illud anni tempus non esset, quo campi rigari solerent. Existimabat nimirum regem idcirco aquam cāpo immisisse, quo multa Græcis in itinere difficultatem adlatura viderentur. Confecto itinere, ad vicos veniunt, e quibus duces viæ com[illegible] heic magna frumenti copia, esse demonstrauera[illegible]um de palmulis, cum aceto, quod de iis- & vinum ex[illegible]mulis decoctum erat. Hæ palmarum glandes, cuiusmodi † [non] inuenias in Græcia, famulis reseruabantur. Quæ autem dominorum in vsum seruabantur, delectæ cum cura erant, admirabili tum pulchritudine, tum magnitudine. Adspectu nihil ab electro differebāt. Nonnullas exsiccatas pro bellariis reposuerant. Et erant ad potū suaues quidem illæ, sed capitis tamē dolorē excitabant. Hoc loco primum milites etiam medulla palmæ vesci cœperunt, multis & genus ipsum, & propriam quamdam in hoc cibo suauitatem admirantibus. Sed tamen idem hoc etiam capiti vehementer infestum erat. Palma ipsa, cui medulla esset ademta, prorsus exarescebat,

Clearchus qua ratione suos excitarit.

[illegible]st e lectione marginis.

bat. Tres heic dies commorati sunt, & interea Tissapher-
nes a magno rege venit, cum cõiugis regiæ fratre, ac tri-
bus aliis Persis, quos multi serui sequebantur. His quum
duces Græcorum obuiã processissent, prior Tissapher-
nes hæc per interpretem loquutus est: Equidem, Græci, 280
proximus vestræ sum Græciæ, & quia videbã vos in mul-
ta & inexplicabilia mala incidisse: reperiundum mihi a-
liquid duxi, si qua ratione petere a rege possem, vt vos
per ipsum mihi liceret saluos in Græciam reducere. Pro
quo quum intelligerem tum vos, tum Græciam vniuer-
sam erga me non ingratam fore: petij hoc a rege, simul-
que dixi, iure ipsum hac in parte mihi gratificaturum,
qui primus de Cyri expeditione ad ipsum retulerim, &
vna cum nuntio mecum etiam adtulerim copias auxilia-
res: ac solus ex iis, qui oppositi Græcis fuere, non fuge-
rim; sed aciem perruperim, ac cum rege vestris in castris
me coniunxerim, in quæ rex Cyro iam interfecto vene-
rat: qui deniq; barbaros ex parte Cyri cum iis ipsis, quas
nunc mecum habeo, fidissimas ipsi, copiis prosequutus
fuerim. Itaque mihi policitus est, se de his deliberatu-
rum. Sed tamẽ quæri ex vobis iussit, quamobrem aduer-
sus ipsum arma ceperitis. Equidem vobis suadeo, mode-
rate respondeatis: vt mihi facilius sit, quantum quidem
potero boni, vobis ab ipso impetrare. Ad quę verba Gręci nonnihil secedentes, quum inter se consultassent, Cle-
archi verbis in hanc sententiam respondent: Nos neque
propterea coiuimus, vt bellum regi faceremus, neq; ad-
uersus regem profecti sumus: sed, quod ipse nosti, mul-
tos Cyrus prætextus ac tergiuersationes inueniebat, vt
& vos imperatos offenderet, & nos huc perduceret. Post-
eaquam vero circumuentum iam ipsum difficilibus pe-
riculis videremus, Deos atque homines reueriti sumus,
ne ipsum desereremus; præsertim qui superioribus tem-
poribus ipsius beneficia non fuissemus aspernati. Postea-
quam Cyrus e viuis excessit, neque de regno cum rege
contendimus: neque quidquam habuimus caussæ, cur
ipsius agrum infestare vellemus: nec eum tollere de me-
dio cupimus, modo liceat domum sine cuiusquam mo-
lestia redire. Quod si quis iniurius erit, in hunc cũ Deum
ope vindicare conabimur. Si quis etiam prior beneficiis

Excusatio Clearchi ad regem & Tissaphernem.

nos prosequatur, ab illo superari nos benefaciendo pro viribus nostris haud patiemur. Hæc Clearchus: quæ Tissaphernes quum audiisset, inquit: Equidē hæc regi nuntiabo, vicissimq; mandata ipsius vobis. Sunto autē induciæ, donec ego rediero. Itidem forū vobis nos suppeditabimus. Postridie nō redit, quę res sane sollicitos Græcos
281 habuit. Die tertio quum venisset, ait perfecisse se apud regem, vt sibi facultas Græcos incolumes domum reducendi cōcessa sit; tametsi quamplurimi fuissent, qui contradicerent, non ex regis esse dignitate, qui aduersus ipsum arma cepissent, dimittere. Ad extremū: Licet iam, ait fidem a nobis accipiatis, certo nos ditionem regis pacatam vobis reddituros: & suppeditato commeatu, sine fraude vos ducturos in Græciam. Sicubi forum non suppeditauerimus, potestatem vobis faciemus, cōmeatum ex regione nostra sumēdi. Vos vicissim nobis iureiurando sancte policebimini, tamquam per regionem amicorū sine vllo damno vos iter facturos: ac si forum non præbuerimus, esculenta & potulenta sumturos: sin forum instituatur, commeatum pretio numerato redemturos. Decreta sunt hæc, & iureiurando sancita; quū Tissaphernes, & coniugis regiæ frater, Græcorum ducibus ac præfectis cohortiū manus dextras porrigerent, ac vicissim a Græcis acciperent. Post hæc Tissaphernes; Equidem, ait, ad regem me iam confero. Posteaquam vero perfecero, quæ perfici necesse erit: redibo, paratis omnibus, deductum vos in Græciā, & meam in prouinciam memet receptum. Hinc iam & Græci, & Ariæus, castris in proximo locatis, Tissaphernem amplius xx diebus opperiebantur. Interea veniunt ad Ariæū fratres, & propinqui ceteri, itemque nonnulli Persarum ad ipsius milites, qui animum eis addebant, nonnullis a rege fidem datam significantibus, non fore memorem eius iniuriæ regem, quod in armis cum Cyro fuissent, nec vllius alterius rei præteritæ. Quæ quū ita fierent, palam animaduerti poterat, Ariæum cum suis minus iam Græcis addictos esse, vt iam illud ipsum plerisque Græcorum non placeret, qui Clearchum quum accessissent, ac duces ceteros: Quid, inquiunt, heic exspectamus? an nescimus, nihil regem malle quam nos perditos, vt Græcis etiam

Fœdus sancitur cum Clearcho & Græcis.

cete-

ceteris metum incutiat, ne aduersus ipsum arma capiat? Nimirum iam dedita opera nos heic retinere conatur, quum exercitum hinc inde dispersum habeat. Verum quamprimum is de integro collectus fuerit, fieri non potest, quin nos adoriatur. Fortassis etiam alicubi vel fossas struit, vel munimenta, vt nobis iter nullum pateat. Neque enim fiet ipso volente, vt nos in Græciam reuersi nuntium adferamus, tam exiguas copias nostras regiam potentiam non procul a portis eius fregisse, ac illuso rege rediisse. Clearchus autem iis, qui hæc aiebāt: Equidem, respondebat, hęc omnia cum animo meo perpendo: sed tamen illud etiam cogito, si iam discedamus, futurum, vt videamur ita voluisse discedere, quasi bellum expetamus, & contra fœdera facere velimus. Deinde forum nemo nobis præbebit, neque frumentandi copia suppetet. Pręterea ducem itineris neminem habebimus. Etiam Ariæus mox a nobis deficiet, si hoc fecerimus. Quo fiet, vt neminē amicum simus habituri reliquum: sed illi etiā futuri sint hostes, qui prius amici erant. Fluuius quidem num traiiciendus sit nobis alius, haud scio: Euphratem certe scimus, hoste impediente, nullo modo transire posse. Nec equites habemus auxiliarios, si pugnam res poscat. At hosti tum amplissimus, tum pretij quamtiuis equitatus est. Quemnā igitur interficiemus, si maxime superiores in pugna simus? certe si vincemur, nemo saluus euadere poterit. Equidem haud scio, cur regem perdere nos cupientem iusiurandum præstare necesse fuerit, ac dare dextrā, Deosq; iurisiurandi testes implorare, datam denique tum Græcis tum barbaris fidem irritā facere, quū a tam multis ipse auxiliis instructus sit. Multa in hanc sententiam dicebat. Interea Tissaphernes cum copiis suis aderat, quasi domū profecturus, itemq; cum copiis suis Orontas. Etiam regis filiā Orontas, matrimonio sibi iunctam, secum ducebat. Itaque deinceps Tissapherne præeunte, ac forum suppeditāte, proficiscebantur. Comitabatur & Ariæus Tissaphernem ac Orontam, cum Cyri copiis, quas de barbaris Cyrus cōscripserat: & erant illi cum Tissapherne & Oronta castra cōmunia. Græci, quum eos suspectos haberent, seorsum cum itineris ducibus suis pergebant. Semper ita meta-

282 *Clearchi stulta prudētia. Vide Plutarchū in Artaxerxe.*

bantur castra, vt aliquando minus vna parasanga ab se inuicem distarent. Præterea cauebant alterutri sibi ab alteris tamquam hostibus, quæ res statim suspicioni ansam præbuit. Nonnumquam inter lignandum eodem loco, vel inter pabulandum, vel colligendum eius generis alia verberibus sese multabant. Quæ res & ipsa inimicitias excitabat. Quum castra ter habuissent, ad Mediæ murum perueniunt, quem & ingressi sunt, exstructum opere latericio, & bitumine, quum latitudinem haberet xx pedum, altitudinem c. longitudo ferebatur

Murus Mediæ quantus fuerit.

283 tur esse parasangarum xx, neque procul a Babylone aberat. Inde castris alteris, quum parasangas confecissent octo, binos alueos manu factos traiecere, ponte alterum, alterum nauigiis septem iunctum. Ducti erant hi a Tigri fluuio, & ab his fossæ per totam illam regionem erant deriuatæ, primæ maiores, deinde minores, tamdem etiam exigui canales, cuiusmodi ad panici segetem in Græcia ducuntur. Hinc ad Tigrim fluuium perueniunt, propter quem vrbs erat ingens & populosa, cui nomen Sitaca, interuallo stadiorum xv a flumine remota. Heic ad vrbem Græci non procul ab horto castra locant, qui & elegans erat, & amplus & multis arboribus densus. Barbari quum Trigim transiissent, conspici amplius haud poterant. A cœna forte Proxenus & Xenophon pro castris ambulabant, quum quidam accedens, excubias primas interrogat, vbinam vel Proxenum vel Clearchum reperiret. de Menone non quærebat, quamquam ab Ariæo veniret, Menonis hospite. Quum respondisset Proxenus, se illum esse, quem quæreret: Ariæus, inquit, & † Artaezus, fideles olim Cyro, & vobis beneuoli, me miserunt: cauendumque vobis esse denuntiant, ne barbari noctu vos adoriantur. Etenim numerosæ copiæ in vicino vobis horto sunt. Præterea vos hortantur, vt ad pontem Tigris fluminis præsidium mittatis. Nam Tissaphernes noctu eum soluere cogitat, vt, si fieri possit, non transeatis: sed medio inter Tigrim & alueum loco intercludamini. Quæ quum illi audiissent, ducunt hominem ad Clearchum; & quæ diceret, exponunt. Perturbatus ille hoc nuntio, mirifico in metu erat: quum adulescens quidam ex iis, qui aderant, re considerata, nequaquam esse aiebat consentanea,

† al. Artabazus.

Insidiæ Persicæ.

Acuta cuiusdam

tanea, quod diceretur ipsos adoriturus Tissaphernes, & pontem etiam soluturus. Nam necesse est eos, si nos adoriantur, vel vincere vel vinci. Si ergo vicerint, quid opus est pontem soluere? Tametsi enim cõplures pontes fuerint, non tamen erit, quo fugientes euadere salui possimus. Sin e contrario, nos victores fuerimus, soluto ponte nulla fugiendi facultas ipsis erit reliqua: ne quidem ferre quisquam ipsis auxilium poterit, deiecto ponte, quamtumuis trans amnẽ multi sint. Quæ quum Clearchus audiisset, quærit de nuntio, quam late pateret ea regio, quę Tigri & alueo sit interiecta. Respondit is, amplam esse, multosque vicos, multas & magnas vrbes habere. Tum vero animaduersum est, clam summissum a barbaris hominem fuisse: qui vererentur, ne Gręci pontem transirent, ac in insula manerent, in qua ex parte vna Tigri fluuio, ex altera alueo pro munimentis vterentur: commeatum ex agro his interiecto haberent, qui & latus esset, & fertilis, præsertim nõ de futuris etiam, qui eum colerent. Quo fieri posset, vt hoc loco pro refugio vterentur, si qui regem petere bello vellent. Secundum hæc quieti se dabant, ac nihilominus ad pontem præsidium mittunt. Verum nec vlla ex parte quisquam eos inuasit, nec ad pontem vllus hostium venit: quemadmodũ ij, qui præsidij caussa locati ad eum fuerant, nuntiarunt. Mane prima aurora pontem XXXVII nauigiis iunctum, quam cautissime fieri posset, transeunt. Nam quidam apud Tissaphernem Græci futuros nuntiarant, qui transeuntes adorirentur: quod sane falsum fuit, nisi quod in ipso transitu Glus cum quibusdam aliis conspectus ab eis fuit, qui num amnem transirent, specularetur: quod quum Græcos facere videret, statim abequitabat. A Tigri fluuio castris quartis, parasangas XX confecerũt, vsque ad Physcum amnem, qui est latitudine plethri. Habebat & pontem, ac non procul aberat ampla ciuitas, cui nomen Opis. Ad eam quum venissent, obuiam habuere Cyri & Artaxerxis fratrem nothum: qui vt opẽ regi ferret, a Susis & Ecbatanis numerosas copias ducebat. Has quum subsistere iussisset, Græcos transeuntes spectabat. Ducebat exercitum in binos Clearchus, & sic faciebat iter, vt nonnunquam insisteret. Quantisper au-

adolescentis ratiocinatio.

284

tem pars copiarum anterior ſubſiſteret, tantiſper etiam per omnem exercitum inhibitionem ab itinere fieri neceſſe erat. Quo factum eſt, vt †ipſis etiam Græcis ingentes eſſe copiæ viderentur, & hic Perſa ſpectans eas obſtupeſceret. Inde per Mediam in ſolitudine caſtris ſextis, paraſangas xxx progreſſi, ad Paryſatidis, quæ Cyri ac regis mater erat, vicos perueniunt. Tiſſaphernes, vt Cyro illuderet, eos diripiendi poteſtatem Græcis fecit, exceptis mancipiis. Erat autem in eis magna frumēti, pecudum, ceterarum rerū copia. Hinc per ſolitudinem itinere facto, caſtris quintis, paraſangas xx confecerunt, quum Ti-

† al. ipſis etiam hoſtibus,

285 grim amnem ad læuam haberent. Ad caſtra prima, trans flumen, vrbs ampla & opulenta erat, cui nomen Cænæ, ex qua barbari ratibus coriaceis panes, caſeum, vinū aduehebant. Deinde ad Zabatum fluuium veniūt, qui erat plethrorum quatuor latitudine. Heic dies tres ſunt cōmorati, quibus nonnullæ ſuſpiciones ortę ſunt, nullę tamen adparebāt inſidiæ manifeſtæ. Quamobrem Clearcho viſum eſt conuenire Tiſſaphernem, & ſi qua ratione poſſet, ſuſpiciones prius extinguere: quam bellum ex eis oriretur. Mittit ergo, qui diceret, cupere Clearchum cū ipſo congredi. Reſpondit is prōte, vt modo veniret. Quū conueniſſent, Clearchus hac oratione vſus eſt: Noui ego, Tiſſaphernes, ſacramentis nos mutuo deinctos eſſe, dataſque dextras, ne iniuriam alter alteri faciat. Sed tamen cauere te tibimet a nobis, tamquam ab hoſtibus, video: noſq; viciſſim, quum id videamus, nobis abs te cauemus. Quia vero mecum ipſe diſpiciens, nihil animaduertere poſſum, in quo tu nos lædere coneris: & ipſe certo ſcio, nos nihil tale ne quidem cogitare: putaui te mihi colloquendi cauſſa conueniendum eſſe, vt ſi qua ratione poſſemus, finem mutuo diffidendi nobis faceremus. Nam noui equidē homines, qui quum vel propter criminationes, vel ſuſpicionē, mutuo ſeſe metuerent, prius quam quid ipſis accideret, anteuertendi conatu atrociſſimis malis eos adficerent, qui nihil tale nec exſpectarēt, nec vellent. Quare quum huiuſmodi errores exiſtimarē maxime familiari conſuetudine ſopiri, ad te venio, teq; docere cupio, non recte nobis te diffidere. Quod enim primum eſt & maximum, ipſa nos iuriſiurādi religio nobis in-

Tiſſaphernis & Clearchi congreſſus.

bis in-

bis inuicem infestos esse non patitur: quàm si quis parui se fecisse sibimet cõscius est, eum equidem beatum prædicare non possum. Nam haud scio, quo pacto quis bellum sibi a Diis illatum ulla celeritate possit effugere, nec quibus ab eo se latebris tegere possit, vel propugnaculis includere. Nimirum vbiuis locorum omnia Diis subiecta sunt, & vbique Dij pari ratione omnia sua potestate continent. Atque hæc est mea de Diis ac iureiurãdo sententia, apud quos initam nos amicitiam deposuimus. Quod humanas autem res adtinet, equidem te nobis in hoc tempore longe maximum esse bonum statuo. Nam per te nobis omnis via transitu facilis est, omne flumen
permeabile, nulla commeatus inopia: absque eodem 286
sit, iter omne caliginosum erit, quippe cuius ignari plane simus: flumen omne traiectu difficile, omnis turba terribilis, multoque maxime terribilis solitudo, quippe quæ variis difficultatibus referta sit. Quod si te furore impulsi occidamus, quid aliud fecerimus, quam quod occiso homine de nobis bene promerito, aduersus regẽ maximum vindicem tuum, decertabimus? Equidẽ quas & quales mihi spes facturus sim irritas, si quid aduersus te mali struere coner, exponam ipse. Cyri amicitiam ego expetiui, quod illum vnum arbitrarer inter homines sui temporis idoneum maxime ad bene merendum, de quibus ipsi visum esset. Nunc te video potitum & potentia & ditione Cyri, quum nihilominus integrum tibi sit imperium tuum, atque etiam potestas regia, quàm Cyrus infestam expertus est, tibi præsidio sit. Quæ quum ita se habeant, quis vsqueadeo insaniat, vt esse tibi nolit amicus? Enimuero dicam etiam, vnde spem ipse concipiam, fore te quoque nobis amicum. Scio Mysos vobis molestos esse, quos equidem bona in spe sum me harum copiarum adiumento vobis subiecturum. Scio idem de Pisidis, atque etiam alias nationes permultas eiusmodi esse audio, quas cohibiturum me arbitror, quo minus semper vestræ felicitati molestiæ nonnihil exhibeant. In Ægyptios quidem certe, quibus nunc maxime vos infensos esse intelligo, quarum copiarum auxiliarum ope freti, quam quas ego iam habeo, facilius animaduertere pos-

» sitis, equidem non video. Nimirum si cui finitimorum
» tu amicus esse velles, lõge esses maximus: sin quis aliquid
» tibi molestiæ crearet, eum tamquam dominus tibi pes-
» sundares; idque opera nostra, qui non tantum voluntati
» tuæ subseruiremus stipẽdij caussa: sed etiam gratiæ, quã
» abs te incolumes cõseruati merito tuo tibi haberemus.
» Mihi quidem certe cuncta hæc cum animo meo perpẽ-
» denti adeo mirum esse videtur, te fidem nobis non ha-
» bere: vt lubentissime nomen eius etiam sim auditurus,
» qui tantum dicendo valeat, vt oratione sua persuadere
» possit, tibi nos insidiari. Hæc Clearchus, ad quæ Tissa-
» phernes in hũc modum respondit: Equidem, Clearche,
» de prudente tua oratione magnam voluptatem capio.
» Nam quum hæc intelligas, si quid in me mali moliris,
» mala mihi contra teipsum agitare consilia videris. Verũ
» vt intelligas, non iure vos vel a rege, vel a me deficere
» posse, me vicissim audi. Nam si vos perdere vellemus,
287 num arbitraris equitum nobis defuturam copiam? num
» peditum? num armatorum? quibus sane vos lædere sine
» vllo periculo nostro possemus. Num locorum, quæ ad
» inuadendum vos idonea sint, copiam nobis deesse pu-
» tas? Nonne vos per tot campos pacatos nobis magno cũ
» labore iter facietis, ac tot montes in conspectu sunt, qui
» vobis transeundi sunt, & si a nobis præoccupẽtur, inter-
» clusi eritis? nonne tot flumina sunt, quorum adiumento
» liceat nobis velut e penu depromere, cum quãtis vestrũ
» copiis ipsi velimus dimicare? Immo nonnulla sunt, quæ
» ne transmittere quidem possitis, nisi nostra ope traiece-
» ritis. Sed enim fac rebus hisce omnibus inferiores simus,
» ignis certe fructibus est superior, quibus nos concrema-
» tis, famem vobis tamquam in acie possemus opponere:
» aduersus quam, tametsi vel fortissimi sitis, pugnare tamẽ
» non possetis. Qui ergo, quum tot rationes nobis suppe-
» tant ad bellum aduersus vos gerendum, quarum etiam
» nulla nostro sit cum periculo coniuncta, saltim illam de
» omnibus eligeremus, quæ vna sit ad deos impia, turpis
» ad homines? quæque adeo illorum sit, qui & cõsilij sunt
» inopes, & difficultatibus obiectis ac necessitate præpe-
» diuntur, atque etiam sunt improbi, quippe qui periurio
» erga Deos, & fidei erga homines violatione perficere
aliquid

aliquid cupiunt? Non adeo vecordes vel rationis expertes sumus, Clearche. Verumenimuero † quum nostra esset in potestate vos perdere, cur id adgressi non sumus? A meo profectum hoc studio scire debes, vt nimirum fidum me Græcis declararem, ac vicissim ipse cum externis copiis, quibus Cyrus stipendio conductis fretus huc adscendit, sat beneficentia mea munitus in Asiam inferiorem descenderem. Quas vero ad res vestra mihi opportuna sit opera, quamquam tu fere commemorasti: tamen ego id, quod est maximum, noui. Nimirum vni regi fas est tiaram in capite rectam gestare, verum eamdem in corde gerere, si vos adiunctos sibi habeat, fortassis alteri quoq; nō difficulter licuerit. Quæ quum dixisset, verum Clearcho dicere visus est. Quamobrem subiecit: Si ergo res huiusmodi nobis ad amicitiam mutuam suppetunt, extremis suppliciis digni sunt, qui criminando nobis infestos mutuo nosmet reddere conantur. Et Tissaphernes: Equidem, ait, si vos prætores, & cohortiū præfecti palam ad me venire volueritis, indicabo eos, qui dicant, te mihi & exercitui meo insidiari. Ego vero, inquit Clearchus, omnes abducam, atque etiam significabo tibi, a quibus de te audierim. Post hæc verba comiter Clearchum Tissaphernes excipiēs, iussit apud se maneret, ac mensæ suæ adhibuit. Postridie reuersus ille in castra, manifesto præ se ferebat, quasi admodum Tissapherni amicus esset, & quæ ille nuntiasset, exponebat. Pręter hæc aiebat, ad Tissaphernem iis eundū esse, quos ipse iussisset; quique Græcorum conuicti fuerint, ait, suspectos & inuisos alios velle reddere, hi tamquam ipsimet proditores, & improba consilia contra Græcos agitantes, suppliciis multabuntur. Suspicabatur vero, Menonem esse illum, qui calumniis alios exponeret. Norat enim, hunc se contulisse ad Tissaphernem cum Ariæo, eumdemque secum inimicitias exercere, ac eas insidias struere, quib. exercitu vniuerso suas in partes traducto, cum Tissapherne amicitiam coleret. Volebat & Clearchus totius agminis animos in se respicere, ac eos, quos graues molestosque sibi experiretur, remouere. Aduersabantur ei milites plerique, qui dicerent, duces omnes, omnesq; cohortium præfectos, nequaquam pergere ad

† Lectio marginis.

Astutissimum nefarij hominis consilium.

288

Clearchus male rebus suis prospicit.

Tissaphernem debere, neque illi fidem habendam esse. Verum Clearchus tam diu vehementissime contendit, donec perfecit, vt duces quinq; cum xx præfectis cohortium ad Tissaphernem irent. Hos vna ceteris ex militibus circiter cc sequuti sunt, quasi ad rerum venaliũ forum pergerent. Posteaquã † ad prætorium Tissaphernis peruentũ esset, duces intro arcessiti sunt, Proxenus Bœotius, Meno Thessalus, Agias ex Arcadia, Clearchus Lacedęmonius Socrates Achęus. Præfecti cohortiũ ad portas substiterunt. Neq; multo post, ad idẽ signum tam ij, qui intus erant, comprehensi fuere: quam qui foris, cæsi. Tũ deinde barbari quidam equites per campum discurrentes, in quemcumque Græcum, siue seruum, seu ingenuũ incidissent, omnes trucidarunt. Horum Græcis & obequitatio admirationi erat, quam e castris spectabant: & quid illud esset, quod ageretur, ambigebant: donec Nicarchus Arcas fuga dilapsus venit, cum vulnere in ventre accepto, manibus intestina gestaret. Is omnia quę gesta erãt commemorat. Quare Græci ad arma currebant, quum omnes exanimati essent, & hostes mox ad castra venturos existimarent. At illi toto cum agmine non venerunt, sed tantum Ariæus, & Artaozus, & Mithradates, qui Cyro fide maxima coniuncti fuerant. Et Græcorum interpretes vna cum eis se Tissaphernis etiam fratrem
289 videre atq; adgnoscere aiebat. Præterea quidam ex Persis alij numero ccc loricati hos sequebantur. Posteaquã propius accessissent, venire iubebant omnes, quicumq; Græcorum vel prætores, vel præfecti cohortium essent: vt eis, quæ a rege mandata haberent, exponerent. Prodeunt ergo Gręci, quum sibi sat cauissent, duces quidem Cleanor Orchomenius, Sophænetus Stymphalius, & cũ eis Xenophon Atheniensis, qui Proxeno quid accidisset, cognoscere cupiebat. Cherisophus forte aberat, cum aliis commeatus parandi caussa quemdam in vicum profectus. Posteaquam eo loco constitere, de quo audiri poterant, Arięus inquit: Clearchus sane, viri Gręci, quia palam & iusiurandũ & fœdera violauit, morte pœnas meritas luit. Proxenus & Meno, quod insidias eius detulerint. Magno sunt in honore. Ceterum a vobis rex arma postulat. Nã ea sibi deberi statuit, quippe quæ Cyri serui sui

† ad portas.

Græcorũ duces per fide comprehenduntur.

sui fuerint. Ad ea respondit Græcorum nomine Cleanor Orchomenius: Sceleratissime hominum Ariæe, vosque ceteri, qui Cyro, amicitia coniuncti eratis, non Deos atque homines reueremini? qui quum iureiurando vosmet obligaueritis, eosdem vos nobiscũ & amicos & hostes ducturos, iam cum Tissapherne, homine omnium impiissimo, & vaferrimo, nos etiam proditis, ac posteaquam eos, quibus sacramento confirmabatis, vos plane periisse, cum nobis vniuersis deseruistis, iam cum hostibus etiam aduersus nos tenditis? Ad quæ Ariæus: Atqui Clearchus, inquit, antea deprehensus est Tissapherni, & Orontæ, & nobis omnibus, qui cum ipsis eramus, insidias moliri. Heic Xenophon ait: Si ergo Clearchus præter religionem iurisiurãdi fœdera rupit, pœnas dedit. Iustum est enim, periuros interire. At Proxenum & Menonem, qui bene de vobis promeriti, ac duces nostri sunt, nobis huc remittite. Manifestum est enim, eos, qui vtrisque amici sunt, conaturos tam vobis, quam nobis id dare consilij, quod optimum facto fuerit. Ad quæ barbari, quum diu colloquuti inter se essent, nullo responso dato, discesserunt. Duces quidem ipsi hoc pacto comprehensi ad regem deducti sunt, & capitibus abscissis viuendi finem fecerunt. Ex eis Clearchus omnium consensu, qui vsu eum norant, visus est fuisse vir & peritus rerum bellicarum, & earumdem supra modum cupidus. Etenim quam diu bellum inter se Lacedæmonij & Athenienses gerebant, non deseruit suos: pace constituta ciuibus suis persuasit, Thraces aduersos Græcos iniurios esse: reque ab Ephoris quanto poterat conatu impetrata, classem Thracibus iis, qui supra Cherronesum & Perinthum sedes habent, bellum illaturus eduxit. Posteaquam vero Ephori, mutata quodammodo sententia, quum iam domo profectus esset, ex Isthmo reuocare ipsum niterentur: non iam amplius obtemperauit, sed nauigare in Hellespontum perrexit. Ex eo factum, vt Spartani magistratus hominem morti addicerent, quasi qui parere noluisset. Quapropter in exsilio quum ageret, Cyrum accedit, quem cuiusmodi rationibus sibi conciliauerit, alibi perscriptum a nobis est. Cyrus quidem ei Daricorum nummorum

Clearchi encomiũ & res gestæ. 290

CCIↃↃ quum donasset, non ille auro accepto secordiæ
se dedit: sed collectis hac pecunia copiis, Thracibus bel-
lum intulit, quos & prœlio vicit, & deinceps populatus
est, continuato aduersus eos bello, donec Cyrus exercitu
eius egeret. Tunc enim discessit e Thracia, vt qui vna cũ
Cyro ad bellum gerendũ se coniuncturus esset. Hęc igi-
tur satis adparet opera fuisse hominis ad belli studia
propensi, qui cum citra ignominiã & detrimentum suũ
pacem colere posset, bellum gerere malebat: quum se-
cordiæ se dare posset, labores suscipere malebat, vt bello
interesset: quum extra omne periculum in re lauta esse
posset, potius fortunas suas diminuendas bellicis sumti-
bus statuebat. Quapropter in bellum pecunias eroga-
bat, atque si eas in amores & voluptates alias expende-
ret. Tantum in eo belli studium erat. Peritus autem bel-
licarum rerum fuisse visus est ex eo, quod pericula non
reformidaret, & noctu dieque in hostem duceret, inque
rebus formidolosis prudẽs esset, quemadmodum ij, qui
cum eo fuerunt, omnes vbique fassi sunt. Pręterea impe-
randi artem egregie tenere dicebatur, pro illo ingenio,
quo ipse præditus erat. Nam si quis alius, Clearchus cer-
te procurare poterat, vt exercitus a cõmeatu instructus
esset, ac si deficeret, eumdem compararet. Idẽ militum
animis hoc ipsum indere poterat, vt imperium Clearchi
minime detrectandum statuerẽt. Atq; hoc acerba duri-
Descriptio cie sua consequebatur. Nam & tristis erat in eius vultu
naturæ seueritas, & asperitas in voce. Semper puniebat grauiter,
Clearchi. nonnumquã iracunde, vt etiã aliquando ipsum supplicij
pæniteret. Sed tamẽ etiã certo animi iudicio pœnas su-
„ mebat. Nã exercitus impuniti nullũ esse putabat vsum.
„ Quin dicere solitũ aiũt, militẽ metuere magis impera-
291 torẽ debere, quã hostem: siquidem vel excubias recte sit
„ obiturus, vel abstinẽter in amicos se gesturus, vel sine re-
„ cusatione perrecturus in hostẽ. In periculosis quidẽ re-
bus milites admodũ ipsius orationem expetebãt, neque
quemquã aliũ ei præferebãt. Nã pro seueritate illa tristi
aiebãt tum quamdã hilaritatẽ ex eius vultu relucere, &
acerbitas videbatur aliquid habere roboris aduersus ho-
stẽ. Quo fiebat, vt non iã amplius acerbitas illa molesta,
sed esse salutaris existimaretur. Verum posteaquam pe-
ricu-

riculis liberati erant,& iam ad aliorũ imperia conferendi se potestatem habebant,complures eum relinquebãt. Nam suauitas in eo morum nulla erat, sed semper esse grauis ac sæuus pergebat. Denique militum erat is erga Clearchum animus, qui puerorum est erga magistrum. Quippe numquam eum sequuti sunt propter quãdam erga ipsum beneuolentiam & amorem. Qui autem vel a republica ipsi erant adtributi,vel egerent,vel necessitate quadam alia coacti aderant:hos admodũ in officio continere poterat. Posteaquam vero milites etiam hostes vincere vna cum ipso cœperunt, tum vero deinde permulta ipsi suppetebant, quibus milites suos frugi redderet. Nam & præsentibus aduersus hostes animis, & quia supplicia ducis metuerẽt, magis obseruãtes ordinis erãt. Huiusmodi Clearchus imperator exstitit. Ceterum alterius imperio nõ lubenter parere ferebatur. Annum agebat, quum migraret e vita, circiter quinquagesimum.

Proxeni encomiũ & res gesta.

Proxenus autẽ Bœotius, mox inde a prima ætate in eum virum euadere cupiebat,qui magnis rebus gerendis idoneus esset. Qua cupiditate ductus,Gorgiæ Leõtino mercedem dedit:cuius vbi consuetudine vsus esset, ac se iam idoneum arbitraretur, qui in alios imperium obtineret, atque etiam sic principibus viris amicus esset vt beneficiis superari se non pateretur: his cyri negotiis, sese implicauit, paraturumq; de iis clarum se nomen, & potentiam insignem, & fortunas amplas existimabat. Quas res quamquã expeteret,tamen palam animaduerti poterat,nolle ipsum quidquam horum per iniuriam apisci: sed cum iusticia & rationibus honestis,non sine his,consequenda putabat. Ceterum imperare poterat ille quidem bonis & egregiis militibus, sed tamen pudorem vel metum incutere suis haud poterat, sed magis subiectos imperio suo reuerebatur,quã illi ipsum: magisq; metuere palam animaduertebatur, ne militũ odium incurreret,quam metuerent milites, ne parum ei parerẽt. Idem 292
existimabat ad hoc,vt imperandi peritus & esset & videretur, sufficere:si honeste se gerentem collaudaret, iniustum non laudaret. Enimuero prǽclari & egregij milites, qui cum ipso viuebant,propenso erant in ipsum animo: iniusti tamquã ei,qui circumueniri facile posset,insidia-

Encomiũ Menonis Thessali ab omni fraudis & scelerum genere.

bantur. Annúm agebat trigesimum fere, quum mortem obiret. Meno Thessalus ingentem opum cupiditatem aperte præ se ferebat, & non minus imperii cupidus erat, vt plura consequeretur: & esse in honore volebat, vt plus lucri faceret. Potentissimis quibusque amicus esse volebat, vt iniuriarum pœnas non daret. Viam maxime compendiariam arbitrabatur esse ad efficiundum ea, quæ concupisceret, si peieraret, & mẽtiretur, & falleret. Simplicem & candidum esse, pro eo ducebat, atque si quis sit stupidus. Neminem ex animo diligebat, ac si cui amicum se profiteretur, ei palam insidiabatur. Hostem nullum irridebat, verum de iis, quibuscum esset, ita semper loquebatur, vt quos haberet ludibrio. Itidem bonis hostium non insidiabatur, quod difficile putabat esse, facultates eorum, qui sibi cauerent, consequi: sed amicorum res, quia non admodum seruantur, solus intelligere videri volebat captu facillimas esse. Quoscumq; periuros & iniustos esse animaduerteret, quasi satis munitos formidabat: religionis ac pietatis studiosis, tamquam minime virilibus pro libidine vtebatur. Et quemadmodum alius quispiam propter pietatem erga Deum, veritatem iustitiã gestit: sic Meno iactabat se, quod circumscribere posset alios, quod mendacia fingere, quod amicos irridere. Si quis vafer non esset, eum rudem & imperitum esse censebat. Apud quos in amicitia loco volebat esse principe, hos sibi conciliandos putabat criminatiobus illorum, qui principes apud eos essent. Iniuriarũ societate milites sibi obsequẽtes reddebat. Adfici se honore atque coli propterea volebat, quod demonstraret, & posse, & velle se plurimum iniuriæ inferre. Illis, qui ab se defecissent, obiiciebat hoc beneficij loco: quod id temporis, quum ipsorũ vteretur opera, non eos perdidisset. Ac obscura quidem, ficta videri possunt: quæ autem norunt omnes, hæc sunt. Apud Aristippum forma & ætate adhuc commentatus, stipendiariorum præturam impetrauit. Ariæo, barbaro homini, eodẽ in ætatis flore maxime familiaris fuit, quod ille formosis adulescentibus
293 delectabatur. Ipse imberbis adhuc, Tharypã barbescentẽ in deliciis habebat. Quũ autẽ duces Græci necarẽtur ꝓpterea, quod aduersus regem cum Cyro expeditionem susce-

susceperant, quamquam eadem culpa teneretur, non tamen est interfectus. Sed necatis iam ducibus ceteris, & ipse a rege mortis pœna multatus est, non ille quidem, vt Clearchus, & duces ceteri, quib. præcisa sunt capita, quæ mors esse videbatur honestissima: sed vt homo conscelera tús, anno toto excruciatus viuus, tamdē exspirasse dicitur. Sunt & Agias ille Arcas, & Socrates Achæus interfecti, quos nemo vmquam vt ignauos in bello irrisit, vel in amicitia colenda reprehendit. Vterque XL ætatis annos fere habebat.

XENOPHONTIS HISTORIARVM DE CYRI EXPEDITIONE, LIB. III.

ARGVMENTVM.

1. Enumeratio calamitatum, quæ Græcos vndiq; premebant. 2. Qua occasione Xenophon Cyri militiā sit sequutus. 3. Xenophon de sua profectione Socratē consulit. Quid Socrates ei responderit, faciendūq; censuerit. 4. Xenophontis in exercitu Græcorū consopiti somniū. 5. Eiusdem querela, & prima oratio. 6. Altera Xenophontis ad duces oratio. 7. Xenophon a Cherisopho laudatur. 8. In mortuorum ducū locum noui duces subrogantur, & Xenophonti prætura defertur. 9. Alia Xenophontis oratio, qua Græcos ad fortiter barbaris periuris resistendum hortatur, & salutis bello parandæ rationē, propositis suorum maiorum exemplis, fuse demonstrat. 10. Græci ex Xenophontis sententia maximam suorum impedimentorum partem ad bellicos vsus non necessariam, plaustra, tentoriaq; cremarunt. 11. Mithridates ad Græcos venit, vt eorū consilia & conatus exploret. 12. Decretū de nō admittēdis hostiū præconibus, & aliis, qui res Græcorū explorare, atq; militū animos labefactare poterāt. 13. Xenophōtis ingenuitas in errore suo cōfitendo. 14. Eiusdē consiliū de funditoribus, & equitib. instituēdis. 15. Mithridatis iactabūdi vanitas. 16. Mithridates a Græcis stratagemate circūuētus. 17. Larissæ vrbis deserta descriptio. 18. Vrbē nomine Mespila quomodo

Rex Persarum in suam potestatem redegerit. 19. Quis fuerit successus consilij, quod Græcis a Xenophonte datum. 20. Agmen quadratum cur hoste sequente non sit commodum. 21. Barbari Græcos grauiter premunt. 22. Xenophontis illustre facinus. 23. Rhodij militis de flumine traiiciendo consilium. 24. Cadurchorum bellicosa natio. Alterum huius libri breuissimum argumentū in libri sequētis initio vide.



VAE Græci in expeditione, quam cum Cyro instituerunt, ad pugnā usque gesserint, quæq; post obitum Cyri acciderint, discedentibus ipsis per inducias cū Tissapherne, superiore libro est expositū. Posteaquam vero duces comprehensi erant, & qui eos sequuti fuerāt præfecti cohortium atq; milites periissent: magnis rerum difficultatibus Græci urgebantur, quum se prope a porta regis abesse cogitarent: multas undiq; tum nationes, tum urbes infestas esse, a quibus circumdarētur: annonā neminē deinceps suppeditaturū: se a Græcia stadiis amplius CCIↃↃ abesse: ducem itineris desiderari: fluuios medio in itinere patriam versus cōplures se arcere, qui transiri vado nō possent: proditos se ab illis etiam barbaris esse, qui cum Cyro in Asiam adscenderant: solos iam relictos esse, ac nullas habere copias auxiliarias equestres: unde manifesto pareret, neq; si vincerēt, vel unum . . . . . interfecturos:

Enumeratio calamitatum, quibus urgebantur Græci.

294 & si vincerentur, ne unum quidem viuū relictum iri. Hec quum apud animos suos expenderent, ac mœrore adficerentur: pauci sub vesperam cibum cepere, pauci accenderunt ignes, multis ea nocte ne quidem ad armatos ordines accedentibus. Quisque requieti se illo dabat loco, in quem forte fortuna incidisset, quum præ animi ægritudine ac desiderio patriç, parentū, uxorum, liberū, quos numquam se deinceps visuros arbitrabātur, somnū nullum caperēt. His illi tum animis omnes quiescebāt. Erat autem quidam in exercitu Xenophon Atheniensis, qui neque ducis, neque cohortis alicuius præfecti, neque militis nomine sequutus agmen erat: sed e patria Proxenus ipsum euocarat, cui iam olim erat hospitij iure cōiunctus.

Qua occasione Xenophon ad exercitum venerit.

iūnctus. Policebatur hic ei, si ad se veniret, amicitiam illi secum Cyro conciliaturum, quem ipse sibi vtiliorem videri, quam patriam, diceret. Hanc epistolam quum Xenophon legisset, de hoc itinere suo Socratem Atheniensem consulit. Socrates veritus ne suos apud ciues ei fraudi amicitia cum Cyro ineunda foret, quia Cyrus alacriter Lacedæmonios in eo bello iuuerat, quod aduersus Athenienses illi gesserant: hoc dat Xenophonti consilij, vt Delphos profectus, Deum illum de itinere consuleret. Eo quum Xenophon profectus esset, Apollinem interrogat, cui Deum rem sacram faceret, quem comprecaretur, vt iter, quod apud animum instituisset, quampulcherrime ac honestissime perficeret, reque præclare gesta saluus rediret. Respondit ei per oraculū Apollo, Diis sacrificaret quibus id deberetur. Athenas reuersus, oraculum Socrati aperit. Qui quum illud audiisset, reprehendit in eo, quod non ante omnia de Apolline quæsiisset, vtrum sibi potius & consultius esset, iter hoc suscipere, an manere domi: sed quū ipse prius statuisset, eundum esse interrogasset: quo pacto quam pulcherrime profectionem institueret. Sed quando ita quæsiisti, ait, faciunda sunt, quæ Deus imperauit. Quare Xenophon Diis illis quum sacrificasset, quos Apollo per oraculum significarat, nauem conscendit, ac Sardibus Proxenum & Cyrū adsequitur, qui iamiam adscēsuri in Asiam erāt, statimque Cyro commendatur. Quumque contenderet Proxenus, vt secum maneret; vna Cyrus magno studio idem contendebat. Addebat, se, quamprimum expeditio deducta ad finem esset, mox eum ablegaturū. Expeditio ipsa ferebatur aduersus Pisidas institui. Hoc modo Xenophō militiæ dat nomen, deceptus ille quidem, sed non a Proxeno. Nam is aduersus regem quidquam moliri Cyrum ignorabat, quemadmodum & Græci ceteri, extra vnum Clearchum. Verum vbi in Ciliciam peruentum esset, perspicuū vniuersis esse videbatur, aduersus regem arma capi. Ac tum quidem plerique, tametsi hoc iter formidarent, & inuiti susciperēt: partim tamen mutua, partim Cyri reuerentia retenti, vna sequebantur. Eorum vnus erat Xenophon. Quum autem hæc in exercitu rerum difficultas esset, mæstus quidē ille cum

Xenophon Socratem consulit.

Xenophon se militia dat. 295

Xenophōtis somniū. ceteris dormire nō poterat: sed tamen paullū consopitus, somnium vidit. Videbatur ei telum fulminis in domū paternā deferri, ac mox vniuersam coruscare. Exanimatus metu cōfestim excitatus est e somno, atq; ipsum insomniū partim faustū esse iudicabat, ꝙ quum laborib. & periculis premeretur, magnā lucem a Ioue ortam videre visus esset: partim infaustum verebatur, quod somnium hoc a Ioue rege profectum putaret: & quod visus esset ignis vndique lucere, metuebat, ne extra ditionem regis euadere posset, sed vndique difficultatibus quibusdam præpediretur. Ceterum quale fuerit hoc somnium, animaduertere de euentis licet. Nam statim hæc acciderunt, posteaquam excitatus esset. Primum cœpit ipse secum cogitare: Quid heic iaces? nox progreditur, & quā primum illuxerit, consentaneum est, hostes aduēturos. Quod si regis in potestatem deuenerimus, quid prohibet, quominus grauissima quæq; adspiciamus, & in primis terribilia perpetiamur, & contumeliis adfecti necemur? Quo pacto nosmet tutari debeamus, ad id se nemo comparat, neque res vlli curæ est: sed heic ita iacemus, quasi si nobis otiosis esse liceat. Atenim quanam ex vrbe ducem hæc facturum exspecto? quam ætatē mihimet ipsi venturam opperior? nec enim maturiorē ad ætatem perueniā, si hostibus hodie me dedidero. Post hæc surgit, & primum cōuocatis Proxeni cohortium præfectis, ait:

Xenophōtis querela.

Xenophōtis oratio prima.

Equidem, præfecti cohortium neque dormire possum,
„ quod & vobis vsuuenire arbitror: neq; iacere amplius:
„ dum qui rerum, in quibus versamur, status sit, video. Ni-
„ mirum hostes non prius bellum nobis aperte denuntia-
„ runt, quàm res suas bene cōparatas esse putarēt. At ex
„ aduerso, nostrum nemini curæ est, vt quā præclarissime
„ cum hostibus in certamen descendamus. Atqui si nos
„ summittemus, & regi in potestatē trademus: quid tan-
296 dem nobis euenturum existimamus? quum is tum ger-
„ mani, tum vterini fratris, eiusq; iam interfecti & caput
„ abscissum, & manum, palo suffixerit. Nobis vero, quibus
„ nullus adest, de nobis sollicitus, qui aduersus ipsum ar-
„ ma cepimus, qui pro rege seruum facere voluimus, atq;
„ etiā occidere, si licuisset, quid euenturum existimamus?
„ An non quoduis cōtra nos cōsilium capiet, vt posteaquā

nos indi-

nos indignissimis modis exceperit, vniuersis homini- “
bus terrorem incutiat, ne aliquãdo aduersus ipsum ar- “
ma capiãt? Enimuero ne in eius potestate simus, quid- “
uis nobis faciendũ erit. Equidem quã diu durabant in- “
duciæ, numquã non * vestrã sortem deplorabam, regẽq; *nostram.
cum suis felicẽ prædicabã: quum considerarẽ, qualem & Vel ὑμᾶς
quantam ipsi regionẽ haberent, quam cõmeatus copiã, scribendũ,
quot famulos, quot iumenta, quantũ auri, quantum ve- si vestram.
stium. E diuerso si militum nostrorũ condicionem meo Vertas.
cum animo expenderẽ, nullius videlicet boni copiã no- Æ. P.
bis esse, nisi pretio redimeremus, quod quidem ipsum “
paucos habere scirem: ac si rationẽ aliam parandi com- “
meatus, extra emtionẽ, vsurparemus, futurũ, vt fœderis “
religione prohiberemur: hæc igitur nonnumquam me- “
cum ipse reputans, magis tum fœdera, quam modo bel- “
lum metuebam. Verum posteaquam fœdera ipsi viola- “
runt, arbitror & ipsorum insolentiã, & suspicionẽ nostrã “
finem habere. Nam ea nunc bona, tamquã præmia illo- “
rũ, qui fortiter vtrimq; se gesserint, in medio proposita “
sunt. Ipsi Dij certaminis sunt præsides, qui quidẽ a parti- “
bus nostris, ceu par est, stabũt. Nam hi peierarunt, nos “
quũ multa bona videremus, firmiter ab eis abstinuimus, “
idque propter illa, quæ Diis testibus erant præstita, sacra- “
mẽta. Quo fit, vt iure me multo maiori cum spiritu, quã “
hos, ad certamen descensurum existimem. Præterea no- “
bis corpora sunt, quæ multo magis, quam illorum cor- “
pora, ad frigora, calores, labores perferendos valeant. Iti- “
dem animi nostri, Deum beneficio, generosiores sunt, “
quam ipsorum. Milites ipsi hostium facilius, quã nos, & “
vulnerib. & cædibus peribunt: si quidẽ Dij victoriã nobis “
ita, vt antehac, dederint. Verũ hæc fortassis etiã aliis in “
mentẽ veniunt. Per Deos immortales, nõ exspectemus, “
donec ad nos alij veniãt, qui nos ad facinora præclarissi- “
ma cohortẽtur: sed ipsimet auctores aliis simus, vt & ipsi “
ad virtutẽ semet excitẽt. Exhibere vos tales, qui inter co- “
hortiũ præfectos pstãtissimi sint, & inter duces impera- “
torio munere dignissimi. Equidẽ si vos ad hæc alacriter 297
ducetis, lubẽs vos sequar: si me ducis munere fũgi iube- “
tis, ætatis excusatione nequaq̃ vtar, sed adulescẽtię vigo- “
rẽ ad ppulsandũ mala mihi pfuturũ arbitrabor. Hęc fuit “
eius oratio, q̃ posteaq̃ præfecti cohortiũ audiissent: vni- “

uersi censebant huic ducis munus esse tribuendũ. Vnus erat Apollonides, Bœoticũ quid sonans, qui aiebat nugari eos, qui alia ratione dicerent ipsos salutem consequi posse, quam si rex persuaderetur, modo id fieri posset. simul difficultates explicare incipiebat. Cuius sermone interrupto Xenophon: Vir admiratione dignissime, inquit, tu neque quod vides, intelligis: neque quod audis, memoria tenes. Nimirum æque tu, atq; hi, præsens adfuisti: quum rex Cyro interfecto, eam ipsam ob caussam magnos spiritus gerens, ad nos mitteret atq; arma posceret. Verum quum nos ea non modo non traderemus, sed etiam armati propter ipsius tabernacula castra locaremus, quid nõ ille per legatos ad nos missos fecit? quum & fœdus ipse peteret, & suppeditaret cõmeatum, donec tandem fœdus a nobis impetraret? Posteaquam vero duces ac præfecti cohortium, quemadmodum tu quoque fieri iam vis, fœderibus freti colloquutum ad eos inermes venerunt: annon plagis, vulneribus, iniuriis atrocibus adfecti, ne mortem quidẽ oppetere miseri possunt, quod quidem inprimis, vt arbitror, expetunt? Hæc omnia quum tu noris, illos tamen, qui ad defensionem milites hortantur, nugari dicis, ac rursum nobis hostes adeundos ais, vt eos persuadeamus? Ego vero, commilitones, existimo nobis hunc hominem posthac in communitatem hanc nostram admittendum non esse, ademtaque præfectura cohortis, impedimentis esse onerandum. Nam & patriæ dedecus adfert, & vniuersæ Græciæ, quũ natione Græcus, ita se gerat. Et Agasias Stymphalius: Huic vero, inquit, nihil omnino neq; cum Bœotia, neq; Græcia commune est. Nam vidi vtramq; aurem ei perinde, ac Lydo, perforatam esse. Quod quidẽ ita reuera erat. Quare quum hominem abegissent, ceteri per ordines incedentes: vbicumque prætor saluus esset, prætorem euocabant: vbi ille periisset, proprætorẽ: vbi præfectus cohortis superstes erat, cohortis præfectũ. Quum omnes conuenissent, prima in acie consederunt, & erant
298 duces ac præfecti cohortium, qui conuenerant, fere c. Media prope nocte res gerebatur. Atque heic Hieronymus Eleus, inter Proxeni cohortium præfectos natu maximus, in hunc modum dicere cœpit: Visum est nobis, duces,

duces, ac vos præfecti cohortium, præsentem rerum nostrarum statum intuentibus, conuenire ac vos arcessere: vt deliberemus, ecquid inuenire consilij nobis vtilis possimus. Etiam vero tu Xenophon, ait, ea dicito, quæ ad nos modo dicebas. Tũ ille: Nouimus omnes, inquit, regem & Tissaphernem ex nobis eos, quos potuerunt, comprehendisse: ceteris haud dubie insidiatur, vt si quidem possint, nos interimãt. Ego vero nobis faciundum quiduis arbitror, ne vmquam barbarorum in potestatem veniamus: sed illi potius, si fieri possit, nostra sint in potestate. Quamobrem scire vos volo, plurimum in vobis esse situm, quotquot sane iam conuenistis. Nam hi milites vniuersi vos intuẽtur, quos si fractos animis esse viderint, omnes desides erunt: sin & vos in oculis omnium contra hostes parare se animaduertẽt, & ceteros excitare: scitote sequuturos, & daturos operã, vt vos imitentur. Et vero æquum est, vos hisce nonnihil præstare. Vos enim duces estis, vos ordinum, vos cohortium præfecti: vos pacatis tẽporibus & fortunis & honoribus potiores his fuistis. Quare nunc etiam pugnæ tempore vos ipsos arbitrari debetis militum vulgo præstantiores esse, adeoq; horum caussa vobis & capienda esse consilia, & labores suscipiendos, sicubi vsus postulet. Iam quidẽ certe primum arbitror, magno vos exercitui commodo futuros, si curaueritis, vt in locum eorum, qui perierũt, prætores ac præfecti cohortium quamprimum subrogentur. Nam absq; iis sit, qui imperent, nihil neque præclaræ, neque vtilis rei geri potest vsquam, vt summatim dicam, & bellica in administratione inprimis. Etenim ordinis obseruatio salutaris est, eiusdẽ perturbatio multis iam dudum perniciem adtulit. Vbi subrogati tot duces fuerint, quot esse necesse est: admodum vos opportune facturos arbitror, si ceteris etiam militibus collectis animos addideritis. Nam animaduertitis ipsi, quanto cum animorum languore ad arma veniant, quanta cum anxietate ad excubias. Quo fit, vt si hoc pacto adfecti sint, haud sciam, quis eorum futurus sit vsus siue noctu, seu interdiu. Sin eorum quis animos flexerit, vt non solum cogitent, 299
quid perpessuri sint, verumetiã quid facturi: multo alacriores erunt. Scitis enim, non multitudinẽ esse, nõ ro-

Altera Xenophontis ad duces oratio.

bur, quod victoriam in bellis parit: sed eos, qui Diis adiuuantibus, firmioribus animis hostes adoriuntur, plerumque illi non sustinent. Venit & hoc in mentem mihi, eos, qui bellicis in rebus quoquo modo vitam quærant, ignaue turpiterque vt plurimum mori. Qui vero mortem communem hominibus vniuersis esse, ac necessariam statuunt, tantumque de eo solliciti sunt, vt præclare mortem obeant: eos equidem video magis ad senectam peruenire, ac quam diu viuunt, maiore felicitate frui. Quæ vos & animaduertite, quādoquidem ita temporis ratio postulat, & quum ipsi viri fortes sitis, tum alios cohortamini. Quæ quum dixisset, finem fecit, ac post ipsum Cherisophus: Ego vero antehac, inquit, saltim ex eo te noram, mi Xenophon, quod Atheniensem esse inaudieram. Nunc & orationem, & facta tua laudo, ac tui similes quamplurimos esse opto. Nam ea res bono publico seruiret. Enimuero ne cessemus, amici, sed discedite, ac quicumque magistratibus egetis, eos designate. Designati quum fuerint, media in castra reuertimini, & quos delegeritis, adducite. Nam deinde milites etiam ceteros aduocabimus. Adsit etiam nobis Tolmides præco. Hæc vbi dixisset, surrexit: vt ne differentur ea, quæ confici necesse erat, sed absoluerentur quamprimum. Deinde prætores lecti sunt, pro Clearcho, Timasio Dardanensis: pro Socrate, Xanthicles Achæus: pro Agia Arcade, Cleanor Orchomenius: pro Menone, Philesius Achæus: Proxeni loco, Xenophon Atheniensis. Dum illi legerentur, ac prope iam illucesceret, ac duces in mediū prodirent: habito consilio statuūt, collocatis ante castra excubiis, militem conuocandum esse: qui vbi conuenisset, primus Cherisophus Lacedæmonius surgens, in hūc modum verba fecit: Difficilis est, milites, rerum præsentium status, quum eiusmodi ducibus, & cohortium præfectis, & militibus orbati simus. Præterea copiæ Ariæi, quæ nobis antea societate coniunctæ erant, iam nos deseruerunt. Sed tamen e præsentibus hisce malis, vt viros fortes decet, emergendum nobis erit, ac nequāquam abiiciendi animi: quin potius danda opera, vt si quidem poterimus, præclare vincendo salutem consequamur: sin autem, saltim præclare mortem obeamus, ac numquam

Cherisophus Xenophontē laudat.

Subrogātur duces in mortuorum loca.

Xenophōti prætura defertur.

quam hostium in potestatem viui perueniamus. Etenim hoc si fieret, ea nos perpessuros arbitror, quæ in ipsos hostes Dij conuertant. Post hunc Orchomenius ille Cleanor surgens, in hanc sententiam verba fecit: Videtis, inquit, milites, periurium regis & impietatem, itemque Tissaphernis perfidiam videtis, qui dum se vicinum Græciæ prædicat, ac plurimi hoc ipsum se facturum ait, quod incolumes nos abducere possit: idem nobis iureiurando sese obstrinxit, idem dextram dedit, idem in fraudem duces illexit, & comprehendit. Nec Iouem hospitalem reueritus, Clearchum conuiuam excepit, & his artibus omnes circumscriptos perdidit. Etiam Ariæus, quem nos ad regnum euehere voluimus, cui nos fidem dedimus, ac vicissim accepimus, de nobis mutuo non deserendis, etiam hic neque Deos metuens, neque Cyrum mortuum reueritus, a quo, dum viueret, maximis erat honoribus ornatus, ad homines Cyro infestissimos defecit: ac nos, amicos Cyri, adfligere nititur. Verum de his Dij merita supplicia sumant. Nos autem quum hæc videamus, cauere debemus, ne ab eis amplius decipiamur: sed vbi fortissimis animis dimicauerimus, quidquid Diis visum fuerit, feramus. Hinc Xenophon surgit, quam elegantissime potuit, ad pugnam ornatus. Existimabat enim, si Dij victoriam largirentur, pulcherrimum ornatum victoriæ conuenire: sin moriendum esset, elegantissimo se dignum cultu iudicabat, quo ornatus diem in terris extremum clauderet. Is in hunc modum exorsus est: Cleanor barbarorum nobis & periuria & perfidiam exposuit, quæ quidem vobis etiam nota esse arbitror. Quod si ergo rursum amice cum ipsis agere consilium est, necesse est id magna cum indignatione animi faciamus: quum videamus, qualia ducibus, qui se ipsis accepta fide tradiderunt, acciderint. Sin de ipsis armata manu pœnas eorum: quę perpetrarunt, exigere cogitamus, & omni genere belli eos persequi: multæ Diis iuuantib. ac præclaræ se nobis spes salutis ostendunt. Hęc eo loquēte, quidam sternuit. Id quum audiissent, vniuersi milites vno impetu Deum adorant. Et Xenophon ait: Quando milites, nobis de salute loquentib.

301 ſaluatoris Iouis augurium oblatum eſt: equidem arbitror, huic Deo votum nuncupandũ eſſe, mactaturos nos victimas, quibus nos gratos ob conſeruationem noſtri declarabimus, quamprimum in regionem pacatam peruenerimus. Præterea Diis ceteris votum faciamus, ſacrificaturos nos pro facultatibus noſtris. Hæc cuicumque placuerint, manum tollat. Suſtulerunt omnes, ac deinde voto concepto pæanem exorſi ſunt. Peractis rite omnibus, quæ ad Deorum cultum pertinebant, rurſus ita cœpit dicere: Aiebam modo, multas ac præclaras ſpes ſalutis ſe nobis oſtendere. Primum enim ſacramenta, Diis teſtibus concepta, rata habuimus: quum hoſtes peierando tum fœderum, tum iuriſiurandi religionem omnem violarint. Quæ quum ita ſint, conſentaneum eſt, hoſtibus noſtris Deos infenſos eſſe, nobis præſidio. Poſſunt autem Dij tum ex magnis ſubito paruos facere, tũ paruos, etiamſi periculis iactentur, facile conſeruare, quum volunt. Libet hoc loco maiorum etiam noſtrorum pericula vobis in mẽtem reuocare, vt ſciatis & veſtrum eſſe, vt viri fortes ſitis, & ſtrenuos homines Deum ope grauiſſimis etiam in periculis ſeruari. Nam quum Perſæ vna cum aliis, quos adiunxerant ſibi, ingenti cum exercitu venirent, vt Athenas* dederent: auſi Atheniẽſes ipſis ſe obiicere, victoria potiti ſunt. Quumque votum Dianæ feciſſent, quot hoſtes occidiſſent, tot ſe illi Deæ capras mactaturos, quia ſatis multas inuenire non poterant: decretum factum eſt, vt ſingulos in annos 1 5 mactarentur, quas etiam quotannis hac tempeſtate mactant. Deinde quum ſubſequentibus annis Xerxes, coacto illo innumerabili exercitu, in Græciam profectus eſſet, tum quoque maiores noſtri horum maiores terra marique vicerunt. Licet eius rei tamquam argumẽta videre, quæ tum conſtituta ſunt, tropæa: longeque maximum teſtimonium eſt ipſa libertas vrbium, in quibus vos & in lucem editi, & alti eſtis. Nec enim vllum hominẽ pro domino, ſed Deos adoratis. Huiuſmodi maiorib. prognati eſtis. Neque tamen eis vos dedecori eſſe dixerim: quippe necdum multi dies abiere, quum aduerſus hos, illorum poſteros, acie congreſſi, Deum ope multo, quam vos eſſetis, plures ſuperaſtis. Atque id ſane temporis, pro Cyri regno

*delerent: Æ.P.

regno viros vos fortes præstitistis: nunc quum de salute
vestra certamen propositum sit, multo vos & meliores
& alacriores esse par est, atque etiam aduersus hostem fi- 302
dentiores. Nam si tum, quum nullum adhuc de ipsis pe-
riculum fecissetis, conspecta ipsorum immensa multitu-
dine nihilo minus patrio spiritu pergere aduersus eos
ausi estis: nunc quum periculum feceritis, ipsos ne quidē
multo pluribus cū copiis vos sustinere velle, quid caussæ
fuerit, cur eos adhuc metuatis? Enimuero non ideo vos
deteriore loco esse putetis, quod Cyriani prius a vestris
partibus stātes, iam defecerint. Nam illi etiam his igna-
uiores sunt, quos nos vicimus. Etenim nobis relictis ad
ipsos fugerunt. At eos, qui facere fugæ initium velint,
multo melius est hostium in acie, quam nostra cernere.
Quod si quis vestrū minus præsenti est animo propter-
ea, quod ab equitibus destituti simus, quorum copiam
hostes habent: cogitetis velim, equites CCIƆƆ nihilo
plus esse quam CCIƆƆ homines. Nam ab equi vel mor-
su, vel calcitratione, nemo vmquam in prœlio periit: viri
sunt, per quos in pugnis omnia geruntur: ac nos quidem
multo, quam equites, tutiore vehiculo vtimur. Nam illi
ab equis pendent, neque nos tantum metuunt, sed illud
etiam, ne ab equis excutiantur: nos terræ firmiter inni-
xi, longe vehementius feriemus, si quis accedat, & mul-
to magis id adtingemus, quod voluerimus. Vna tantum
re nobis equites præstant. securius, quam nos, fugam ar-
ripiunt. Quod si ad pugnam quidem animi vestri satis
sunt confidentes, sed illud vobis graue est, quod nō am-
plius Tissaphernem ducem habituri sitis, neq; rex post-
hac rerum venalium forum est suppeditaturus: conside-
rate, vtrum potius sit, Tissaphernem ducem habere, qui
nobis insidiari deprehensus est: an eos, quos delectos
nosmet duces esse iussimus, & qui se intelligent, si quid
committant, aduersus animos suos, suaq; corpora com-
mittere. Item considerate, num commeatum satius sit
eo foro emere, cuius hi nobis copiam fecerunt, magna
nimirum pecunia mensuras paruas: quum quidem, vnde
posthac argentum sumamus, non habeamus: an victo-
ria potitos vti mensura, quam magna lubitum fuerit.
Quod si intelligitis, hæc melius hoc quidem modo ha-

bitura, verum flumina esse quiddam, quod traiici ne-
queat, existimatis: atque ea vos transisse, magnæ vobis
esse fraudi ducitis: cōsiderate quæso, an non illud ipsum
longe stultissime barbari fecerint. Quamuis enim om-
303 nes fluuij procul a fontibus suis transiri nequeant, ta-
men ab iis, qui ad fontes ipsos progrediuntur, sic transiri
possunt, vt ne genu quidem ab aqua humectetur. Iam si
nec amnes nos transmissuri sint, & dux nullus vsquam
compareat: non tamen ne sic quidem animum despon-
dere debemus. Scimus enim Mysos, quos dicere nobis
præstantiores non possumus, inuito rege in ipsius ditio-
ne multas, & amplas, & opulentas vrbes incolere. Idem
de Pisidis scimus. Lycaonas ipsi vidimus occupatis mu-
nitis in planicie locis, regiæ ditionis fructus percipere.
Atque equidem haudquaquam dixero, debere nos pa-
lam profiteri, quasi domum pergamus: sed potius simu-
landum existimo, quasi heic alicubi velimus habere se-
des ac domicilia. Scio certe regem Mysis permultos du-
ces daturum esse, permultos obsides, sine fraude se eos
dimissurum. Immo etiam viam ipsis strueret, etiamsi vel
in quadrigis discedere vellet. Quæ quidem ipsa, sat scio,
lubentissime nobis etiam præstaret, si nos videret ita
nosmet parare, quasi mansuri heic essemus. Verum me-
tuo, ne si semel ignauiter, & in omnium rerum copia vi-
uere consuescamus, atque etiam Persarum & Medorum
proceris & elegantibus fœminis ac puellis familiares es-
se cœperimus, Lotophagorum in morem, suscipiendi in
patriam itineris obliuiscamur. Quamobrem consenta-
neum & æquum mihi videtur esse primum, vt in Græ-
ciam & ad propinquos redire conemur, ac Græcis osten-
damus, sua ipsos sponte pauperes esse: quum liceat eis,
qui domi iam vitam inopem agunt, si huc pergant, pa-
lam opulentis esse. Sed enim, milites, hæc omnia bona
sunt eorum, qui victores euadunt. De eo iam dicendum
erit, quo pacto quamtutissime profecturi simus, ac si
prœlio decertandum sit, quamoptime prœlium inea-
mus. Itaque primum plaustra nobis exurenda censeo,
ne impedimentorum vehicula nobis imperent: sed quo-
cumque visum erit exercitui conducere, pergamus. De-
inde etiam tabernacula concremanda esse. Nam eorum
vectu-

vectura negotium nobis facessit, neq; quidquam vel ad pugnam, vel ad commeatum comparandū adiumenti adferunt. Praeterea vasorum reliquorum, quae superuacanea sunt, onere nosmet liberabimus: exceptis iis, quae vel ad bellicos vsus, vel cibi, vel potus habemus: vt quamplurimi nostrum inter armatos sint, pauci admodum 304
impedimenta vehant. Nostis enim fortunas omnes illorum, qui vincuntur, alienam in potestatem transire. Adeoque si vicerimus, existimare debemus, hostes ipsos impedimenta nostra vecturos. Restat, vt de eo dicam, quod esse mihi videtur maximum. Videtis etiam hostes non ante, bello nos ausos fuisse lacessere, quam duces nostros cepissent. Existimabant enim, quam diu duces habituri essemus, ac nos ipsis obtemperaturi: satis fore virium nobis ad hoc, vt superiores in bello euaderemus: verum vbi duces cepissent, eorumdem orbitate, ac perturbatione ordinis, futurum arbitrabantur, vt periremus. Quamobrem & duces iam designatos, necesse est iis, quos antehac habuimus, multo esse diligentiores: & milites ordinum obseruantiores, & ad parendum praefectis promtiores modo, quam antehac. Quod si decreueritis, vt si quis dicto non fuerit audiens, semper liceat ei, qui e vobis forte adfuerit, in hunc vna cum praefecto exemplum statuere: tum nimirum hostes plane spe sua excident. Nam hodierno die Clearchos vel sexcentos pro vno conspecturi sunt, per quos nemini esse ignauo liceat. Sed iam tempus est, vt ad finem haec perducamus. Nam fortassis hostes mox aderunt. Quidquid autem horum vobis recte dictum videtur, quamprimum ratum habete, quo reipsa perficiatur. Quod si quis aliorum meliorem hac rationem perspicit, etiamsi priuatus gregariusque miles sit, tamen eam nobis commonstrare ne vereatur. Omnes enim communiter salutis & incolumitatis egemus. Post haec Cherisophus: Enimuero, inquit, si quid aliud necessarium erit, quod Xenophon omiserit, statim fieri poterit. Quae autem iam dixit, quamprimum decerni optimum esse duco: & vero cui probantur, is manum tollat: Mox sustulerunt omnes. Et Xenophon, quum iterum adsurrexisset: Audite, inquit, milites, quae

nobis metuenda putem. Patet, eundum nobis eſſe ad ea loca, in quibus commeatum habeamus. Ego vero pulcherrimos audio vicos non vltra xx ſtadia hinc abeſſe. Quare nihil mirer, ſi quemadmodum timidi canes prætereuntes & inſectantur & mordent, ſi poſſunt, perſequentes fugiunt: ſic etiam hoſtes iſti nos diſcedentes a tergo ſequantur. Itaque ſecurius fortaſſis iter fecerimus, ſi in quadratum agmen diſpoſitis armatis incedamus, vt
505 impedimenta, & omnis turba loco ſit tutiore. Quod ſi iam ſtatuerimus, quem a fronte curare, quem ab vtroq; laterum, quem a tergo quadrati agminis eſſe oporteat: non neceſſe ſit tum nos deliberare, quum hoſtes aduenerint, ſed milite iam inſtructo licebit vti. Si quid igitur ab alio rectius perſpicitur, aliter res inſtituitor: ſin autẽ, Cheriſophus fronti præſit, præſertim quum ſit Lacedæmonius. Vtriuſque lateris, duo natu maximi duces, curã habeant: tergum nos ætate minores cuſtodiamus, ego ſcilicet ac Timaſio, vti nunc quidem res habet. Quod ſupereſt, poſteaquam huius ordinis periculũ fecerimus, quidquid ſemper optimum facto videbitur, id conſilij capiemus. Si quis meliorem rationem perſpicit, eam exponat. Quum nemo aduerſaretur, ait: Cui probantur hæc, manum tollat. Itaque res decreta fuit. Et Xenophõ: Præſtanda iam ſunt, inquit, reipſa, quæ a nobis decreta ſunt. Qui ſuos videre deſiderat, meminerit debere ſe virum fortem eſſe. Nam ceteroqui nequit hoc adipiſci. Qui item vita cupit frui, det operam, vt vincat. Victoribus enim, cædes hoſtiũ: victis, mors eſt propoſita. Si denique opum quis cupiditate ducitur, id conetur, vt ſuperior euadat. Etenim victorum eſt, & ſua tueri: & ea, quæ victi poſſident, ſibi vindicare. Quæ quum ab Xenophonte dicta fuiſſent, ſurrexerũt omnes: & quum abiiſſent, plauſtra tentoriaque cremarũt. Deinde vaſa ſuperuacanea cum indigentibus communicant, cetera in ignem abiiciunt. Poſt hæc prandent, quo tempore Mithradates cum equitibus triginta circiter venit, ac ducibus in locum, vnde poſſet exaudiri, vocatis, ait: Equidẽ Cyro, Græci, quemadmodum vobis conſtat, fidelis fui, & vobis nunc optime volo, adeoque heic magno cum metu verſor. Itaque ſi quid vos conſilij ſalutaris habere videro,

Græci impedimẽta exurunt.

Mithradates explorator.

dero, ad vos me cum ministris omnibus cōferam. Quare quid vobis animi sit, mihi & amico, & vestri studioso, & vobiscum proficiscendi, cupido, exponite. Duces, re deliberata, statuerunt respondendum esse verbis Cherisophi: Decreuimus per hanc regionem quam pacatissime domum iter facere, si per alios liceat. Sin quis iter impediat, eum pro viribus fortiter bello peremus. Tum vero Mithradates ostendere nitebatur, nullam inuito
rege salutis iniri posse rationem: deq; hoc intellectū est, 306
fidem ei non habendam. Nam & Tissapherni familiaris quidam fidei caussa Mithradati aderat. Proinde visum est ducibus, nihil statui melius posse: quam si, quam diu sint in hostico, bellum præconibus nullis interuenientibus gererent. Nam illi accedendo militum animos corrumpebant, atque inter alios Nicarchum Arcadem cohortis præfectum, qui noctu cum x x hominibus discessit. Post hæc pransi Zathen fluuium traiiciunt, & instructi pergunt iumentis ac turba inermi in mediū recepta. Non longe progressi quum essent, prodit iterum Mithradates hic in conspectum cum c c equitibus, sagittariis & funditoribus agilibus & expeditis admodū cccc, simulans se Græcis amicum accedere. Quum propius abesset, & subito equites ipsorum, & pedites partim emittebant tela, partim fundis nostros vulnerabant. Qui extremo erant in agmine feriebantur impune, quum ipsi nihil nocerent. Nam Cretenses minus ad interuallum, quam Persæ, sagittas mittebant, & quia nudi essent, intra grauis armaturæ milites se recipiebant. Itidem iaculatores minus longe tela emittebant, vt adtingere funditores haud possent. Tum vero Xenophonti visum est persequendum esse hostem, adeoque grauis armaturæ milites, & cetrati, qui cum ipso erant extremo in agmine, tametsi persequerentur, nullum tamen ex hostibus ceperunt. Nam equites Græci nullos habebant, & pedites fugientem e longinquo peditatum hostium exiguo in campo capere non poterant. Non enim longe a copiis ceteris persequi licebat. Præterea barbari equites etiam quum fugerent, nihilo minus vulnerabāt sequentes, quippe qui ab equis a tergo sagittas eiacularentur. Et quātum spatij persequendo Græci progredie-

Decretū de nō admittendis porro præconibus & aliis.

bantur, tantumdem eos pugnando retrocedere necesse erat. Quo factum est, vt die toto non plura, quam XXV stadia conficerent: & sub vesperam in vicos peruenirent. Heic vero noua erat anxietas. Cherisophus & ij, qui inter duces maximi natu erant, Xenophontem reprehendebant, quod a phalange longius hostem persequutus fuisset: neque id vllo cum hostium incommodo, & suo cum periculo. Quæ quum audiret Xenophon, recte se reprehendi aiebat, ipsa re orationi eorum testimonium perhibente: Verum equidem, inquit, necessitate adductus sum, vt ipsos persequerer. Nam videbam nos grauiter adfligi, dum consisteremus: quum nihil ipsi possemus adferre hostibus detrimēti. Quum primum autem persequi cœpimus, acciderunt illa sane nobis, quæ dicitis. Etenim nulla re hostem lędebamus, & difficulter admodum retrocedebatur. Quare Diis habeo gratiā, quod non copiosa cum manu, sed cum paucis venerint: vt magnum quidem rebus nostris damnum adferre non possent, quid vero nobis esset ex vsu, significarent. Nam sagittis & fundis vtuntur hostes aduersus nos tanto ex interuallo, vt neque Cretenses vicissim eos sagittis petere possint, neque ad eos pertingere alij, qui manu tela torquent. Quod si eos persequi volumus, fieri non potest, vt lōgo spatio ab exercitu ipsos persequamur. Vbi vero spatium exiguum est, ibi pedes, ne quidem si celer fuerit, peditem persequendo adsequi intra sagittæ ictum potest. Quare si hos impedire volumus, ne nobis iter faciētibus detrimentū adferre possint: quamprimum nos & funditores, & equites habere necesse est. Ac nostris quidem in castris esse Rhodios audio, quorum complures fundę vsum habere cognitum aiunt, eorumq; telum duplo tendere longius perhibent, quam fundæ Persicæ soleant. Nam hę propterea, quod lapides eiaculētur eos, qui manus implent, ad breue spatiū pertingunt: Rhodij glandibus etiam plumbeis vti norunt. Quod si ergo considerauerimus, quinam eorum fundas habeant, atq; his partim argētum dederimus, partim alias pretio faciundas locauerimus, & receptis in funditorū ordinem immunitatis aliam quoq; rationem inuenerimus: fortasse nonnulli exhibebunt se, qui esse nobis vsui poterunt.

Xenophōtis ingenuitas.

307

Xenophōtis consiliū de funditoribus, & equitibus instituendis.

Præ-

Præterea video in castris equos, partim apud me, partim a Clearcho relictos, partim alios bello captos, quibus impedimenta vehuntur. Horum igitur omnium delectu habito, si pro eis iumẽta substituemus vehendis impedimentis idonea, & equos ipsos equitibus adornabimus: fortassis & illi hostibus fugientibus aliquid molestiæ exhibuerint. Probata hæc est sentẽtia, statim nocte illa funditores circiter CC facti sunt, ac postridie tum equi, tum equites quinquaginta lecti, eisq; cõfectæ †stolades & loricæ. Equitibus præfectus datus est Lycius, Polystrati filius, Atheniensis. Quum autẽ hoc die, quo substiterant, loco mansissent: postridie mane, quũ maturius aliquanto surrexissent, ꝓfecti sunt. Erat enim vallis quędã eis transeunda, quam dum transirent, ne hostes ipsos adorirentur, metuebant. Quum iam transiissent, offert illis in conspectũ se rursus Mithradates cum CIↃ equitibus, sagittariis & funditoribus IIIICIↃ. Tot enim a Tissapherne petierat & impetrarat, quippe qui policitus fuerat se, si tantas sibi copias daret, in eius potestatẽ Græcos traditurum. Etenim iam ipsi contemtui erant, quod priore incursu paucis instructus nihil detrimenti accepisset, ac grauiter se læsisse nos arbitraretur. Quum ergo Græci transita valle, stadia circiter IIX ab ea distarent: etiã Mithradates suis cum copiis transit. Erat autẽ præceptum nostris, quinam persequi hostem cetrati deberent, quiq; grauis armaturæ milites: & mandatũ equitibus, vt fidenter in eos proueherentur: quippe sequuturas satis magnas copias. Iam Mithradates Græcos adsecutus erat, ac fundæ cũ telis ad hostẽ pertingebant, quũ signum Græcis tuba datum est: itaq; mox in hostem illi cursu feruntur, quibus hoc mandatũ erat, equitibus etiã in aduersos se fundentibus. Illi vero impetũ haud sustinebant, sed ad vallem se recipiebant fuga. Multos hac in persequutione barbari pedites amiserũt, equites in valle viui capti sunt ad XIIX. Cæsos Græci neminis iussu, sed sponte sua fœde lacerarunt: vt maiori cũ terrore ab hostibus spectarẽtur. Atq; hostes hoc modo re gesta, discedebant. Græci, quod reliquũ diei erat, secure pergendo quum confecissent, ad Tigrim amnẽ perueniunt. Eo loco deserta quædã vrbs erat ampla, cuius nomen Lariss-

† tunica striatæ. Consule Notas.

308 *Mithradatis iactabundi vanitas.*

Mithradates strategemate circumuenitur.

Larissæ vrbis desertæ descriptio.

Larissæ vrbis desertæ descriptio. Habitauerant eam priſcis temporibus Medi. Murus habebat x x v pedum latitudinem, altitudinem c. Ambitus ad paraſangas I I ſe explicabat. Laterculis fictilibus exſtructus erat, & fundamentum ſuberat lapideum, xx pedum altitudine. Hanc Perſarum rex, quo tempore Medis imperium Perſæ eripiebant, obſeſſam capere nullo modo poterat. Sol vero nube tectam perdere non deſiit, donec homines defeciſſent: atque ita capta fuit. Propter vrbem ipſam pyramis erat lapidea, quæ vnius plethri latitudinem habebat, altitudinem duorum. In hac cõplures erant barbari, qui eo de vicinis pagis confugerant. Inde caſtris vnis paraſãgas VI progreſſi, ad caſtellũ quoddam magnum, idque deſertum perueniunt, ſitum propter vrbem, cui nomen erat Meſpila, quondam a Medis
309 habitatæ. Huius crepido de polito lapide conchyliato erat, latitudine L pedum, totitemq; pedum altitudine. Supra hanc murus latericius exſtructus erat, cuius habebat latitudo pedes L, altitudo C. Ambitus erat paraſangarum VI. Huc ferebatur Media regis vxor fugiſſe, quo tempore Medis ademtum fuit a Perſis imperium. Vrbem ipſam Perſarum rex quum obſideret, neque temporis diuturnitate, neque vi capere poterat. Tamdem Iupiter habitatores eius adtonitos reddidit, atque ita capta eſt. Inde paraſangas IV vnis caſtris abſoluerunt. Ad ea caſtra Tiſſaphernes eis ſe obtulit, cum equeſtribus copiis ſuis, & Orontæ exercitu, cum quo regis erat nupta filia: itidemque cum barbaris, quos ſecum Cyrus in Aſiam ſuperiorem duxerat, & cum quibus regis frater opem fratri laturus venerat, ac præter hos cum iis etiã quoſcumque rex ei dederat, vt ingens adeo videretur eſſe exercitus. Quum propius acceſſiſſet, nonnullos ſuorum globos a tergo conſtituebat, nonnullos ad latera transferebat: neque tamen adoriri Græcos audebat, quod periculo ſe nollet exponere: tantum fundis ſuos, & ſagittis vti iubebat. Poſteaquam Rhodij hinc inde diſpoſiti fundis vti cœperunt, & ſagittarij Scythas imitantes, ſagittas eiaculari, quorum nemo ab hoſte aberrabat, vti ſane id facile fieri non poterat, etiamſi quis etiam magnopere cuperet: Tiſſaphernes celerrime ſe extra ictum telorum, idem & ceteris eius globis facientibus, recepit: quodq; diei

Quo pacto vrbẽ Meſpilæ Perſicus rex ceperit.

Qui conſilii Xeno-

diei reliquum erat, illi progrediebătur, sequebantur hi, nec semel tunc cœpta velitatione barbari amplius eis incumbebant. Nam Rhodij longius, quam Persæ, ac plurimi illi sagittarij, tela mittebant. Sunt & Persici arcus ingentes. itaque si quæ sagittæ hostium interciperentur, eæ Cretensibus etiam vsui erant: qui numquam non sagittis hostium vtebantur, easq; sursum excutiendo longum ad interuallum eiaculari discebant. Præterea permulti nerui, & plumbi copia in vicis reperiebantur, quę vsui ad fundas erant. Atque hoc die Græci, quũ in vicos delati, castra in eis locassent: barbari discedebant, ea velitatione superati. Postridie Græci eodem loco frumentationis caussa commorabantur, quod illis in vicis magna esset frumenti copia. Atque ita postridie per planiciem faciebant iter, subsequente ipsos Tissapherne, ac velitationibus lacessente. Ibi tum animaduersum a Gręcis est, agmen quadratum æqualium laterum non satis esse commodam aciem, si hostes pone sequantur. Necesse est enim, vt si quadrati latera coierint, quũ vel angusta via est, vel montes ita facere cogunt, vel pontes, grauis armaturæ milites loco suo excludantur, ægreque procedăt, quum partim premantur, partim perturbentur. Quo fit; vt ordinibus turbatis necessario nullus eorum sit vsus. Vbi vero cornua rursus explicantur, diuelli eos necesse est, qui ante in artum redacti loco suo excludebantur: adeoque medium inter cornua spatium vacuum esse, molestiaq; milites adfici, quibus hoc accidat hoste sequente. Quod si pons transeundus esset, aut alia quæpiam via difficilis: vnusquisque properabat, & ceteros primus anteuertere conabatur. Quo fiebat, vt tum quoque facilius inuadi ab hostibus possent. Hæc quum duces animaduertissent, cohortes sex instituebant, quarum singulæ milites c haberent, eisque ductores præficiebant: & alios quinquagenum præfectos, & manipularios duces. Hi cohortiũ præfecti quum progrediebantur, si quidem coirent cornua, postremi subsistebant, vt ne quid cornibus molestiæ crearetur. itaque etiam extra cornua ducebant. Sin quadrati agminis latera laxarentur, cõplebant medium, & quidẽ per cohortes, si artius esset id, quod laxatũ erat: sin latius, per quinquagenos:

phontæ successus fuerit.

310

Cur agmẽ quadratũ non satis cõmodum, hoste sequente.

sin latissimũ, per manipulos: vt semper id, quod in medio loco contineretur, confertum esset. Quo fiebat, vt si quis locus vel pons transeundus esset, non perturbarentur: sed vicissim singuli cohortium ductores transirent: itemq; si phalange opus esset, aderant. Hac ratione ad quarta castra progressi sunt. Ad quinta quum pergerent, regiam quamdam conspexerunt, & circũ eam multos vicos: via, quæ tendebat ad hunc locum, per editos colles ducente, qui colles a monte, sub quo vicus erat, oriebantur. Eos colles Græci lubentes videbant, vt consentaneum erat, qui hostes haberent equites: sed tamen quum in itinere de planicie primum in collem adscendissent, rursum descendebant, vt in alterum adscenderent. Tum vero barbari adesse, deq; superiore loco deorsũ iacere, fundas torquere, sagittas mittere, verberibus ad hoc cõpulsi. Quare multi vulnerabantur, ac Græci, qui expediti erãt, discedebant inferiores, intra grauis armaturæ militũ ordines conclusi. Adeoque nulli eo die vsui erant funditores & sagittarij Græci, quum intra militum se turbã ab-
311 derent. Ita quum vrgerentur Græci, ac propterea hostes persequi niterentur: tarde in cliuum perueniebãt, vt qui graui etiam armatura onerarentur, hoste interim retrorsum celeriter resiliente. Idẽ ipsis accidebat, quum ad aliud agmen hostium tendebant: Quumq; hoc etiam altero in colle ipsis vsuueniret, visum est de cliuo tertio milites mouendos nõ esse tantũ a latere dextro quadrati agminis cetratos in montem ducebãt. Illi quum supra hostes euasissent, qui a tergo ipsos sequebantur: non iam amplius ij descendentes inuadebant: Metuebant enim, ne a suis abscissi, vtraq; parte hostes haberẽt. Ita tum id, quod diei reliquum erat, in itinere quum cõsumsissent: aliis via, quæ per colles ducebat, aliis per montem proficiscentibus, ad vicos perueniũt. Heic medicos octo constituunt, quod permulti vulnerati essent. Ibidẽ triduum sunt cõmorati partim vulneratorum caussa, partim quia cõmeatus magna erat his locis copia, farinę, vini, hordei, quod equis cõgestum fuerat. Nam hæc vniuersa in vsum eius, qui regionis erat satrapa, fuerant cõportata. Die quarto in campum descendunt. Quumq; Tissaphernes suis cum copiis eos adsequutus esset, docuit ipsos, vt ne-

cessario

cessario castra collocarent in primo quoq; vico, qui se offerret, neq; inter eundum prœliarentur. Permulti enim ad pugnam, propter vulnera, inutiles erant: itidemque illi, qui vulneratos gestabant: ac rursum, qui horum gestabant arma. Quum iam castra metati essent, ac barbari ad velitationes eos lacesserent, ad ipsum vsque vicum delati longe superiores erant Græci. Nã multo prę-stabat, facto ex vico impetu hostem reprimere: quam inter proficiscendum aduersus eos irruentes dimicare. Quum adüespetasceret, abeundi hostibus visum est esse tempus. Non enim vmquam barbari intra LX stadium a Græcis castra metabantur. Etenim metuebant, ne Græci noctu ipsos inuaderẽt. Sunt certe Persarum castra noctu perincommoda. Nam & equi ipsorum alligantur, ac plerumque pedicis constricti tenentur, ne si soluti sint, aufugiant. Quod si quis tumultus incidat, necesse est homini Persico equus insternatur, necesse est frænetur, atq; vbi iam quis lorica se munierit, equũ conscẽdat necesse est. Ea vero vniuersa noctu difficulter fiũt, quo tempore tumultus esse solent. Hęc erat caussa, quamobrem lõge a Græcis castra sua remouerent. Quum autẽ Græci animaduerterent, velle ipsos discedere, idq; denuntiari: per præcones suis indicabant, vt quisque se pararet, idq; sic vt audiri ab hostibus posset. Itaq; barbari aliquamdiu ab itinere faciundo se cohibebant, verum nocte iam imminente abierunt. Non enim conducere sibi putabant, vt noctu profecti in castra reuerterentur. Quum eos Græci iam certo discedere viderent, etiam ipsi castris motis pergebant, & ad LX stadia progrediebantur. Quo factum est, vt tanto ex interuallo castra distarent, vt neque die altero, neque tertio hostes vsquam adparerent. Quarto tamdem barbari quum noctu eos anteuertissent, locum altitudine sua peropportunum occupant, qua Græci transituri erant: nimirum montis iugum, sub quo descensus ad planiciem patebat, Cherisophus vbi vidisset iugum montis eos antecepisse, Xenophõtem ab agmine extremo arcessit, eumque cum cetratis ad primam aciem adesse iussit. Verum Xenophõ cetratos non duxit, quod Tissaphernem cũ omnibus copiis ostendere se videret: sed ipse aduectus equo ad Cherisophũ. Quã-

Idẽ, supra pag. 86. tradidit.

314

obrem me arcessis? inquit. Id vero tibi vel videre licet,
ait. Nam occupatus est collis ille, qui viæ imminet, qua
descendendum erit: neque transire nobis licebit, si non
hos vi deiiciemus. Tu vero cur cetratos non adduxisti?
Quod, inquit, visum nõ fuisset relinquere posterius ag-
men desertum, quũ hostes se ostenderent. Sed enim tem-
pus est consultandi, quo pacto quis eos de colle deiiciat.
Ibi tum Xenophon videt montis verticem copiis suis im-
minere, atq; ab hoc ad collem illum, in quo erant hostes,
aditum quemdam esse. Itaque mox: Optimum fuerit,
inquit, Cherisophe, quamprimum nos ad illud cacumen
tendere. Nam illo occupato, viæ non poterunt immine-
re amplius. Tu, si ita videtur, ad exercitum maneto: equi-
dem eo tendere cogito. Sin hoc mauis, tu in montẽ per-
gito, atq; ego heic subsistam. Equidem tibi, ait Cheriso-
phus, optionem do, vtrum velis eligendi. Xenophon
quum se minorem natu diceret, proficiscendi munus si-
bi poposcit. Milites tantũ quosdam ex fronte sibi adiun-
gi iubet. Nam longũ erat, aliquos ab agmine extremo
sumere. Et Cherisophus vna cum ipso cetratos, qui erant
primo in agmine, mittit: atque etiam sumtos de qua-
313 dratæ aciei medio. Præterea iussit, vt eum illi CCC seque-
rentur, quos habebat ipse lectos milites in fronte qua-
drati agminis. Inde, quam poterant celerrime, progres-
si sunt. Hostes, qui erant in colle, quum iter ipsorum,
quod ad cacumen tenderet, animaduerterent: mox &
ipsi certatim eo se conferre cœperunt. Ingens tum cla-
mor Græci exercitus audiri, cohortantis suos: ingens eo-
rum, qui cum Tissapherne erant, ac suos itidem excita-
bant. Xenophon autem obequitans, hoc modo suos ex-
hortabatur: Nunc vobis, milites, de reditu in Græciam,
nunc de reditu ad vxores ac liberos, propositum esse cer-
tamen existimate: nunc si exiguum ad tempus laboris
tolerantes fuerimus, deinceps sine prœlio licebit iter fa-
cere. Heic Soteridas Sicyonius: Non æqua, inquit, no-
strum est condicio, Xenophon. Nam tu equo veheris,
ego scutum portans, grauiter defatigor. Quæ quum au-
Xenophõtis illustre facinus. diisset Xenophon, ex equo desilit, & homini loco per-
turbato clupeũ adimit, quamq; celerrime poterat, per-
git. Forte tunc etiam lorica equestri indutus erat, qua
licet

licet premeretur, nihilo tamen sequius & anteriores ex-
hortabatur, vt procederent: & posteriores, qui vix seque-
bantur, vti pergerent. Milites ceteri Soteridam cæden-
do, iaciendo, conuiciis proscindendo, tamdem cogunt
recepto clupeo pergere. Xenophon equo conscenso,
quam quidem diu loca hæc equitationi idonea erant,
eques præibat: quum inaccessa fieri cœpissent, equo re-
licto pedes festinabat. Quo factum, vt citius, quam ho-
stes, in cacumen peruenirent. Tum vero conuersi bar-
bari, quo quisque poterat, fugiebant, Græcis verti-
cem obtinentibus. Tissaphernis & Ariæi milites aliam
ad viam se vertentes, abibant. Cherisophi copiæ, quum
in planiciem descendissent, quodam in vico castra loca-
bant, qui copiis omnibus refertissimus esset. Erant & alij
vici plures in planicie, secundum Tigrim fluuium sita,
omni rerum vtilium genere plane referti. Vespere se ho-
stes in planicie subito ostendunt, ac nonnullos Græcos,
ad prædam per campum hinc inde sparsos, interficiunt.
Nam pecorum agmina complura translata trans fluui-
um, heic capta sunt. Tissaphernes cum suis vicos exurere
conabatur. Quo factum, vt Græci quidam mirifice de- 314
iectis animis essent, qui cogitarent, si cōmeatus incēde-
retur, nō habituros vnde alium sumerēt. Et Cherisophi
quidem milites, posteaquā suis opem tulissent, redibant.
Xenophon vero quum descendisset, ordines obequitans,
Græcis ope lata redeuntibus; Videtis, inquit, concedere
nobis barbaros, regionem totam nostrā esse. Nam quæ
a nobis impetrabant id temporis, quū fœdera nobiscum
sancirent, ne quis scilicet regis agrūm exurendo perdē-
ret: ea nunc ipsi faciunt, quasi si ditionem alienam exu-
rerent. Quod si alicubi commeatum vllum sibi ipsis re-
liquerint, videbunt nos etiam eo proficisci. Enimuero,
mi Cherisophe, arbitror equidem aduersus exurentes o-
pem ferendam esse, ac si regio hæc nostra foret. Ego vero
non arbitror, ait Cherisophus: sed potius nos etiam ex-
citemus incendia, quo fiet, vt citius ipsi desinant. Ad ta-
bernacula ventum quum esset, commeatui cōquirendo
reliqui intenti erant: at duces, cohortiumque præfecti,
conueniebant. Erat enim magna rerum difficultas. Ex
parte vna montes præardui cernebātur, ex altera flumen

tantæ altitudinis, vt ne hastæ quidem, quibus vadum tentaretur, quidquam exstarent. Hac rerum in difficultate quum hærerent, Rhodius quidam accedens: Ego vero, inquit, traiicere ad quater mille grauis armaturæ pedites volo, si mihi suppeditaueritis ea, quibus opus erit, ac pro mercede præbueritis talentum. Interrogatus, quibus rebus egeret: Vtribus, ait, bis mille. Video autem heic permultas pecudes, & capras, & boues, & asinos: quibus si coria detrahantur & inflentur, facilem nobis traiectum præstabunt. Etiam vinculis iis mihi opus erit, quibus ad iumenta vtimini. His vbi vtres connexuero, quolibet eorum ad alterum adplicato, adpensis lapidibus, iisque ancorarum ritu demissis, deinde deductis in aquam vtribus, & vtraque parte colligatis, virgulta imponam, & terram ingeram. Statim quidem certe intelligetis, nequaquam futurum, vt mergamini. Nam vtres singuli binos facile sustinebunt, quo minus mergantur. Vt autem non vacillent, tum virgulta tum terra impedient. Quod quum duces audiissent, visum est eis inuentum non inelegans esse: facinus ipsum tale, quod perfici non posset. Nam permulti equites trans flumen erant, qui ipsos essent impedituri: ac ne primis quidem concessuri, vt quidquam horum molirentur. Itaque postridie

Cōsilium Rhodij militis de traiciendo flumine.

315 retrocedebant auersa a Babylone via, nō exustos ad pagos: quū eos, de quibus exierant, accendissent. Quo factum, vt hostes non adequitarent, sed Græcos spectarēt, admirantibus similes, quo illi perrecturi essent, & quid haberēt in animo. Erāt tunc milites ceteri cōmeatu colligendo intenti, duces vero, & cohortium præfecti, rursum conueniebant: & captiuis coactis, quænā esset quælibet quauis ex parte regio, percunctabantur. Aiebant illi, meridiem versus viam Babylonē atq; in Mediam ducere, qua ipsi venissent: ad orientem Solem quæ sit, Susa & Ecbatana ducere, vbi rex æstatē & ver exigere dicitur: tertiam, quæ trans fluuium ad occidentem tendat, versus Lydiam & Ioniam ducere. Quæ denique per montes ad septemtriones vergat, ad Carduchos pertinere: quos aiebant in montibus habitare, ac bellicosos esse, neq; regis imperio parere. Immo copias aliquando regias, quæ cēties & vicies mille hominibus cōstarent, eos inuasisse;

Carduchi bellicosa natio.

quorum

quorũ nemo propter summam locorum difficultatem, domũ redierit. Quod si fœdera inter satrapam regionis campestris & ipsos intercedant, esse libera inter vtrosq; cõmercia. Quęquũ duces audiissent, seorsum collocatis, qui singuli singulos regionũ tractus sibi cognitos aiebat, & plane non indicarunt, quo profecturi essent. Ipsi inter se necessariũ esse statuebant, vt per montes in Carduchos pergerent. Nam posteaquã per illorũ regionẽ penetrassent, peruenturos dixerant captiui in Armeniam: cui Orontas cum imperio præesset, regioni certe amplæ ac opulentæ. Inde dixerant pergi, quo quis vellet, sine difficultate posse. Post hæc rem sacram faciunt, vt quam primum videretur commodum, iter ingrederentur. Metuebant enim, ne iuga montium, per quæ pergendum esset, occuparentur. Imperant etiam militibus, vt posteaquam cœnassent, & omnes sua comportassent, se quieti darent: & vbi significatum esset, sequerentur.

XENOPHONTIS HISTORIARVM DE CYRI EXPEDITIONE, LIB. IIII.

ARGVMENTVM.

1. Græci cur, & quomodo in Carduchorum regionem iuerint, eãq; transierint. 2. Cherisophus causam exponit cur Xenophontem deseruerit. 3. Hominis obstinatissimi manifestum exemplum. 4. Xenophontis stratagema, quo barbaros fefellit. 5. Xenophontis, & Cherisophi mutua opera. 6. Xenophontis de felici transitus successu somnium, quod euentu confirmatum. 7. Xenophontis stratagema. 8. Teribazus fœdus cũ Græcis init. 9. Græci cognitis Teribazi dolosis, ac perniciosis consiliis, eius castra capiũt. 10. Quot, quãtisq; difficultatib. in itinere cõficiẽdo Græci premerẽtur. 11. Græcorũ magn⁹ numer⁹ in hac profectione, cur & quomodo periret. 12. Xenophõtis erga barbaros captiuos humanitas. 13. Vnicũ Xenophõtis, & Cherisophi dis-

sidium. 14. Lacedamonij suos ciues a pueris ad apte furandum assuefaciunt. 15 Xenophontis, & Cherisophi ioci. 16. Xenophontis expeditum consilium, quo Graci reliquum iter per quamdam barbarorum difficillimã viam facerent. 17. Insignis de gloria contentio. 18. Triste spectaculum mulierum liberos abiicientium, & super eos se ipsas pracipitantium, & virorum idem facientium, ne in hostium manus venirent. 19. Chalybum fortissima natio. 20. Gracorum latitia propter mare conspectum. 21. Fidei danda mos hasta vtrinque porrecta. 22. Xenophon Colchos inuadendos censet. 23. Mellis Colchici venenata natura. 24. Graci a Trapezuntiis hospitaliter excipiuntur. 25. Idem sacrificium voto nuncupatum, Diis faciunt, vt gratias ipsis agant, quod in Cholcorum agrum se deduxissent. Praterea ludos gymnicos in monte instituunt, in quo castra habebant.



QVAECVMQVE in expeditione Cyri adſcendentis in Aſiam vſq; ad id tempus, quo prœlium commiſſum fuit, geſta ſint: & quæ a prœlio, quamdiu fœdera ſeruata ſunt, inter regem & Græcos, qui cum Cyro adſcenderant, inita: quæ aduerſus Græcos, inſequente ipſos Perſarum exercitu, hoſtiliter facta ſint, poſteaquam rex ac Tiſſaphernes fœdera violaſſent: ſuperioribus commentariis expoſuimus. Quum autem ad Tigrim fluuium veniſſent, qua is propter altitudinem & magnitudinẽ tranſiri non poteſt: neque tranſitus alius eſſet, quod montes Carduchij prærupti fluuio imminerent: videbatur ducibus, eſſe per hos montes iter faciundum. Nam futurum audiebant de iis, quos ceperant, vt ſi Carduchios montes peragraſſent, Tigris fluuij fontes in Armenia, ſi ita liberet, tranſirent: ſin autem, eos circumirent. Etiam Euphratis fontes non longe a Tigris fontibus abeſſe dicebatur. Nõnullis quidẽ in locis anguſtias eſſe. Itaq; in Carduchos hoc modo mouerũt, partim quod quam occultiſſime proficiſci vellent, partim quod anteuertere cacuminum occupationem prius, quam id ab hoſtibus fieret. Quũ excubiæ poſtremæ haberentur, tantũq; noctis

ctis reliquum esset, quantum ad id sufficeret, vt per tenebras planiciem peragrarent: tunc & loco se mouent, & vti denuntiatum fuerat, iter ingressi prima luce ad montem perueniunt. Erat in exercitus fronte Cherisophus cum copiis suis, & omnibus expeditis militibus: Xenophon agmine postremo cum grauis armaturæ militibus, nullis autem expeditis, sequebatur. Nam nihil esse periculi videbatur, ne quis sursum tendentes a tergo sequeretur. Ac Cherisophus prius, quam quisquam hostium animaduerteret, in verticē adscendit: deinde modice præibat ad vicos, qui in conuallibus & amfractibus montium siti erant, reliqua exercitus parte semper subsequente. Carduchi desertis ædibus, cum vxoribus ac liberis in montes fugiunt. magna heic erat cōmeatus copia, ædes ipsæ vasis aheneis multis instructæ, de quibus Græci nihil auferebant, nec homines persequebantur. Parcebant enim ipsis, vt periculum facerēt, an Carduchi potestatem eis facturi essent transeundi per ipsorum fines, tamquam per regionem pacatam, maxime, quia regi infesti erant. Commeatum solum, quocumq; quis loco poterat, sumebat; quod ita necessitas posceret. At Carduchi nec vocati obtemperabant, nec vllum aliud beneuolentiæ signum dabant. Quum autem Græcorum vltimi iam tenebris obortis de vertice mōtis ad vicos descenderent, quando quidem ob angustiam viæ diem totum adscendēdo, ac vicissim ad vicos descendendo contriuerant: tum vero collecti nonnulli ex Carduchis, vltimos inuasere, ac peremptis quibusdam, alios lapidibus & sagittis sauciabant, homines alioqui numero perpauci. Nam Græcorum exercitus nec opinato casu ipsorum dicionem ingressus erat. Quod si plures eorum collecti fuissent, res non caruisset periculo, ne magna pars exercitus interiisset. Atque hanc quidem noctem ita in vicos diuerterunt. Carduchi vndique in montibus ignes accendebant, seque mutuo adspectabant. Quum illuxisset, visum est Græcis ducibus & cohortium præfectis, posteaquam conuenissent, sic iter faciendum esse; vt tantum iumenta necessaria, & maxime ad iter conficiēdum idonea secum sumerent, cetera relinquerent dimissis etiam mancipiis in exercitu recens captis. Nam multa

317

Græci in Carduchorum regionem veniunt.

illa iumenta & mancipia profectioni moram adferebant. Quin etiam multi, his præfecti, ad pugnandum propterea inutiles erant: quum quidem duplo quoque maior commeatus parādus eſſet,& portandus, pro tanta hominum turba. Quod vbi decretum fuiſſet,præconis eſt voce denuntiatum, ita eſſe faciundum. Poſtea quam pranſi iam iter facere cœpiſſent, arto quodam in loco duces ſubſiſtebant; ac ei, qui non dimitteret id, quod imperatum fuerat, auferebant. Parebant illis in omnibus milites, extraquam ſi quis furtim aliquid retineret, vel pueri cupiditate, vel formoſæ mulieris accenſus. Atq; hoc modo diem hunc in itinere conſumebant,
318 partim dimicātes,partim requieſcentes. Poſtridie vehemens tempeſtas erat, ſed tamen pergendū erat neceſſario,quod a cōmeatu inſtructi non eſſent. Erat in fronte Cheriſophus,& agmen vltimū Xenophō ducebat, quū hoſtes acriter Græcos inuadunt: & quia loca per erant anguſta, propius accedebant, & tum ſagittis petebant, tum fundis. Quo fiebat, vt dum Græci neceſſario perſequerentur hoſtē,ac deinde rurſus cederent, tarde progrederentur. Sæpe Xenophon etiā denuntiabat exſpectandum eſſe,quoties hoſtis eum grauiter vrgeret. Forte Cheriſophus,qui alias quū denūtiabatur,exſpectabat tum nō ſubſiſtebat:ſed ducebat celeriter,ſuiſq; vt ſequerētur,imperabat. Adeoq; manifeſtū erat aliquā rē moleſtam ſuperueniſſe. Nec erat otium, vt ad ipſum quis pergeret, ac quæ feſtinationis eſſet cauſſa, videret. Deniq; fugę ſimilis erat hęc agminis vltimi profectio. In ea vir fortis periit Cleonymus Lacedæmonius, ſagitta adacta per clupeum & indumentū in ipſas coſtas, itēq; Baſias ex Arcadia, capite transfixus. Ad locū caſtris locādis idoneū quum perueniſſent, Xenophon ita,vt inſtructus erat, ad Cheriſophum venit, eumq; incuſat, quod non ſubſtitiſſet: quo quidem factum eſſet,vt in ipſa fuga coacti fuerint dimicare. Duo quidem iam, inquit, præclari ac fortes viri occubuerunt: quos neq; nobiſcū tollere neq;terræ mandare potuimus. Ad ea reſpondens Cheriſophus: Reſpice, ait,ad montes,ac vide,quā ad eos omnes difficilis ſit aditus.Nimirū hæc vna via eſt,quā vides, ardua. Ad eandem quantam videre eſt hominum multitudi-

tudinem, hanc occupatam præsidio tenentium, ne quis euadat? Hæc caussa festinationis meæ fuit, & cur te non expectarim: nimirum an præcipere conatum hostiũ possem prius, quam transitus ille occuparetur. Duces quidẽ ij, quos habemus, aliã viam esse negant. Ego vero, inquit Xenophon, duos homines habeo. Nam quum negotia nobis facesserent, insidias struximus, quæ ipsa res nobis etiam respirandi facultatẽ dedit: ac nonnullos ex eis occidimus, nonnullos viuos vt caperemus, hac ipsa de caussa dedimus operam, vt ipsis pro itinerum ducibus vteremur, quibus esset hæc regio nota. Statim adducti sunt homines, & quæsitum ex eis separatim sumtis, ecquam viam aliam nossent, præter eam, quæ vulgo nota esset. Horum alter nihil aiebat, quamtũuis multi terrores ipsi incuterentur. Quum nihil diceret, quod in rem esset, alterius in cõspectu iugulatus est. *Alter ille superstes aiebat, eum propterea nihil prodidisse, quod istic filiam cum viro nuptam haberet. Se vero dicebat ducem itineris futurum, quo etiam pergere iumenta possent. Interrogatus, ecquid esset in ea via loci difficilis transitu: verticem quemdã esse inquit, quem nisi quis occupando anteuerteret hostes, fieri non posse, vt transiretur. Heic vero visum est, conuocatis cohortium præfectis & cetratis, & grauis armaturæ militibus, præsentem rerum statum indicandum esse: ac quærendum, ecquis sit, qui se virum fortem præstare velit, hac profectione sponte sua suscepta. policiti sunt operam suam ex grauis armaturæ militibus, Aristonymus Methydriensis Arcas, & Agasias Stymphalius ex eadem Arcadia. Inprimis inter se contendebant Callimachus Parrasius, & Agasias Stymphalius, ambo Arcades. Et is quidem aiebat, ire se velle cum iis, qui de toto exercitu se ad ipsum sponte adgregaturi essent. Nam sat scio, inquit, multos iuuenes sequuturos, si ego dux sim. Post hæc interrogant, num quis expeditorum militum, vel ordinibus præfectorũ vna cum his ire velit. Heic †Aristeas Chius operam suam offert, qui in re eiusmodi persæpe fuit exercitui quamtiuis pretij homo. Iam aduesperauerat, & milites sumto cibo proficisci iubebantur. Itaq; ducem viæ constrictũ vinculis, eis tradunt, & rem ita componunt: vt si quidem iugum

Cherisophus caussam exponit, quamobrem Xenophõtem deseruisset

Hominis barbari præfracta cõstantia.

* 319

† al. Aristarchus legitur, pro vtraq; voce, Aristeas Chius.

occuparent, noctu illud cuſtodirent, & quamprimum
illuceſceret, tuba ſignum darent: ac deinde qui ſuperiori
eſſent loco, tenderent aduerſus eos, qui tranſitum illum
manifeſtum obſiderent: ipſi cum iiſdem ſe coniungerēt
in montem euadendo, quam celerrime poſſent. His ita
compoſitis, illi proficiſcebātur, numero circiter bis mil-
Xenophōtis in fallēdis hostib. strategema. le. Magni tum erant imbres. Et Xenophon cum extremi
agminis cuſtodibus ad exitum illum vulgo notum per-
gebat, vt hoſtes huic duntaxat viæ intenti eſſent, ac ma-
xime occulti eſſent ij, qui alio tendebant. Poſteaquam
ad cauum quemdam alueum poſtremum agmen acceſ-
ſiſſet, quem vbi permeaſſent, in aduerſum montem ar-
duum adſcendendum erat: barbari rotūda ſaxa, quæ vel
ſingula plauſtrū oneraſſent, & maiores minoreſq; lapi-
des deuoluebant. Illi delati & alliſi ad ſaxa, tamquam e
funda contorquebantur: quo fiebat, vt propius ad viam
ne quidem acceſſus pateret. Nonnulli cohortium præfe-
cti quum hac non liceret, alia via pergere tentabant, id-
320 que ad obortas vſq; tenebras. Quum iam ſe diſcedentes
conſpici amplius non poſſe putarent, ad cœnam abeunt.
Nonnulli in extremo agmine milites ne pranſi quidem
fuerant. Hoſtes noctem totam lapides deuoluere non
ceſſabant, cuius rei argumentum erat ipſe fragor. At mi-
lites noſtri, qui ſecum itineris ducem habebant, poſt
longos circuitus, præſidiarios hoſtium ad ignem ſeden-
tes offendunt: quorum quum alios occidiſſent, alios
perſequendo deieciſſent: ibidem ipſi manebant, qua-
ſi verticem tenerent. Minime tamen eum tenebant,
ſed erat ſupra ipſos iugum eminens quoddam montis,
propter quod anguſta illa via erat, ad quam hoſtium
præſidiarij ſedebant. Aditus quidem inde patebat ad
hoſtes, qui ad viam manifeſtam conſederant. Eo loco
illi tum pernoctabant. Quum illuxiſſet, inſtructi ta-
cite in hoſtem pergunt: & quia caligo quædam incide-
bat, tamdiu occulti erant, donec iam prope abeſſent.
Poſteaquam ſe mutuo intuiti eſſent, ac tuba clange-
ret, Græci ſublato clamore ipſos adoriebantur. At im-
petum illi non ſuſtinuerunt, ſed relicta via, dilapſi fuga
ſunt, paucis interfectis. Erant enim homines expediti.
Cheriſophi copiæ quum tubam audiiſſent, mox ſurſum
via ma-

via manifesta tendebant, prætoribus ceteris per tramites non tritos, qua quisque forte fortuna peruenerat, pro viribus sursum pergentibus, hastisque se mutuo subleuantibus. Hi primi se cum iis, qui locum occuparant, coniunxere. Xenophon autem, cum dimidia copiarum extremarum parte, ea via faciebat iter: qua illi, qui ducẽ habuerant. Etenim ea iumentis commodissima erat. Alteram partem dimidiam post iumenta disposuerat. Forte hoc in itinere in collem incidunt, qui viæ imminebat, & occupatus erat ab hostibus: qui vel pellendi loco vi erant, vel a Græcis ceteris necessario se diuulsum iri videbant. Potuissent quidem viam ingredi eam, qua ingressi reliqui fuerant: sed iumenta non poterant alia via, quam hac, euadere. Heic ergo mutuo se cohortati cohortibus rectis in collem impetum faciunt, non omni tamen ex parte, sed hostibus exitu relicto, si fugam arripere vellent. Barbari quum eos adscendere, qua quisque poterat, vidissent: neque sagittis petebant, neque iaculis eos, qui prope viam accedebant, sed locum fuga dilapsi relinquunt. Quare hunc etiam collem Græci transeunt,
& quum ante se alium quemdam conspicerent, qui & i- 321
pse teneretur ab hostibus: visum est ad illum quoque recta pergendum esse. Xenophon autem, quum futurum animaduerteret, vt si verticem, quem ceperant, deseruisset, hostes eum reciperent, ac iumenta transeuntia adorirentur: (& erant ea longius explicata, quippe quæ per iter angustum incederent) Cephisodorum* Cephisiphôtis filium, Atheniensem, & Archagoram Argiuum exsulem, cohortium præfectos, in eo relinquit. Ipse cum reliquis ad verticem alterum tendit, quem quidem eodem modo capiunt. Restabat iugum tertium, maxime præruptum, quod imminebat excubiis, quas ad ignem deprehenderant ij, qui noctu illuc contenderant. Quum autẽ prope Greci cum copiis abessent, barbari sine prœlio iugum relinquunt. Quæ res omnibus admirationi fuit, atque adeo suspicabatur, eos locum propterea relinquere, quod vererentur, ne circumuenti vndique obsiderentur. Verum hi summo de vertice despicientes ea, quæ a tergo gererentur, omnes in extremum agmen tendebant. Xenophon cum iunioribus in iugum adscendebat, ceteros

* Al. Cephisophôtis.

ſubſequi iubebat, vt extremæ cohortes cum ipſis cõiun-gere ſe poſſent: quæ vbi acceſſiſſent, edixit, vt in via loco æquabili in armis conſiſterent. Ibi tum Archagoras Argiuus elapſus fuga venit, ac ſe cum ſuis de primo colle vi pulſum narrat, & * Cephiſidorum, Amphicratem, ceteros peremtos ait, quicumque de ſaxo non deſiliiſſent, & ad extremi agminis ſubſidia perueniſſent. Qua re cõfecta, barbari ad collem tendunt oppoſitum vertici. Eos Xenophon induciarum nomine per interpretem compellat, & interfectorum corpora poſcit. Aiunt illi, reddituros ea ſe, modo vicos non exurerẽt. Adſentitur in hoc ipſis Xenophon. Interea vero, dum copiæ ceteræ prætereunt, atque inter ſe de condicionibus diſſerunt: omnes eo de loco confluxerant. Tum vero ſubſtiterunt hoſtes, quumque Græci deſcendere de iugo ad alios cœpiſſent, vbi milites in armis ſtabant, pergunt magno numero ac tumultu barbari, conſcenſoque vertice iugi, de quo Xenophon deſcenderat, ſaxa deuoluebant, quorum vi crus vni fractum fuit. Aberat a Xenophõte, cum ſcuto, ipſius

*Al. Cephiſodorũ.

322 ſatelles: verum Eurylochus Luſienſis Arcas, grauis armaturæ miles, ad ipſum accurrit, ac pro vtroque ſcuto hoſtibus obiecto pedem referebat, ceteris etiam ad illos, qui ſtabant, inſtructi, pergentibus. Ita tunc omnes Græcæ copiæ conuenerunt eodem loco, proque tabernaculis multas & elegantes domos habuerunt, cum largo commeatu. Nam tanta vini erat heic copia, vt etiam ciſternis illitis opere tectorio contineretur. Perfecerunt autem Xenophon & Cheriſophus, vt tradito itineris duce, mortuorum corpora reciperent. Eis iuſta pro viribus facta, quę fieri viris fortibus in more eſt. Poſtridie ſine duce proficiſcebantur. Hoſtes autem partim pugnando, partim loca, ſi qua eſſent anguſta, antecapiendo, tranſitu noſtros arcebant. Quod ſi ergo primos impediebant, Xenophon a tergo montes conſcendens efficiebat, vt viæ primis obſtructæ aperirentur: quum operam daret, vt altius iis, qui arcebant, adſcenderet: ſin vltimum agmen adorirentur, Cheriſophus adſcendens, operam dabat, vt arcentibus altior euaderet, atque ita viam vltimis obſeptam aperiebat. Hoc modo ſemper opem ſibi mutuam ferebant, & nauiter admodum alter alterius curam

Xenophõtis et Cheriſophi opera mutua.

ram

ram gerebat. Nonnumquam barbari, quum iam mon-
tes superassent, descendentibus negotium faciebant.
Erant enim adeo expediti, vt etiam quum proxime ac-
cessissent, possent effugere. Neque sane quidquam præ-
ter arcus & fundas gestabant, quum quidem sagittarij
longe peritissimi essent. Arcus ternum fere cubitum ha-
bebant, sagittas binis cubitis longiores. Neruos, emissu-
ri sagittas, versus imam partem arcus tendebant, pedē
sinistrum adplicantes. Sagittæ ipsos clupeos & loricas
penetrabant. Eas si Græci nancti essent, amentabant: &
deinde loco iaculorum eis vtebantur. His in locis maxi-
mo vsui Cretenses fuere, quibus Stratocles, ipsorum ci-
uis præerat. Atque eo quidem die in vicis commorati
sunt, vltra planiciem, propter Centritem fluuium sitam.
Habet is duum plethrum latitudinem, & Armeniam a
Carduchorum agro separat. Hoc loco Græci se quieti
dabant. A Carduchorum montibus amnis ipse circiter
VI vel VII stadiis aberat. Sunt autem heic iucundissimo
diuersorio vsi, quum & commeatum haberent, & præ- 325
teritorum laborum multum recordarentur. Nam dies
totos VII, quibus per Carduchos profecti erant, perpe-
tuis exerciti prœliis fuerant, eaque perpessi mala, quæ
vniuersa ab rege & Tissapherne illata incommoda æ-
quare nequeant. Quamobrem quasi si liberati ab his
essent, iucunde somno se recrearunt. Exoriente iam die
trans fluuium equites armatos vident, tamquam si
transitum impedituri essent. Supra equites in ripis flu-
minis pedites instructi stabant, impedituri, ne in Arme-
niam deflecterent. Erant hi ab Oronta & Artucho con-
ducti stipendio milites ex Armenia, Mygdonia, & Chal-
dæa. Chaldæi quidem liberi ac bellicosi esse ferebantur.
Cratibus oblongis, & hastis armorum loco vtebantur.
Altiores illæ ripæ, in quibus hi instructi stabant, III vel
IV plethris ab amne aberant. Via, quæ quidem cerne-
retur, vna erat, eaque sursum ducebat, quasi manu facta.
Hac Græci transire conabantur. In hoc conatu quum a-
qua mamillas superasset, ac flumen propter ingentia
saxa, eaque lubrica, esset asperum: armaque in aqua ge-
stari non possent, quod ceteroqui flumen eos abripe-
ret: ac si quis in capite gestare vellet, nudos incedere ad-

uersus sagittas & tela reliqua oporteret: retrocesserunt, atque ibi propter amnem castra metati sunt. In monte autem, in quo nocte superiore ipsi fuerant, videbāt multos Carduchos collectos, eosque armatos. Itaque tum Græci admodum exanimati erāt, quum & in amne traiiciendo difficultatem cernerent, & cernerent eos, qui traiectum impedituri essent, & Carduchos denique cernerent, qui traiicientibus a tergo molesti futuri essent. Quamobrem hunc diem ac noctem in tanta rerum difficultate exigunt. Interea Xenophon per somnium sibi compedibus constrictus esse visus est, quę sua sponte deinde rumperentur. Itaque solutus deinde fuisse, ac pro lubitu per omnia euasisse. Quare diluculo ad Cherisophum venit, ac bona se cum spe esse dicit, bene rem habituram: simulque somnium commemorat. Delectatus eo Cherisophus est, & mox dum nec dum plane illuxisset, duces omnes rem sacram faciunt. Ibi tum statim ab initio perlitatum. Itaque discedunt a sacrificiis duces & cohortium præfecti, militique denuntiant prandēdum esse. Eo tempore ad Xenophontem adhuc prandentem

Xenophōtis somniū

324 iuuenes duo adcurrunt. Norāt enim vniuersi, licere militibus, vt ad ipsum accederent, siue adeo piranderet, siue cœnaret: atque etiam si dormiret, vt excitato dicerent, quidquid haberet aliquis, quod sciri bellicæ rei caussa interesset. Itaque tunc illi quoque commemorabant, forte se, dum ad ignem sarmenta colligerent, vltra flumen in saxis ad amnem ipsum pertinentibus vidisse senem, & fœminam, & ancillas, quæ in specu quosdā quasi vestimentorum saccos deponerent. Quamobrem visum ipsis fuisse tuto transiri amnē posse. Nec enim fieri posse, vt hac parte hostium equestres copiæ accederent. Igitur se exutos cum pugionibus nudis, quasi qui nataturi essent, traiicere cœpisse narrant. Quum autem pergerent, prius se trāsiisse, quam pudenda madefacerēt. Hoc modo quum amnem transiissent, & vestimenta illa accepissent, eodem vado reuersos. Heic Xenophon statim libationem instituit, & infundi adulescentibus hisce iubet, atque etiam votum nuncupare, aliaque persoluere Diis, qui tum somnia, tum vadum amnis commonstrassent. Libatione facta, ducit ad Cherisophum adulescentes, ei-

Somnio Xenophōtis euētus respondet.

que

que rem narrant. Ille cognitis omnibus, & ipse libationes instituit: quibus absolutis, denuntiant ceteris, vt vasa colligerent: ipsi conuocatis ducibus, quo pacto quam tutissime transirent, & tum aduersos hostes vincerent tum a subsequentibus a tergo nihil detrimenti acciperent, deliberant. Decretum est tamdem, Cherisophum debere prima in fronte esse, ac dimidia cum exercitus parte transire: reliquæ parti dimidiæ cum Xenophonte a tergo manendum esse. Iumēta, cum imbelli turba, debere medio inter hos loco transiicere. His ita recte constitutis, pergunt: adulescentibus illis præeūtibus, quum quidem amnis ad læuam ipsis esset. Via, quæ ducebat ad vadum, stadiorum fere IV erat. Quum proficisci cœpissent, pergunt aduersus eos equitum turmæ. Ad locum traiectus vbi peruētum esset, ac fluminis ripas: arma ponunt, & primus Cherisophus redimitus serto, ac veste posita, iterum arma capit, idemque ceteris omnibus faciundum imperat. Præterea cohortium præfectis mandat, vt cohortes rectas vtrimque tum ad dextram suam, tum ad læuam ducerent. Ibi vates hostiis ad amnem cæsis sacrificabant. Hostes tametsi sagittis & fundis vterentur, nec dum tamen ad nos pertingere poterant. Posteaquam perlitatum fuisset, milites vniuersi pæane inchoato iubilabant, clamitantibus vna mulierculis omnibus. 325
Erant enim permulta in exercitu scorta. Heic cum Cherisophus cum suis amnem ingrederetur, Xenophon cum expeditissimis in extremo agmine, velocissimo cursu ad vadum contendit, quod erat propter aditum, ducentem Armeniorum in mōtes. Simulare nimirum volebat, hac se transiturum, & interclusurum equites, qui secundum flumen erant. Hostes vbi Cherisophi copias amnem videbant nullo negotio traiicere, Xenophontis autē milites retrocurrere: metu perculsi, ne intercluderentur, totis viribus ad eum tramitem fugiūt, qui a fluuio sursum tendebat. Eam in viam quum peruenissent, sursum in montem pergebant. Hos quum Lycius, equestris agminis præfectus, & Æschines præfectus cetratorum, qui cum Cherisopho erant, fugere viderent, sequebantur. Milites ceteri clamabant, se illos haud deserturos, sed vna cum eis in mōtem euasuros. Cherisophus vbi transiis-

Strategemata Xenophontis.

set, non ille quidem equites insequebatur: sed statim per altiores ad amnem se porrigentes ripas aduersus hostiles copias, superioribus in locis subsistentes, euadit. Illi quum equites suos fugere cernerent, & grauis armaturæ milites aduersus se pergere: iuga fluuio imminentia deserunt. Interim Xenophon, qui videret in aduersa ripa rem bene successisse, quam celerrime ad copias amnem transeütes reuertitur. Nam Carduchi palam in planiciẽ descendebant, quasi qui extremum agmen inuasuri essent. Tenebat iam superiora loca Cherisophus, & Lycius cum paucis persequi hostes adgressus, impedimẽta tardius vecta ceperat, & in his vestes perpulchras cum poculis. Transibant adhuc Græcorum impedimẽta & turba, quum Xenophon acie conuersa in aduersos Carduchos pergit, ac præfectis cohortium imperat, vt quisque cohortem suam per manipulos instrueret, ac † versus clupeos manipulum in phalangem ducerent. Deinde cohortium præfecti & manipularij duces in Carduchos pergerent, a tergo curantibus iuxta flumen constitutis. Carduchi posteaquam cernerent agmen extremum a multitudine nudari, iamque paucos adeo videri: celerrime hos inuadunt, simulque nescio quid canebãt. Heic
326 Cherisophus constitutis in tuto suis, cetratos & funditores & sagittarios ad Xenophontem mittit: vtque facerent, quidquid ille iuberet, imperat. Eos Xenophon iam transire quum videret, misso nuntio mandat, vt istic ad amnem subsisterent: ac posteaquam se cum suis transeundi viderent initium facere, tunc etiam ipsi ex aduerso parte vtraque pergerent, tamquam transituri: iaculatores amentis hastarum prehensis, sagittarij cum sagittis in neruos impositis. Procul tamen in fluminis transitu non progrederentur. Eis vero, quos secum habebat, mandabat: vti quamprimum fundæ pertingerent, & clupei complosi creparent, pæanem exorsi cursu semper in hostes ferrentur. Illis se auertentibus, ac tubicine classicum a fluuio canente: tunc & ipsis † versus hastam conuersis a tergo curantes præirent, & concitatissimo cursu omnes procederent, ac suo quisque loco transiret, ne sibi mutuo impedimento essent. Nimirum qui primus in aduersam ripam euaderet, eum se pro maxime stre-

† Hoc est, versus sinistram Suidas.

† Hoc est, ad dextrã Suidas.

strenuo habiturum. Carduchi quum paucos esse reliquos viderent, quādoquidem multi etiam illorum, qui fuerant iussi manere, curaturi partim iumenta, partim impedimenta, partim res alias, discedebant: audacter in eos irruunt, fundisque ac sagittis incipiunt vti. Verum Græci pæanem exorsi, pleno cursu eos adoriuntur: quos illi nequaquam sustinebant, quod ratione montium satis ad incursiones & fugam armati essent: sed ad sustinēdos hostes, qui manum consererent, nequaquam satis muniti. Atque heic tubicine classicum canente, multo etiam celerius hostes fugam arripiunt: & Græci diuersam in partem abeuntes, quam citissime per amnem aufugiunt. Re tamen a nonnullis ex hostibus animaduersa, rursus ab eis ad fluuium concursus factus est, sagittisque nonnulli nostrorum vulnerati. Maior quidem pars etiam tunc, quum Græci in aduersam ripam euasissent, adhuc fugere cernebatur. Qui autem e nostris hosti obuiam tendebant, quum sumtis animis vlterius, quam commodum esset, progrederentur: aliquanto post illos, qui cum Xenophonte traiecerant, & ipsi transierūt. Eorum item aliqui vulnerati sunt. Quum autem vniuersi iam transiissent sub ipsam meridiem, dispositis ordinibus per Armeniam via prorsus campestri, perque colles leniter surgentes iter faciunt, non minus v parasangis. Nec enim propius flumen vlli erant vici propter ea, quæ cum Carduchis gerebātur, bella. Vicus autem, ad quem venere, magnus erat, & regiam continebat in vsum satrapæ. Domus pleræque turres habebant. Commeatus larga erat copia. Inde castris alteris parasangas x conficiūt, donec Tigris fluuij fontes traiecissent. Inde castris tertiis, parasangas x v progressi, ad Teleboam fluuium, pulchrum quidem illum, sed non magnum, perueniūt. Multi circum amnem vici. Locus hic adpellabatur Armenia versus occidentem. Præerat ei cum potestate Teribazus, amicus regis. Quoties is regi aderat, nemo prçter ipsum regem in equum tollebat. Atq; hic cum equestribus copiis adequitabat, præmissoq; interprete, velle se cum ducibus colloqui significabat. Illis audiendum esse hominem videbatur, quumq; ad locum accessissent, e quo audiri, quidquid diceretur, posset: quid vellet,

Teribazus fœdus cum Græcis init.

interrogabant. Respondet, hac se condicione cupidum esse ineundi cum ipsis fœderis, vt nec ipse Græcos læderet, nec Græci domos exurerent: saltim commeatum, quantum eius indigerent, caperent. Comprobata sunt hæc a ducibus, & iis condicionibus fœdus initum. Inde castris tertiis parasangarum x v iter per planiciem conficiunt, subsequente suis cum copiis Teribazo, fere x stadiorum ex interuallo. Atque heic ad regiam perueniunt, circum quam permulti vici erant, magno rerum omnium commeatu referti. Quum autem in castris degerent, magna niuis copia in eos decidit. Quare primo mane visum est, militum cohortes ac duces hinc inde per vicos distribuendos esse. Nec enim hostem vllum cernebant, & quia magna niuis esset copia, tutum facto videbatur. Erant etiam heic vniuersæ res vsibus ipsorum necessariæ, victimæ, frumentum, vina vetera, eaque fragrantia, vuæ passæ, omnis generis legumina. Quum autem nonnulli a castris longius palarentur, exercitum se videre dicebant, & noctu multos ignes lucere. Quare visum est ducibus haudquaquam tutum esse, milites hincinde diuertere: sed potius copias rursus esse cogendas. Itaque rursum conueniunt, quum quidem sub dio commorandum esse censerent. Verum ita pernoctantibus ipsis: tam copiosa nix in eos cecidit: vt ab ea tum arma, tum milites ipsi, qui humi iacebant, tegerentur. Etiam iumenta nix constrinxerat, vt diu surgere nequirent.
328 Miserabile certe erat illos intueri, in quos iacentes delapsa nix non defluxerat. Sed posteaquam Xenophon surgens nudus, ausus est ligna findere: tũ vero & alius quispiam surgens, a Xenophonte hunc sibi laborem depoposcit. Itaque dein factum, vt & alij consurgentes igne accenso semet vngerent. Nam magnam heic vnguenti copiam reperere, quo vtebãtur olei loco: nimirum suilli, sesamini, amygdalini, de amaris amygdalis facti, terebinthini. De iisdem rebus confectum etiam vnguentum fragrans inueniebatur. Secundum hæc iterum sub tectis per vicos hinc inde diuertendum esse decreuerũt. Quare milites magno cũm clamore ac voluptate ad tecta & commeatum tendebãt. Quotquot autem id temporis, quo prius e tectis migrarant, exusserant domos: hi

pœnas

pœnas illas dederunt, vt sub dio misere cubarent. Inde noctu Democratē, Temeniten, adiūcta ei militū manu, in mōtes eos mittūt, in quib. hinc inde palati milites videre se ignes dixerant. Nā is iam antea sæpenumero in huiusmodi rebus dixisse verum existimabatur, itaque rem exposuisse, vti vel erat, vel non erat. Hic quū eo profectus esset, ignes se vidisse negabat: hominem tamen captum secum adferebat, qui arcum habebat Persicum, & pharetram, & securim, quali vtūtur Amazones. Quū interrogaretur, cuias esset: Persam se esse respondit, & e Teribazi castris profectum parandi commeatus caussa. Quærentibus iisdem, quantæ Teribazi essent copiæ, quave de caussa collectæ: respondit, adesse suo cum exercitu Teribazum, militesque stipendiarios Chalybes & Taochos conduxisse, ac paratum esse in montium angustiis, qua vnicus tantum exitus pateret, Græcos adoriri. Quæ quum duces audiissent, visum est colligere copias. ac mox adeo relictis excubitoribus, & duce remanentib. istic dato Sophæneto Stymphalio, pergunt cum itineris duce, homine illo captiuo. Postea quam montes superassent cetrati progressi aliquantulum, quum adspicerent castra: grauis armaturæ militem nequaquam exspectant, sed sublato clamore, castra cursu inuadunt. Eo tumultu barbari percepto non subsistunt, sed in fugam se coniiciunt. Nonnulli ex eis interfecti, capti equi circiter xx, vna cum Teribazi tentorio, in quo lectuli erant innixi pedibus argenteis, & pocula, & nonnulli, qui se panum conficiundorum artifices, ac pincernas esse dicerent. Quæ omnia quum grauis armaturæ militum duces percepissent, quamprimum ad castra pergendum statuunt, ne quis relictas copias adoriretur. Itaque statim tuba receptui canentes discedunt, eodemque die in castra reuertuntur. Postridie quanta fieri celeritate posset, pergere visum est prius, quam hostilis exercitus de integro cogeretur, angustaque loca illa occuparet. Itaque mox collectis vasis per largam niuem proficiscūtur, quum ab itinerum ducibus multis instructi essent: eodemq; die iugo illo superato, in quo Teribazus ipsos adgredi voluerat, castra metantur. Inde habitis castris in solitudine tertiis, ad Euphratem perueniunt: eumque

Castra Teribazi capiūtur.

329

ſaltim ad vmbilicum vſque ſe madefacientes tranſeunt. Ferebantur ab eo loco fontes eius haud procul abeſſe. Inde per multas niues, & planiciem, caſtris ternis paraſangas xv progreſſi ſunt. Ac tertij quidem diei perdifficile fuit iter, aduerſo borea flante, ac omnino tum vrente homines, tum congelante. Ibi tum quidam e vatibus rem ſacram vento faciendam eſſe præcipit. Quo facto, nemini non manifeſto viſum eſt, moleſtum illum & aſperum flatum deſinere. Nix altitudinem habebat *orgyæ. quo fiebat, vt & iumenta & mancipia multa interirent, atque etiam milites fere xxx. Noctem integram ignes accendebant, quod in caſtrorum loco lignorum eſſet copia. Qui tamen ſerius proceſſerant, a lignis deſtituebantur. Quamobrem illi, qui iamdudum huc venerant, & habebant accenſos ignes, ſerius venientes non admittebant, niſi ſi vel triticum, vel quid aliud eſculentæ rei cum eis communicaſſent. Atque heic mutuo ſibi, quidquid habebant ſinguli, impertiebantur. Quibus locis ignes accendebantur, niue liquata ſcrobes ingentes efficiebantur ad ſolum vſque, de quo niuis altitudinem metiri erat. Inde toto ſubſequenti die per niuem iter faciunt, multis hominibus furcillæ malo præ ingenti fame adflictis. Xenophon autem, qui extremo in agmine curabat, vbi homines offenderet, qui humi iacerent: primum, quid illud morbi eſſet, ignorabat. Quum vero quidam vſu rerum valens dixiſſet, eos ho-
330 mines plane furcillæ morbo laborare, ac ſi quid ederent, ſurrecturos: ad iumenta pergens, ſi quid vel potus, vel cibi cerneret, id partim ex fame deficientibus ipſe dabat: partim, qui hinc inde diſcurrere poſſent, & iiſdem dare, mittebat. Quamprimum quid illi cibi guſtaſſent, ſurgebant, & in itinere pergebant. Hoc modo quum proficiſcerentur, Cheriſophus ſub ipſum crepuſculum ad vicum quemdam venit, ac mulieres & puellas aquam ferentes propter fontem ante munitionem ipſam offendit. Interrogant hæ, quinam hominum eſſent: quibus interpres lingua Perſica reſpondit, a rege ſe ad ſatrapam venire. Subiiciunt illæ, non iam ipſum eſſe hoc loco, ſed abeſſe paraſangæ vnius interuallo. Quia vero ſerius veniebant, vna cum mulierculis aquam

Boreas ſacrificio placatus.

* *Mēſura expanſorū vtrinque brachiorū cum pectore. Pollux.*

aquam gestantibus in munitionem ad vici præfectum ingrediuntur. Heic ergo tum Cherisophus, tum quotquot poterant, castra habuerunt: ceteri milites, qui tãtum * itineris conficere non poterant, absque cibis & ignibus pernoctarunt: eoque factum est, vt nonnulli perirent. Præterea quidam ex hostibus collecti sequebantur, & iumenta imbecilla rapiebant, deque iis inter se dimicabant. Relinquebantur a tergo milites etiam quidam, quibus partim ex niue corrupti erant oculi, partim ex frigore pedum digiti putruerant. Ferebat autem oculis hoc opem aduersus niuem, si quis ita pergeret, vt nigri aliquid ante oculos haberet: pedibus, si quis se commoueret, ac numquam interquiesceret, noctuque calceamenta solueret. Quotquot autem calceati cubabant: iis lora in pedes imprimebantur, & calcei pedibus adhærescebant. Habebant enim, postea quam veteres calcei defecissent, * carbatinas factas de corio recens bobus detracto. Ob necessitates igitur huiusmodi, milites quidam remanebant a tergo: quumque locum quemdam nigrum conspexissent, quod istic niues defecissent, liquatas eas existimabant. Et erant sane liquatę propter fontem quemdam, qui non procul inde exhalabat in valle quadam. Quare quum huc e via deflexissent, considebant, ac perrecturos se negabant. Id quum Xenophon agminis extremi ductor intellexisset, quouis artificio & molitione obsecrebat eos, ne a tergo manerent: addens, hostes collectos magno numero sequi. Tamdem etiam indignabundus obiurgabat. Illi iugulare iubebant, quod fieri non posset, vt pergerent. Visum est igitur optimum facto, vt sequentibus hostibus terror incuteretur, si quidem fieri posset, ne illi in defatigatos irruerent. Erant iam noctis tenebræ, & hostes magno cum tumultu accedebãt, qui de rebus, quas haberent, inter se dissidebant. Ibi tum extremi agminis milites surgunt, qui valetudine adhuc erant integra, & cursu feruntur in hostes: & quotquot erant ex defatigatione debiles, sublato clamore, quam possent maximo, clupeos ad hastas pulsant. Hostes metu perciti, per niuem, in hanc ipsam conuallem se dimittunt, nec vllius deinde vsquam vox audita est. Xeno-

Marginal notes: * Lectio marginis. — Milites Græci multi pereũt. — * Calcei sunt rustici, cũ vna dũtaxat solea. Hesychius. — 331

phon, & qui aderant ei milites, vbi significassent ægris illis, postridie venturos quosdam ad ipsos: priusquam stadia quatuor confecissent, in milites passim in via supra niues requiescentes, eosque tectos incidunt, nullis excubiis constitutis. Hi excitati aiebant eos, qui præcessissent, de via non cedere. At Xenophon tum ipse prætergressus, tum robustissimum quemque de cetratorum numero præmittens, considerare iubet, quid illud esset, a quo impedirentur. Renuntiant illi, copias vniuersas hoc modo quiescere. Quapropter & illi, qui circum Xenophontem erant, ibidem incœnati absque igne, constitutis, quales sane poterant, excubiis, commorati sunt. Quum prope dies adesset, mittit Xenophon ad ægrotantes ætate quosdam maxime vegetos, qui eos excitarent: mandans etiam, vt ad pergendum cogerent. Interea Cherisophus quosdam ex vico mittit, qui quo pacto extremi agminis milites se haberent, quærerent. Hos vltimi perlubenter viderunt, & iisdem ægrotos tradiderunt ad castra perferendos. Ipsi deinde pergunt in itinere, ac prius quam stadia xx confecissent, erant in vico, ad quem Cherisophus diuerterat. Posteaquam conuenissent, visum est sat tutum fore, si cohortes per vicos locarent. Manebat eodem loco Cherisophus, ceteri de vicis, quos cernebant, quoscumq; sorte cepissent, ad eos quisque pergebat. Ibi tum *Policrates Atheniensis cohortis ductor, abeundi potestatem fieri sibi postulat: itaq; nonnullos expeditos homines secum sumens, atque ad vicum currens, qui Xenophonti sorte obtigerat, tum vicanos omnes in eo, tum ipsum vici præfectum offendit. Præterea pullos equinos xvii, qui regi tributi nomine alebātur, & præfecti filiam, quæ ante diem nonum cum viro nupta fuerat. Aberat is in leporum venatione, nec in vicis vsquam captus fuit. Domus heic erant subterraneæ, quarum ostia puteorum ostiis erant consimilia, quum in imo latæ essent. Iumenta per aditus fossos ingrediebantur, homines per scalas descendebant. Ipsis in ædibus & capræ, & oues erant, & boues, & gallinæ, cum suis quæque fœtibus. Iumenta pabulo nutriebantur. Nec triticum, aut hordeum, aut legumina deerant, nec vinū hordaceum in crateribus. Hordeum ipsum vasorum labra

*al. Polybotes

332

bra æquabat. Iacebant heic & calami partim maiores, partim minores, enodes. Hos ſugere neceſſe erat in os ſumtos, ſi quis ſitiret: ac potus is admodum erat fortis, ſi non aquam aliquis adfunderet, & plane ſuauis, ſi ei quis adſueuiſſet. Xenophon vici præfectum menſæ ſuæ adhibitum, bono eſſe animo iubet: quippe nec liberos amiſſurum, & ſe domum eius, quum abituri eſſent, viciſſim omni commeatu refarturos: ſi quidem exercitui Græco, donec is ad nationem aliam perueniſſet, boni alicuius auctor extitiſſe viſus eſſet. Policebatur hic operam ad ea ſuam, atque vt beneuolentiam ſuam declararet, quo loco vinum defoſſum eſſet, indicabat. Hac igitur nocte milites hinc inde diuerterunt, eamque in rerum omnium copia exegerunt: quum interea tam vici præfectum in cuſtodia, quam liberos eius in oculis & conſpectu haberent. Poſtridie Xenophon cum præfecto ad Cheriſophum pergit, ac quacumque vicum aliquem præteriret, ad eos, qui paſſim in vicis erant, diuertebat. Vbique milites conuiuiis ſeſe exhilarantes offendit, & quidem nuſquam eum prius dimittebant, quam prandium adpoſuiſſent. Nuſquam non eadem in menſa carnes agninæ, hœdinæ, ſuillæ, vitulinæ, gallinaceæ, multis cum panibus partim triticeis, partim hordaceis adponebantur. Quod ſi quis declarandæ beneuolentiæ ſtudio propinare alij vellet, eum ad craterem trahebat, de quo capite demiſſo bouis inſtar ſorbētem bibere neceſſe erat. Etiam præfecto vici quidquid vellet, ſumendi poteſtatem faciebant. Is vero aliud quidem nihil accipiebat, ſed ſicubi cognatum aliquem videret, eum ad ſe recipiebat. Ad Cheriſophum quum perueniſſent, illos etiam milites ſub tectis reperiunt, ſertis ex arido graminc redimitos, quibus pueri Armenij barbaricis ſtolis a- 333
micti miniſtrabant. Atque hiſce pueris tamquam ſurdis, quid opus facto eſſet, oſtendebant. Poſteaquam ſe Xenophon & Cheriſophus comiter excepiſſent, communiter vici præfectum per interpretem Perſice callentem interrogant, quænam hæc eſſet regio. Qui quum Armeniam eſſe reſpondiſſet, rurſum quærunt, cuinam equi alerentur. Regi hos tributi nomine ali, reſpondet. Addit, regionem proximam eſſe Chalybum: ſimul viam, quæ

Xenophōtis erga captiuos humanitas.

illuc duceret, indicat. Tunc Xenophon eum ad familiā suam reducit, equumque vetulum, quem acceperat, ei tradit pascendum & in sacrificio mactandum. Inaudierat enim Soli sacrum esse, ac metuebat, ne ab itinere debilitatus moreretur. Ipse de istis equuleis quosdam accipit, ac singulis ducibus cohortiumque præfectis equuleum donat. Erant autem equi hoc loco minores quidem illi Persicis, sed multo tamen animosiores. Docuit tunc vici præfectus eos, vt equorum & iumentorum pedes sacculis obligarēt, quoties ea per niues acturi essent. Nam absque saccis ad ventrem vsque in niuem demergebantur. Erat iam dies IIX, quum Xenophon vici præfectum Cherisopho ducem itineris tradit, relictis ei domesticis, præter vnum filium iam pubescentem. Hunc *Episthemi Amphipolitano tradit adseruādum: vt si recte ductoris functus esset officio, recepto illo domum pater rediret. Præterea in domum eius, quam poterant plurima, congerebant: atque ita motis castris pergebāt. Præibat per niuem præfectus vici solutus, iamque tertiis in castris erant: quum Cherisophus ei succenset propterea, quod non ad vicos duceret. Negabat ille vicos hoc esse loco. Quare Cherisophus hominem cædit, neque tamen vincit. Tum ille noctu relicto filio profugit. Hoc vnicum inter Cherisophum & Xenophontem hoc toto itinere dissidium exstitit, quod nimirum ille ducem itineris per iniuriam cæciderat, & negligenter tamen adseruarat. Filium autem huius Episthenes adamauit, & vbi domum eum secum adduxisset, fidelissimo est vsus. Post hæc castris septimis ad Phasin amnem perueniunt, confectis in dies singulos V parasangis. Erat is latitudine plethri. Hinc castris alteris, X parasangas procedunt, quo tempore conantibus ipsis in planiciem montibus superatis descendere, Calybes & Taochi &
334 Phasiani occurrunt. Posteaquam in eo loco, quo transeundum erat, hostes conspexit Cherisophus: desinit progredi, quum XXX stadiorum interuallo abesset: ne ducta in cornu acie propius ad hostem accederet. Aliis mandat, cohortes adducerent, vt vniuersæ copiæ in phalangem coirēt. Posteaquam extremum agmen adesset, ducibus & cohortium præfectis conuocatis in hunc modū loquu-

** Al. Clisthemi.*

Dissidium vnicū inter Xenophontem & Cherisophum.

loquutus est: Tenent hostes, vti videtis, editas montis partes, & tempus ipsum postulat, vt deliberemus, quo pacto, quã honestissime aduersus eos dimicemus. Equidem arbitror militi denuntiandum esse, vt prandeat: nobis autem consultandum, hodiene potius, an cras hic mons superandus videatur. Mihi vero, subiecit Cleanor, videtur, quamprimum pransi fuerimus, summa celeritate capienda esse arma, & aduersus eos pergendum. Nã si diem hodiernum contriuerimus, partim hostes, qui iam nos adspiciunt, fidentiores erunt: partim horum exemplo animatos alios, consentaneum est, plures accessuros. Post eum Xenophon: Equidem statuo, inquit, si pugnandum necessario sit, ita nos parare nosmet debere, vt quamfortissimis animis pugnemus: sin quamfacillima ratione montem superare lubet, hoc mihi considerandum arbitror, vt quamminimũ vulneremur, & paucissimos amittamus. Ac mons quidem hic, quem intuemur, amplius quam ad stadia LX porrigitur: quum nulli vsquam homines, qui nos obseruent, adpareant, præterquã in hac via. Quapropter multo potius fuerit, aliquã deserti montis partem clam ipsis furtim nos occupare: quam simul & aduersus munita loca, & homines paratos dimicare. Nam longe facilius est, sine prœlio in locũ arduum euadere: quã per planum & æquabilẽ incedere, si hostes vtrimq; immineant. Præterea noctu quæ ante pedes sunt, multo cernuntur rectius, si absq; pugna pergere liceat: quam si quis interdiu iter inter dimicandum faciat. Deniq; aspera via sine prœlio, longe pedib. æquior est: quam æquabilis, si capita iaciendo lædãtur. Posse autem hac in parte furtim agi, mihi quidem videtur, quũ noctu pergere liceat, quo tempore nemo nos videre poterit: & liceat tanto ex interuallo seiũctos ab eis iter facere, vt ipsis nullum itineris nostri indicium præbeamus. Quod si etiam hac parte nos eos inuasuros simulemus, reliquas montis partes longe desertiores reperiemus. Nam heic malent hostes conferti subsistere. *Verum quid ego de furto in medium adfero? nam vos Lacedæmonios, Cherisophe, quotquot vestrum pares estis, statim a pueris furta meditari audio: nec esse turpe, furto quid adimere: immo potius ne-

*335 *Lacedæmonios ad furandũ a pueris adsuefacere suos.*

cessarium, modo ne quid lex auferre vetet. Atqui vt quã sollertissime furta committatis, operamque detis, quo clam perpetretis ea: legibus apud vos sancitum est, vt in furto deprehensi flagris cedantur. Quamobrem opportunissimum modo fuerit, vt institutionis specimẽ edas: sic tamen, quo caueamus, ne deprehendamur, dum partem aliquam montis furtim inuadere voluerimus. Nam grauiter ceteroqui vapularemus. Et Cherisophus: Equidem, inquit, etiam vos Athenienses audio peritissimos esse depeculãdi publicas opes, quamquam graue sit periculum peculatoribus propositum, & quidem hoc in optimum quemq; potissimum cadere: siquidem optimi quique apud vos gerere rempublicam volunt. Quapropter tempus est oblatum iam tibi quoq; edendi institutionis vestræ specimen. Ego vero, ait, Xenophõ, paratus sum, vt posteaquam pransi fuerimus, cũ extremo agmine pergam, ac montem occupem. Etiam duces itineris habeo, quippe milites in exercitu nostro expediti quosdam fures de illorum numero, qui nos sequũtur, ex insidiis ceperunt. Præterea montem audio non esse inaccessum adeo, sed tum capras, tum boues pastũ in eo quærere. Quare si semel aliquam eius partem ceperimus, iumenta etiam peragrare eum poterunt. Quamquam ego ne quidem hostes in eo mansuros diutius arbitrer, posteaquam nos eamdem ad altitudinem conscendisse viderint. Nam etiam in hoc tempore nobiscum æquo loco cõgredi nolunt. Et Cherisophus: Cur autem, inquit, necesse sit te ire, & agminis extremi curam relinquere? si nulli erunt, qui spõte se obtulerint, alios quosdam mittito. Tum vero Methydriensis Aristonymus cum grauis armaturæ militibus accedit, & Aristeas Chius cum expeditis, itemq; cum expeditis Nicomachus † Oetæus. Inter hos conuentum, vt posteaquam cacumẽ occupassent, multos ignes excitarent. Quæ pacti prandent, & a prandio copias omnes Aristonymus producit, vt decem iam solis stadiis ab hostibus abessent. volebat enim existimari, hac ipsum maxime copias adducturum. Cœnati quum essent, ac nox aduenisset: profecti sunt ij, quibus erat hoc datum negotij, montemque occupant. Ceteri sub monte quiescunt. Hostes vbi montem occupatum intel-

Xenophõtis & Cherisophi ioci.

al. Teius

intellexere, accensis nocte tota ignibus, excubant. Quũ 336 dies adpetiisset, Cherisophus facta re sacra pergit. Qui autem montem occuparant cum verticibus, in hostes contendunt. Hostium vero pars magna montis in superiore aditu manebat, altera pars iis, qui iuga tenebant, obuiam ibat. Prius vero, quam hostes congrederentur, confligunt inter se custodes cacuminum. Eo in prœlio Græci superiores euadunt, hostesque persequuntur. Interea etiam de planicie Græci, qui cetris vtebantur, ad suos cum hoste congressos, cursu feruntur: & Cherisophus celeri passu cum grauis armaturæ militibus subsequebatur. Hostes, qui viam obsidebant, quum victos esse suos suprema in parte montis cernerent, fugam arripiunt. Multis ex eis periere, multæq; crates captæ sunt. Eas Græci gladiis cæsas effecere tales, vt hostibus vsui amplius nõ essent. Quumque adscendissent, ac rem diuinam fecissent, tropæo constituto, in planiciem & vicos rebus vtilibus refertos descendunt. Post hæc ad Taochos pergunt, confectis parasangis xxx, castris v. Heic vero commeatus deficiebat. Nam Taochi munitis in locis habitabant, in quæ commeatum omnem comportauerant. Delati autem quum essent ad locum quemdam, in quo tametsi nullum erat oppidum, nullæ domus, tamen eo conuenerant & viri, & mulieres, & iumẽta magno numero: Cherisophus hunc, quamprimũ eo venit, adortus est ita, vt ordine primo defatigato, succederet alius, ac rursum alius. Nam conferti simul locum circumsistere non poterant, vndique præruptum. Vbi vero Xenophon cum extremo agmine, & cetratis, grauisque armaturæ militibus venit: Opportune, ait Cherisophus, ades. Nam locus hic nobis capiendus est, quem nisi cœperimus, commeatum exercitus nullum habiturus est. Itaque consilia sua inter se communicabant, quumque Xenophon interrogaret, quidnam esset illud, quod prohiberet, quo minus caperetur, respondit Cherisophus: Nimirum hic vnus aditus est, quem vides. Per hunc si quis nostrum adscendere conatur, lapides de saxo illo eminente deuoluunt: qui homines, quos adtingunt, in hunc modum excipiunt. Simul ei quosdam demonstrabat, quibus & crura, & costæ cõfractæ essent.

Xenophō-tis expedi-tum consi-lium. Quod si lapides, ait Xenophon, omnes insumserint, nũquid erit aliud, quod nos, quo minus eo perueniamus, impediat? Nec enim aduersos nobis vllos videmus, præter paucos hosce, quorum duo tresve tantũ armati sunt.
337 Locus, vt ipse vides, fere sesqui plethrum patet, per quem nobis inter hos ictus eundum erit. Eius spatii tantũ, quãtum æquet interuallum plethri, pinis ingẽtibus, per interualla diiunctis, densum est: ad quas si milites cõsistãt, quid vel a iactis, vel deuolutis saxis incõmodi tulerint? Restat semis plethri, quod quidem spatium, vbi lapides cessauerint, cursu conficiendum erit. At enim, ait Cherisophus, vbi primum pergere ad locum illum dẽsum cœperimus, magna in nos lapidum copia torquebitur. Immo, inquit Xenophon, fieri hoc ipsum debet. Nam eo citius lapidum copiam amittent. Verum age iam ad locum eum accedamus, a quo parum restet cursu conficiundum, si quidem poterimus: & a quo regredi facile fuerit, si ita libebit. Post hæc & Cherisophus, & Xenophon, & Callimachus Parrhasius cohortis ductor pergebant. nam Callimachus eo die ducis inter extremi agminis cohortiũ præfectos munus obtinebat. ceteri præfecti cohortium, in tuto subsistebant. Hinc igitur viri fere LXX ad arbores sese conferebant, non conferti, sed singulatim, cauente sibi vnoquoque quanto studio posset. Agasias autem Stymphalius, & Aristonymus Methydriensis, qui & ipsi postremi agminis cohortium ductores erant, vna cum quibusdam aliis, remoti ab arboribus stabant. Non enim poterant plures vna cohorte ab arboribus tegi. Heic quiddam molitur Callimachus. Etenim ab arbore, ad quã stabat, passus duos aut tres procurrebat: quamprimum vero lapides iacerẽtur, agiliter se in tutum recipiebat. Quoties autem procurreret, toties lapidum plures, quam decem currus insumebantur. Quod vbi Callimachum facere, toto exercitu spectante, videret Agasias: metuens, ne primus in locum euaderet, nec Aristonymo sibi proximo aduocato, nec Eurylocho Lusiense, qui sodales eius erant, nec quoquã alio, progreditur & anteuertit omnes. Quem vbi se prætereuntem Callimachus vidit, vmbonẽ clupei ipsius adprehendit: & interea Methydriensis Aristonymus vtrũq;

Insignis de gloria contentio.

cursu

cursu præcedit, ac post ipsum Eurilochus Lusiensis. Nam hi omnes virtutis gloriam sibi vindicabant, deq; hac inter se certabant: in qua quidem contentione locum capiunt. Nam posteaquam vnus eorum semel irruisset, ex eo nullus lapis amplius deuoluebatur. Erat autem heic tum videre triste spectaculum. Nam mulieres abiectis liberis, super eos seipsas deinde præcipitabant, idem viris etiam factitantibus. Quo tempore cohortis præfectus Æneas Stymphalius, quum currentem quemdam videret, vt se præcipitem ageret, elegante indutum amictu: prehendit hominem, ne id perpetraret impediturus. Verum is secum Æneam impellit, & vterque per saxa præceps actus interiit. Capti sunt deinde hoc loco perpauci homines: boum vero, & asinorum, & pecudũ ingens copia. Inde per Chalybum agros castris VII parasangas L conficiunt. Erat ea natio omniũ, per quas Græci fecerunt iter, longe fortissima, & quę cum eis congredi est ausa. Loricis lineis ad ventrem imum vsq; tendentibus vtebantur, ac pro * alis habebant funes densos cõtortos. Erant eis & tibiarum tegumenta, & galeæ, ac iuxta cingulum sica, instar Laconici gladioli falcati. Eo, quotquot in potestatem suam redegissent, iugulabant: capitaq; resecantes, & tenentes, ad suos cum cãtu & saltatione reuertebantur, præsertim si ab hostibus conspicerentur. Habebant & hastam XV fere cubitorum, cum vno mucrone. Manebant illi quidem in oppidis, verum quamprimum Græci transiissent, sequebantur a tergo, & continenter dimicabant. Elabebantur autem in illis natura munitis locis, in quæ cõmeatum etiam omnem comportauerant. Quo factũ, vt nihil ex ea regione Græci acciperent: sed iis iumentis ad cibum vterentur, quæ Taochis eripuerant. Inde ad amnem Harpasum perueniunt, cuius erat IIII plethrorũ latitudo. Hinc per Scythinos castris quartis parasangas XX conficiunt, ac planicie peragrata in vicos perueniunt. In eis frumentationis caussa triduũ permanserunt. Inde castris IV parasangas XX progressi, ad vrbẽ amplã, & opulentã, & incolis frequentẽ veniũt, cui nomẽ erat Gymnias. Huius regionis princeps itineris ducem Græcis mittit, qui eos per agrũ sibi hostilẽ duceret. Ipse etiã quũ venisset, se ductu-

338 *Spectaculum triste.*

Chalybũ natio fortissima.

Quid alæ sint in tunicis & thoracibus, docebit te Pollux in V.

rum eos ad locum aiebat, a quo dierum v ſpatio mare conſpecturi eſſent: id niſi præſtaret mortem ſe perpeſſurum aiebat. Simul eos ducens, poſtquam in hoſtile ſibi ſolum immiſiſſet: hortabatur, vt igni & ferro regionem vaſtarent: de quo patuit, cum hac de cauſſa veniſſe, non
339 propter aliquam erga Græcos beneuolentiā. Die quinto ſacrum ad montem veniunt, cui nomen * Teches. (*al.* Eches) Quum autem primæ aciei milites iam in montem euaſiſſent, ac mare cōſpicerent: magnus eorum clamor exſtitit. Eum Xenophon, & extremi agminis milites, quū audiiſſent: arbitrabātur reſtare hoſtes alios, qui a fronte premerent. Nam & a tergo nonnulli de exuſta regione ſequebantur, quorū aliquos extremi agminis cuſtodes occiderant, aliquos viuos, locatis inſidiis, ceperant: cum cratibus fere x x, ex crudo corio boum hirſutorum cōfectis. Quum creſceret clamor, ac propius accederet, & qui ſemper ſuccedebant, curſu ferrentur ad illos, qui clamare non deſinebant, ac tanto deniq; maior efficeretur clamor, quanto plures milites conueniſſent: res aliqua grauior eſſe Xenophonti viſa eſt. Itaque conſcenſo equo, Lycium & equites ſecum ſumit, vt opem ferret. Statim audiunt milites, mare mare inclamantes, ſeipſos cohortari. Tum vero concurſus omnium factus eſt, etiam agminis extremi militum, quum quidem & iumenta & equi eodem agerentur. Poſteaquam vniuerſi ad verticem perueniſſent, tum vero cum lacrumis & ſe inuicē, & prætores, & cohortium ductores amplexabātur. Statimq; milites, incertum cuius iuſſu, lapides congerunt, & ingentem tumulum excitant. In eum magnam ſcutorum ex boum corio factorum copiam imponunt, & baculos, & hoſtibus ereptas crates: quas quidem & itineris dux ipſe concidebat, & idem vt alij facerent, hortabatur. (*Græcorum lætitia, ob cōſpectum mare.*) Poſt hæc Græci ducem itineris ablegant, quum ei donaſſent ex communi equum, & pateram argenteam, & ornatum Perſicum, & nummos Daricos x. Inprimis annulos petebat, eorumque magnam copiam a militibus accepit. Quum vicum eis demonſtraſſet, in quo pernoctaturi eſſent, & viam, qua peruenire ad Macrones poſſent: ſub veſperam diſcedit, & noctu iter facit. Inde Grçci per Macrones caſtris III paraſangas x progrediūtur.

Dic

Die primo ad amnem veniunt, qui Macronū & Scythinorum agros disterminabat. Erat Græcis ad dextram locus arduus & difficillimus, ad læuam alius amnis, in quem ille, qui agros vtriusq; nationis separabat, influit: atque is sane traiiciendus erat. Spissus hic erat ex arboribus, quæ crassæ quidem illæ, sed frequentes non erant. Has Græci, quum accessissent, cædebant: omnique studio dabant operam, vt de hoc loco celerrime euaderent. 340
Macrones armati cratibus, & hastis, & cilicinis tunicis e pilis, in aduerso traiectui loco instructi stabant, ac se mutuo cohortabantur, coniectis etiam in flumen saxis: qui tamen ne sic quidem ad Græcos pertingebant, nec ab iis quisquam lædebatur. Accedit heic ad Xenophontem cetratorum e numero quidam, qui seruitutē Athenis se seruiisse diceret. Is horum hominum linguam intelligere se ait. Atque equidem arbitror, inquit, hanc meam esse patriam: ac nisi quid impedit, cupio cum eis colloqui. Nihil vero impedit, subiecit ille: colloquere cum eis, ac primum, quinam hominum sint, exquirito. Interrogante illo, respōdent: se Macrones esse. Quære igitur, inquit Xenophon, cur aciem aduersus nos instruxerint, & cur hostes nostri esse velint? Respondent illi: Quia vos quoque nostram ad regionem acceditis. Et responderi duces iubent: Id non eo factum, vt vos vllo damno adficiamus: sed posteaquā aduersus regem bellum gessimus, redire iam in Græciam cupimus, & ad mare pergere. Quærunt illi, num de eo fide data sibi cauere velint. Velle se Græci & dare fidem, & accipere, inquiunt. Post hæc Macrones hastam barbaricam Græcis tradunt, & ipsis Græci vicissim Græcam: quod hoc pacto fidem dari apud se dicerent. Simul vtrique Deos testes implorabant. Posteaquam fides esset data statim Macrones vna cum Græcis arbores cædebant, & viam struebant, velut transportaturi alteram in ripam, Græcis permisti: suppeditato etiam rerum venalium foro, quale quidem poterant. Hoc modo triduum ducebant, donec Græcos in Colchorum montibus sisterent. Erat eo loco mons ingens quidem ille, sed in quem tamen adscendi posset. In eo Colchi cum instructis copiis stabant. Primum Græci phalangem & ipsi aduersam in-

Ritus dandi fidem porrecta vtrimque hasta.

struunt, quasi ea montem acie subituri. Sed deinde ducibus collectis, placuit deliberandum esse, quo pacto quã præclarissime dimicaturi essent. Et Xenophon subiecit, videri sibi, omissa phalange cohortes rectas instruendas esse. Nam phalangẽ statim diuulsum iri propterea, quod alibi montem adscendi, alibi nequaquam posse reperiemus, inquit. Adeoque mox idipsum molestiam creabit, quod nostri in phalangem dispositi, hanc ipsam diuelli
541 videbunt. Præterea si acie densa hostem adgrediemur, superaturi nos illi sunt numero: & illorum opera, quibus nos superant, vsuri sunt ad quamcumque rem visum fuerit. Sin aciem raram habebimus, nihil mirum fuerit, eam perrumpi a confertim irruentibus tum telis, tum hominibus. Quod si aliqua in aciei parte accidat, totam phalangem laborare necesse erit. Enimuero cohortes nobis rectas instruendas esse arbitror, tantumque complectendum esse spatij per distantes a se inuicem cohortes, vt extremæ cohortes extra hostium cornua procurrat. Quo fiet, vt extremæ cohortes nostræ sint extra phalangem hostilem: & dum rectas cohortes ducemus, lectissimi quique nostrum primi in hostem pergent: quaque via minus erit difficilis, hac quælibet cohors incedet. Ne quidem in relicta inter cohortes nostras interualla procliue hosti erit irrumpere, quum ex vtraque parte constitutæ sint cohortes: nec erit procliue, cohortem rectam accedentem perrumpere. Quod si cohors aliqua laborabit, opem feret proxima: & si qua poterit ex cohortibus in verticem euadere, tum vero qui subsistat amplius ex hostibus, futurus est nemo. His comprobatis, rectæ cohortes instructæ sunt. Et Xenophon a latere dextro ad læuum pergens, hæc habuit ad milites verba: Hi quos cernitis, milites, soli nobis adhuc impedimento sunt, quo minus istic simus, quo iamdudum magno studio tendimus. Eos nobis, si quo modo possimus, vel crudos deuorandos arbitror. Posteaquam suo quisque loco constitit, explicata in rectas cohortes acie, grauis armaturæ cohortes xxc circiter fuere, distributis in cohortem quamlibet centenis fere militibus. Cetratos & sagittarios, trifariam diuisos, partim extra læuum cornu, partim extra dextrum, partim in acie media collo-

Xenophõtis consilium de inuadendis Colchis.

collocarunt. Turmæ singulæ propemodũ sexcentos habebant. Secundum hæc imperant duces, vt milites Deos implorarent. Id vbi factum, inchoato pæane procedunt. Cherisophus & Xenophon cum iis, quos secũ habebant, cetratis, ita pergebãt: vt extra phalangem hostilẽ essent. Quos vbi vidissent hostes,* & ipsi cõtra perrexere: quũque partim versus latus dextrũ, partim sinistrũ se scidissent, mediam aciem magna ex parte vacuam reliquere. Heic † quũ instructi Arcadico more cetrati, quibus Æschines Acarnã præerat, hostes se duas in partes scindere conspexissent, ꝗ eos existimarẽt fugere, totis virib. currebant. *Quo factũ, vt hi primi in montẽ euaderẽt. Subsequebantur hos grauis armaturæ copię Arcadicę, quibus Cleanor Orchomenius præerat. Hi posteaquã currere cœperunt, non constiterunt amplius hostes, sed alius alio terga dederunt. Græci conscenso mõte multis in vicis castra locarunt, in quibus magna erat cõmeatus copia. Et in ceteris quidem nihil erat, quod admirationem ipsorũ mereretur: tantum illic erant aluearia permulta. de quibus quotquot ex militibus fauos comedebãt, omnes ad insaniam redigebantur, & vomebant, & abscessus per inferiora fiebat, & rectus qui stare posset, erat nemo. Qui parum ederant, admodum ebriis erant similes: qui multum, furiosis: nonnulli etiam morientibus. Quamobrem ita multi iacebant, ac si strages accidisset. & magna erat in exercitu militum tristicia. Postridie nemo mortuus erat, sed eadem prope hora pristinum ad statum mentis redibant. Die tertio & quarto, tamquam si pharmacum hausissent, surgebant. Inde castris alteris parasangas VII progressi, ad mare veniunt, & ad vrbem Græcam Trapezuntem, frequentem incolis, ad Pontum Euxinum, coloniam Sinopensium, in regione Colchorum sitam. Heic dies fere XXX Colchorum in agris commorati, prædas e regione Colchorum agebant. Forum in exercitu rerum venalium Trapezuntij sumministrabant, exceptosque Græcos hospitalibus muneribus donabant: bobus, farina, vino. Iidem cum eis nomine Colchorum finitimorum, qui pleriq; habitabant in planicie transigebãt: a quibus itidem hospitalia dona missa sunt, quæ magna ex parte boues erant. Secundum hæc

*Quæ sententia sit lectionis in margine positæ, quære in Notis.

† Vel ita reddi potest: Heic quum cetrati, qui Arcadico erant in agmine, quibus, &c.

*342

Mellis Colchici natura venenata.

Trapezuntij Græcos hospitaliter excipiunt.

ſacrificium voto nuncupatū parant, & boues ad eos adlati ſunt, qui ſufficerent ad mactandas Ioui Seruatori & Herculi victimas, quibus gratam animi ſignificationem declararent, quod ipſis duces itineris exſtitiſſent: itidemque diis ceteris vota ſunt nuncupata. Pręterea ludos gymnicos illo ipſo in monte inſtituerunt, in quo caſtra habebant. Dracontium vero Spartanum, qui puer adhuc in exſilium abierat, quum puerū falcato gladiolo cæſum imprudens interfeciſſet, legerunt: vt curam curſus haberet, ac ludis præeſſet. Poſteaquam ſacrificatum, Dracontio pelles dabant: ſimul eo duceret iubebant, vbi curſus ſpatium deſignaſſet. Ille vero locum, in quo forte conſtiterant, demonſtrans: hic tumulus, inquit, ad currendum aptiſſimus eſt, quacumq; tam dē parte quis
343 currere velit. At qui poterunt, reſpondent illi, tam aſpero & ſiluis denſo loco lucta congredi? Nimirum is, ait, qui collapſus fuerit, vehementius dolebit. Itaque decertarunt in ſtadio pueri, maxima ex parte captiui: * dolichum Cretenſes plures, quam LX currebant: lucta, cæſtu, pancratio exercebantur alij, & ſpectaculū ſane pulchrum erat. Nam multi in certamen deſcendebant, & vt fieri conſueuit, ſpectantibus ſodalibus, magna erat ex æmulatione contentio. Decurrebāt etiam equi, quibus inſidentes oportebat in mare per loca decliuia prouectos, ita deinde ſurſum reuertendo ad aram accedere. Ac deorſum quidem permulti deuoluebantur, ſurſum vero ad loca valde ardua vix equi lento gradu pergebāt. Erat heic hominum ingens & clamor, & riſus, & cohortatio.

** Eſt hoc nomē curriculi, cuius ſpatiū ad XXIIII ſtadia extendebatur, auctore Suida.*

XENOPHONTIS HISTORIARVM DE CYRI EXPEDITIONE, LIB. V.

Argvmentvm.

1. Græci de reliqua profectione conſultant, vt in patriā quique ſuam quam tutiſſime & commodiſſime redeant. 2. Dexippi perfidia, eiuſdemq; pœna. 3. Græcorū aduerſus

sus Drilas expeditio. 4. Drilarum Metropolis a Græcis nō sine magna difficultate, multorumq; militum iactura capitur. 5. Difficilis Græcorum a Metropoli Drilarū abscessus. 6. Quo stratagemate Græci copias hostiles fefellerint, vt in itinere citius, tutiusq; pergerent. 7. Græcorum, qui salui Cerasuntem vsque venerunt, numerus. 8. Xenophōtis religio. Eiusdem exilium. 9. Xenophontis industria in deligendo loco, qui Dianæ consecraretur. 10. Mosynœcorū natio qualis. 11. Quibus condicionibus Græci fœdus cum Mosynœcis fecerint. 12. Mosynœcorum, qui se cum Græcis coniunxerant, temeritas. 13. Græci victis Mosynœcis eorum Metropolim capiunt. 14. Insignis Mosynœcorū barbaries. 15. Chalybum regio. 16. Cotyorensium inhumanitas. 17. Hecatonymi oratio. 18. Generosa Xenophontis responsio. 19. Cotyorenses, & Græci amice inter se agunt. 20. Cotyorenses hospitalia dona mittunt, Græcorum prætores cum Sinopensium legatis hospitaliter excipiunt, variis de rebus cum illis humaniter verba faciunt, & de reliqua profectione, commodisq; Græcorum ea dicunt, quæ Græcis grata for? sperabant. 21. Hecatonymus se Græcis purgat: sed su?m consilium de Græcorum itinere aperire rogatus, versute respondet. 22. Xenophontis de colonia deducenda consilium. 23. Silani vatis perfidia. 24. Xenophon a quibus, quādo, quomodo, cur oppugnatus. 25. Quomodo se purgarit. 26. Xenophontis ad milites ingratos oratio, qua sua in omnes Græcos merita commemorat, seque laude dignum esse demonstrat.



ACTENVS exposuimus hoc commentario, quas Græci res in expeditione, qua cum Cyro adscenderant, gesserint: quæ item gesta in itinere fuerint, donec mare, quod ponto Euxino adiacet, adtigerunt: & quo pacto ad vrbem Græcam, Tapezuntem peruenerint: & quo modo sacra perfecerint, quæ votis pro salute conceptis facturos se promiserat, vbi primum pacatam in regionem adpulissent. Deinceps quum conuenissent, de itinere reliquo deliberabant. Et Antileon Thurius primus surgens, in hanc sententiam loquutus est: Equidem, commilitones, iam

defatigatus sum colligendis vasis, eundo, currendo, ferendis armis, ordinibus obseruãdis, obeundis excubiis, pugnando. Itaque cupio laboribus his liberatus, quando ad mare peruenimus, deinceps nauigare: & * Vlyssis exemplo porrectus, dormiendo in Græciam adpellere. Quæ quum milites audiissent, strepitu excitato, recto hominem dicere significabant. Præterea repetebat eadem alius, adeoq; omnes qui aderant. Post hæc Cherisophus surgens. Amicum, inquit, Anaxibium hoc tempore nauarchum habeo, milites. Quamobrẽ si me ablegaueritis, arbitror me cum triremibus & nauigiis, quę vos vectura sint, rediturum. Vos quia nauigare decreuistis, exspectate, donec rediero: & redibo quam celerrime. His milites cum voluptate auditis, vt quam celerrime nauigio discederet, decreuere. Post hunc surrexit Xenophõ, & in hanc sententiam verba fecit: Mittitur ad nauigia Cherisophus, & nos eum heic opperiemur. Quamobrẽ quidquid fieri rerum nostrarũ ratio postulat, dum heic commoramur: equidem vobis exponam. Primum copia commeatus ex hostico paranda nobis erit. Quippe nec forum hoc nobis sufficit, nec quo emamus aliquid, in promtu nobis est, extraquam paucis: & ipsa hæc regio nobis est infesta. Quare periculũ erit, ne multi pereant, si vel negligenter, vel non satis caute ad parandum cõmeatum perrexeritis. Mea quidem sententia est, per excursiones cõmeatum parandum esse: ceteroqui minime obuagandum, vt saluti vestræ consulatur: adeoq; curam cõmeatus nostram esse debere. Quæ quum ita decreta essent: Audite, inquit, etiam hæc. Prædatũ nonnulli vestrum exituri sunt. Quapropter arbitror, optime nos facturos: si is, qui exiturus est, hoc ipsum indicet: etiam quo pergat, significet: vt & exeuntium, & in castris manentium numerum videamus: & vna cum ipsis nosmet paremus, si quidem ita res poscat. Quod si etiam aliquando fuerit opportunum aliquibus opem ferri, vt sciamus, quo ferendæ opis causa pergendũ sit. Præterea si quis minus experientiũ aliquod adgredi facinus velit, vt ea res ad deliberationẽ nostrã reuocetur: quibus erit danda opera, vt eorũ vires, quos illi adoriri cupiant, exploratas habeamus. Quæ quũ itidem milites sciuissent:

Homerus lib. Vlyssea XIII. 344

Hoc

Hoc etiā velim cōsidereris, inquit, daturos operā hostes, vt prædas a nobis agant: & quidē iure nobis insidiātur. Quippe nos ipsorū res habemus. Imminent quidē certe nobis. Quare mea quidē sentētia necesse est circa castra excubitores esse. Si ergo diuisi in pręsidiis & speculis vicissim erimus, minus nos venari hostes poterunt. Præterea videndum vobis hoc quoque. Si certo cōstat, Cherisophū cum ea nauiū copia, quæ nobis sufficiet, rediturum: nihil iis verbis opus fore, quæ quidem ego iam sum prolaturus. Nunc quum illud incertū sit, arbitror nobis operā dandā, vt ex hac ipsa regione naues comparemus. Nam si redeunte ipso instructi a nauigiis erimus, maiorē eorum copiam habebimus, quibus ad nauigandum vtamur: sin ille naues nullas adducat, his nostris vtemur. 345
Video autē frequēter hac nauigia præterire. Quāobrē si a Trapezuntiis naues longas postulabimus, & per has illa subducemus, ac detractis gubernaculis custodiemus, donec tantū illorum numerū habeamus, vt eis vehi possimus: nimirum vectura nobis haud defutura est talis, qualē nos requirimus. Quæ quum decreta essent: cōsiderandum & hoc, inquit, an æquū sit eos, quos cum nauigiis subducturi sumus, impensa communi a nobis ali, quam quidē diu nostra caussa manserint, atq; num etiā merces vecturæ sit eis danda, vt pro opera nauata nobis vtili, & ipsi cōmodum aliquod percipiāt. His itidem cōprobatis: Quod si, ait, perficere nequiuerimus, vt nauigia tot habeamus, quot suffectura sunt: mea sententia ciuitatibus maritimis imperandū erit, vt itinera quę esse audimus difficilia, nobis muniāt. Quippe parebunt nobis tum metu nostri, tum quod quamprimū nos discedere volent: Heic milites exclamant, nō esse cur viæ muniantur. Xenophon quū eorum dementiā adgnosceret, nihil sanxit: sed vrbibus libenter adsentientibus vt vias struerēt, persuasit. Aiebat enim, milites suos citius discessuros, si quidē itinera faciliora redderentur. Acceperunt & L remorū nauē a Trapezuntiis, cui Dexippū Laconē e Spartæ vicinia præficiebāt. Is neglecta capiendorū nauigiorū cura, cū naui extra Pontū profugit. Verū deinceps iusto supplicio adfectus fuit. Nam quū apud Seuthē in Thracia nescio quid rerū nouarū moliretur, a Nican-

Dexippi perfidia, & eiusdē pœna.

dro Lacedæmonio est interfectus. Acceperunt & aliam xxx remorũ nauem, cui Polycrates Atheniensis est præfectus. Is quotquot naues caperet, ad castra subducebat. Postea merces, quæ illis vehebantur, eximebant, milites, & custodes constituebãt, vt eæ saluæ dominis essent: nauigiis ad vectionem vtebantur. Hoc ipso tempore prædatum exeunt Græci, quorum alij præda potiebantur, alij non. Cleænetus vero, quum & cohortẽ suam, & quãdam aliam ad locum difficilem adduxisset: non ipse modo, sed etiam pleraque militum pars periit. Posteaquam cõmeatus haberi amplius ita non poterat, vt eodem die milites in castra reuerterentur: Xenophon acceptis ducibus itinerum a Trapezuntiis, dimidiam copiarum partem in Drilas educit, reliquis castra custodiẽda relinquit. Nam Colchi, quod sedibus suis pulsi essent, conferti magno numero in verticibus montiũ considebant. Et Tra-
346 pezuntij non ducebant eos in agros, e quibus commeatum nullo negotio petere licuisset: quod illis hominibus amicitia coniuncti essent. Aduersus Drilas perlubenter itineris duces erant, quia læsi ab ipsis fuerãt. Præterea loca hæc erant montuosa, & accessu difficilia: & homines omnium, qui Pontum inhabitant bellicosissimi. Drilæ posteaquam Græcos in finibus videre, quæcumque loca posse capi ab hoste putabant, iis incensis cedebant: neq; quidquã haberi poterat, extra sues, boues, iumenta alia, si quæ vim ignis effugissent. Vnum erat oppidum, quod Metropolim Drilarum adpellabant. in id vniuersi confluxerant. Erat hoc profundo admodum alueo cinctum, & aditus vndiq; difficiles habebat. Quum autem cetrati stadiis v vel vi grauem armaturam cursu præcessissent, traiecto alueo, & visa ouium aliarumq; rerum magna copia, propius ad oppidum pergunt. Sequebantur hos hastati multi, qui & ipsi commeatus caussa exierant. Itaque omnes, qui transierant alueum, duum milliũ numerum superabant. Posteaquam dimicando munitionem capere non poterant, quod & a fossa lata, quam terra egesta fecerant hostes circumdabatur: & in egesto aggere sudes defixerant, & turres ligneas complures excitauerãt: iam de discessu cogitabant, quum hostes eos a tergo adgrediuntur. Quare quum non possent abscedere, quod vni tantum

Græcorũ aduersus Drilas expeditio.

tantum descensus in aleum ab oppido pateret: ad Xenophontem mittunt, qui grauis armaturæ militū dux erat. Nuntius oppidum quoddam ait esse, refertum copia rerum variarum. id neque capi ab ipsis posse, quod munitum esset: neq; procliue nobis est inde recedere, partim quod in nos egressi dimicant, partim quod abscessus sit difficilis. Ea Xenophō quum audiisset, ducto ad alueum milite, grauem armaturam ibi iubet in armis consistere: ipse cum ductoribus cohortiū traiicit, ac num esset consultius eos abducere, qui trāsierāt, an grauem etiam armaturam spe capiundæ munitionis traiicere, considerabat. Abductio non sine multorum cæde fieri posse videbatur, & capi locum posse, cohortium quoque ductores existimabant. Adsentiebatur his Xenophon, fretus sacrificiis. Nam pugnam quidem vates significarant, sed profectionis tamen finem præclarum fore. Itaque cohortium ductores mittit, qui grauem armaturam traducerēt: ipse subsistebat, & cetratis omnibus vnum in locum collectis, neminem eorum velitatione aduersus hostem vti 347
permittebat. Posteaquam grauis armaturæ milites aduenissent, eo modo cohortium ductores singulos instruere cohortem suam iussit, quo se quam optime dimicaturos existimarent. Nam prope a se inuicem aberāt illi ductores cohortium, inter quos hoc toto tempore de virtute certamē fuerat. Faciebāt imperata præfecti cohortium, quum interea Xenophon cetratos prehensis iaculorum amentis progredi iubet, vt posteaquam signum ipse dedisset, iacula vibrarent: itidemque sagittarios cum sagittis neruo impositis, vt ipso signum dante sagittas emitterent: velites denique pelles suas lapidibus refertas habere iussit. Misit etiam quosdam idoneos homines, qui hæc vt fierent, curarent. Posteaquam omnia recte comparata erant, & cohortium ductores, & horum legati, & alij, qui se nihilo volebant his deteriores haberi, vniuersi iam in acie dispositi stabant, seque mutuo intuebantur. Et erat sane acies ob loci rationem iucunda spectatu. Deinde inchoato pæane, clangenteque tuba, Martiū milites clamorem tollunt, ac grauis armaturæ pedites cursu in hostem tendunt. Simul etiam tela, hastæ, sagittæ, fundarum iacula, quamplurimi e manibus missi lapides

Metropolis Drilarũ a Græcis capitur.

torquebantur Ignē quoq; nonnulli admouebāt. Hostes ob telorū multitudinem & septa lignea, & turres relinquunt. quo factū, vt Agasias Stymphalius, & Philoxenus Pellenensis, positis armis, sola induti tunica adscēderēt, atq; alius aliū adtraheret, quum nō nemo iam adscēdisset. Ita captum erat oppidum, vti quidem videbatur. Et cetrati cum velitibus irrumpentes cursu, quod quisque poterat, rapiebant. Xenophon interea stabat ad portas, & grauis armaturæ milites, quoscumque poterat, arcebat ingressu. Nam hostes alij munitis in iugis conspiciebantur. Nec magno interiecto temporis spatio clamor intus exstitit, fugientibus aliis cum iis rebus, quas cœperant, nonnullis etiam vulneratis: adeoq; magnus ad portas protrudentium sese impetus erat. Qui elabebantur interrogati, aiebant arcem quamdam interiorem esse, ac magnam hostium multitudinem, quæ excursione facta milites ingressos cæderet. Heic Xenophon proclamare Tolmidem præconem iussit, vt quicumque spoliorum aliquid capere vellet, ingrederetur. Tum vero permulti cum impetu irruebant, eoq; factū, vt qui alios propellendo intro tenderent, erumpētes ex arce superarent. Ita rursus hostes ab eis in arcem concludeli
848 duntur, diripientibus Græcis, ac secum exportantibus omnia, quæcumque extra arcem reperiebantur. Grauis autem armaturæ milites partim ad oppidi septum, partim ad viam illam, quæ tendebat in arcem, subsistebant. Interea Xenophon cum ductoribus cohortium considerabat, ecqua ratione capi arx posset. Nam id si fieret, salutem certam consequuturi erant: ceteroqui per futurus difficilis abscessus videbatur. Hac in consideratione dum versarentur, visum est eum locum plane capi non posse. Quapropter ad discessum sese parabant, ac singuli palos sibi proximos diruebant, emissis * inutilibus, vt prædas agerent, cum grauis armaturæ maxima parte: retinentibus penes se cohortiū ductoribus eos, quibus quisque fidebat. Posteaquam abscedere cœperunt, complures in eos ex arce irruebant, cratibus & hastis, & tibiarum tegumentis, & galeis Paphlagonicis armati. Horum alij domos conscendebant ex vtraque viæ parte sitas, quæ ad arcem tendebat. Quo factum, vt tutum non

hoc est, calonibus sarcinas vehentibus.

nō esset eos ad portas in arcē ducentes persequi. Quippe tigna ingentia de superioribus locis deiiciebant, vt par esset in manendo & discedendo difficultas: præsertim quod nox etiam formidinem augeret, quæ tum ingruebat. Hoc modo pugnantibus, & quasdam ad angustias redactis, Deus quispiam salutis apiscendæ rationem offert. Nam subito quædam ad dextram sita domus exarsit, incertum cuius opera succensa. Hæc posteaquam collapsa est, qui erant in ædibus ad dextram sitis diffugiunt. Illud vbi Xenophon ex re fortuita animaduertisset, etiam succendi sitas ad sinistram domos iubet. Eæ quod essent ligneæ, celeriter exurebantur. Itaque hostes, qui has occuparant, & ipsi fuga dilabebantur. Soli iam molesti erant illi, quos habebant a fronte. Nam perspici palam poterat, futurum, vt hi Græcis exeuntibus, ac * descensuris a tergo incumberent. Heic Xenophon eis, quotquot extra telorum ictus erant, mandat: vt ligna loco inter ipsos & hostes medio comportarent. Ea quum satis multa iam congesta essent, succensa sunt. Etiam proximis vallo ædibus ignem iniiciebant, vt his rebus hostes distinerentur. Ita vix tamdem ex hoc loco euadebant, igne inter ipsos & hostes excitato: quo & oppidum vniuersum cum ædibus, turribus, septis, rebusque ceteris omnibus, arce sola excepta, conflagrauit. Postridie Græci cum commeatu discedunt. Sed quia sibi a descensu versus Trapezuntem metuebant, quod & præceps & angustus esset, fictis insidiis hostem adgrediuntur. Mysus quidam & patria & nomine, secum adsumtis quatuor aut quinque Cretensibus, in loco ex arboribus denso subsidebat, ac dare se operam simulabat, vt istic clam hostibus esset. Horum peltæ, quæ essent æreæ, ab hac atque illa parte dilucebant. Quæ quum hostes perspicerent, tamquam insidiæ istic laterent, metuebant sibi: descendente interea exercitu nostro. Eum Mysus vbi satis iam longe processisse putabat, signum suis dabat, vt quātis possent viribus fugerent. Itaq; consurgens cum aliis, quos secum habebat, fugam arripit. Cretenses, quod futurum fuisse dicerent, vt cursu victi caperētur: de via se proripientes in syluam, perque saltus deuoluti, saluti suæ consuluerunt. Mysus

Difficilis Græcorū a Metropoli Drilarū abscessus.

Casus fortuitus Xenophonti consilium subministrat.

Sequor lectionem marginis.

Stratagemate Græci vtūtur. 349

in ipsa via fugiebat, & clamando suorum opem implorabat. Ferebant illi auxilium, ac vulneratum recipiebant. Quumq; iaculis peterentur, cedendo pedem referebãt: nonnullis Cretensibus in hostem sagittas vicissim eiaculantibus. Ita factũ, vt omnes salui & incolumes ad castra reuerterentur. Et quia neque Cherisophus redibat, neq; nauium satis magna erat copia, neq; capi alicunde commeatus deinceps poterat: visum est, discedendum esse.

Græci in itinere pergunt.

Quapropter in nauigia laborantes aduersa valetudine cum iis, qui annum quadragesimum excesserant, itemq; pueros, mulierculas, vasa, quorum vsus necessarius non erat, imponunt: cõmissa horum cura Philesio & Sophæneto, qui maximi natu inter prætores erant. Ceteri pedites iter faciebant, iampridem commode munita via. Quum triduũ totum proficiscendo consumsissent, Cerasuntem veniunt. Id oppidum Græcum est, ad mare situm, Sinopensium in Colchide colonia. Dies heic decẽ substitere, quibus instituta lustratione, censa sunt militũ octo millia, sexcenti. Hi ex c c I ɔ ɔ fere, salui euaserãt: quũ reliqui partim per hostiles incursiones, partim a niuib. partim etiam morbo cõsumti periissent.

Numerus Græcorũ qui salui euasere.

Ibidẽ pecuniã, quã ex captiuis redegerant, partiuntur: atq; etiã decumã, quam Apollini & Ephesiæ Dianæ exemerant, ita duces distribuũt; vt quilibet ipsorũ hisce diis aliquã partẽ eius adseruaret. Cherisophi loco Neoni Asinensi pars vna tradita est.

Xenophõtis religio.

Xenophõ quũ donariũ Apollini confecisset, in thesaurũ illud Atheniensiũ, qui Delphis est, consecratum reposuit: quũ & suum, & Proxeni hospitis sui, qui

350 cũ Clearcho occubuerat, nomẽ inscripsisset. Quod vero Dianæ dedicatũ erat, id quo tẽpore cum Agesilao ex Asia in Bœotiã proficiscebatur, apud Megabyzum æditũum Dianæ reliquit. Videbatur enim illo itinere aleã prœlij cũ Agesilao apud Coroneã subiturus. Itaq; mandatum dedit in hanc sententiam: Si saluus ipse euasisset e prœlio, restituendam sibi esse pecuniam sacram: sin aliquid humanitus ei accideret, Megabyzus illã Dianæ dedicaret, confecto donario, quod Deæ gratissimum fore arbitraretur.

Xenophõtis exsiliũ.

Postea vero, quum esset in exsilio Xenophon, ac iam Scilunte habitaret, quod oppidum a Lacedæmoniis propter Olympiam conditum erat: venit ad Olympiam

piam spectandi gratia Megabyzus, ac depositum Xenophonti restituit. Eo recepto Xenophon, agrum illo loco Deæ mercatus est, qui Apollinis oraculo demonstratus erat. Perlabitur eum agrum Sellenus amnis. Itidem apud Ephesum propter ædem Dianæ Ephesiæ Sellenus fluuius præterfluit. Vterque pisces habet, & conchas. Præter hæc in eo, qui ad Sciluntem est, agro, venari feras omnes, quæcumque indagando capiuntur, licet. Templum etiam, cum ara, de pecunia sacra exstruxit, ac post id temporis semper consecratis fructuum agri decumis, sacrum Deæ faciebat. Earum feriarum & municipes, & finitimi, tam viri, quam fœminæ, participes erant. Et sum ministrat iis Dea, qui agitãt conuiuia, farinas cum panibus, vino, pecunia, bellariis. Præterea partem eorum, quæ vel e pascuis sacris mactantur, vel venando capiuntur. Xenophõtis enim, & ceterorum municipum filij ad celebritatem hanc venationem instituebãt, quibus etiam viri se in venando adiungebant, qui vellent. Itaque partim ex agro sacro, partim ex Pholoe apri, capreæ, cerui capiebantur. Locus ipse qua in Olympiam Lacedæmone itur, ad stadia xx a Iouis Olympij fano abest. Idem & nemora complectitur, & montes refertos arboribus: vt in eis & sues, & capræ, & oues, & equi satis pastus habeant: quo fit, vt eorum, qui ad celebritatem hanc se cõferunt, etiã iumenta abunde satientur. Propter fanum lucus est hortensibus arboribus cõsitus, in quo erant omnia, quæcumque posteaquam maturuerunt, esculenta sunt. Fanum ipsum, vt paruum magni similitudinem Ephesini refert: itemque simulacrum, vt cupressinum, Ephesino aureo simile est. Propter fanum pila erecta, quæ has literas continet: 351
FVNDVS DIANAE SACER. Hoc qui possessor fruitur quotannis consecrato decumam. de reliquo fanum sartum tectum conseruato. Si quis non fecerit, Dea vindex esto. Post hæc a Cerasunte mari quidem ij, qui prius, vehebantur: ceteri terrestri itinere pergebant. Posteaquam Mosynœcorum fines adtigissent, Timesitheum Trapezuntium ad eos mittunt, qui erat Mosynœcorũ hospes. Per hunc interrogant, vtrum tamquam per pacatum, an hostilem agrum iter Græcis faciũdum esset. Illi,

Xenophõtis in deligendo loco, qui Dianæ cõsecraretur, industria.

Mosynœcorum natio.

quod munitionibus locorum fiderent, sibi perinde fore respondent. Tum Timesitheus narrat, esse his hostes illos, qui vlterius habitarent. Quare visum est, hos esse de ineunda societate belli adpellandos. Missus est igitur ad eos Timesitheus, qui cum magistratibus gentis rediit. Posteaquam aduenissent, ac iam tum Mosynœcorum magistratus, tum Græcorum prætores congressi essent: Xenophon hanc orationem habuit, interpretante ipsius verba Timesitheo: Cupimus nos, Mosynœci, pedestri itinere Græciam petere, quum a nauigiis destituamur. Verum impedimur ab iis, quos vobiscum inimicitias exercere audimus. Quapropter, si voletis, licet iam vobis nos socios adiungere: licet iniurias, quibus vnquã vos illi adfecerunt, vlcisci: efficere deniq;, vt in posterum vestro illi imperio pareant. Quod si nos dimiseritis, circumspicite tamdem, vnde tantum exercitum accepturi sitis, qui vobis opituletur. Ad ea qui summum apud Mosynœcos magistratum gerebat, ita respondit: vt significaret, & velle se hæc, & societatem admittere. Tum Xenophon: Agite vero, ait, quanam in re nostra vobis opus erit opera? itidẽ vos quid adiumẽti nobis adferre poteritis ad hoc, vt transitus nobis cõcedatur? Nobis, inquiunt, virium satis est ad inuadendum ab altera parte illorum agrum, quos hostes communes habemus: ac nihilo sequius huc ad vos tũ naues, tum milites mittemus, qui & auxilio vobis sint, & viam cõmonstrent. His cõditiobus quum vtrimque data & accepta fides esset, ad suos abiere. Postridie cum c c c lintribus aderant, quibus singulis terni homines continebãtur. Ex his duo de lintribus egressi, ad Græcorum aciem se adiungebãt: vnus in nauigio manebat. Itaq; sumtis quidam lintribus, abnauigarunt. reliqui se hoc modo in aciem disposuerunt.

552 Stabant centuriatim tamquam chori oppositis sibi seriebus, omnes instructi densis cratibus, ex alborum boum coriis, hederæ folij forma: dextra sex cubitum tragulam tenebant, cuius anterior pars cuspidem habebat posterior formam ligni pilarem. Tunicis supra genua induti erãt, quarum erat ea crassicies, quæ lineæ fasciç, qua stragula vestis constringitur. In capite coriaceas galeas, Paphlagonicis consimiles gestabant: quarũ in medio

medio spira tortilis erat, quamproxime tiaræ formam referens. Habebant & secures ferreas. Post hæc quũ vnus ex eis præcinuisset, ceteri omnes cum cantu incedebant ad numerum: perq; Græcorum ordines, & armatos progressi, recta tendebant in hostem ad castellum, quod expugnari facillime posse videbatur. Situm hoc erat ante oppidũ, quod ipsi Metropolim adpellabant, & quo continebatur id, quod apud Mosynœcos summum erat, de quo bellum inter ipsos gerebatur. Nam quolibet tempore, qui eo potirentur, ij se Mosynœcos vniuersos in officio & potestate sua retinere posse arbitrabantur. Atque hoc aiebant Græcorũ socij ab hostibus nullo iure teneri, qui, eo quod communitatis esset, occupato, aliena vsurparent. Sequebantur hos Græci quidam, non ex ducum imperio, sed prædæ causa. Hostes accedentibus nostris primum quiescebant. Quum autem prope a castello abessent, excursione facta, in fugam eos vertunt, ac barbarorum complures: Græcorum, qui cum eis adscenderãt, nonnullos interficiunt: neq; a persequẽdo desistunt, donec Græcos suis opem ferre viderent. Tum vero conuersi discedebãt, & præcisa interfectorum capita tum Græcis, tum hostibus suis ostentabant: simulque certo quodam modo cantantes, tripudiabant. Græci permoleste ferebant, hostes audentiores esse factos: ac Græcos, qui se satis magno numero barbaris adiunxerãt, fugisse. Neque enim hac tota in expeditione quidquam huiusmodi commiserant. Atque heic conuocatis Græcis Xenophon, in hanc sententiam loquutus est: Non est, milites, cur animis deiectis, ob ea, quæ accidere, sitis. Quippe non minus boni, quam mali vobis contigit. Primũ enim certo iam vobis constat, eos, qui futuri sunt itineris nostri duces, re abse hostili esse in illos animo, quos itidem nos hostium loco necessario ducimus. Deinde Græci nostri, qui acie nostra post habita, se barbaris adiunctos eadem putarunt gerere posse, quæ nobiscum perfecere, pœnas dederunt. Quo fiet, vt deinceps minus sint aciem nostram deserturi. 353 Enimuero sic vos paretis necesse est, vt tum ij barbari, qui amicitiam nostram amplexi sunt præstare vos sibi ipsis statuant: tum hostibus declaretis, non iam ipsos cum eiusmodi viris prœlio congres-

Mosynœcorũ, qui se cum Græcis cõiunxerãt, temeritas.

gressuros, quales illi fuere, quos modo nullius ordinis obseruantes sunt adorti. Ita tum hoc die quum quieuissent, postridie facta re sacra, & extis addicentibus prandent, instructisq; cohortibus rectis, ac barbaris itidẽ ad sinistram collocatis pergunt: sagittariis intra cohortes rectas receptis, qui aliquo tamen ex interuallo a grauis armaturæ peditũ fronte abessent. Nam inter hostes expediti nonnulli excurrebant, & lapidibus nostros petebant. Hos sagittarij cum cetratis reprimebant. Ceteri milites gradatim procedebant, ac primo quidẽ ad eum ipsum locum, de quo pridie barbari cum iis, qui se ipsis adiunxerant, in fugam acti fuerant. Heic enim hostes acie instructa stabant. Sustinebant cetratorum impetum barbari, contraque hos dimicabant: verum vbi grauis armatura prope iam ab ipsis aberat, terga dabant. Eos a tergo statim cetrati, sursum ad Metropolim tẽdentes, persequebãtur: quum armatura grauis, ordine seruato, succederet. Posteaquam sursum ad ipsas vsq; Metropolis domos peruentum esset, tum vero collecti hostes vniuersi dimicabant, ac partim tragulas eiaculabantur, partim hastas alias habebant, easq; tanta crassicie ac longitudine, vt vnus eas vix gestare posset. His propulsare vim hostium cõminus nitebantur. At vero quum Græci non modo nihil cederent, sed etiam pergerent ad conserendũ cum eis manus: fugã arripiunt barbari, statimq; vniuersi oppidum deserunt. Eorũ rex, qui degebat † in turri lignea, loco editissimo exstructa, in qua manentem, & agentem excubias cõmunibus impensis omnes alunt, ex ea prodire nolebat, ac ne illi quidem, qui in castello prius capto erant: sed vna cum ædibus ligneis exusti fuere. Græci quum oppidũ diriperent, aceruos panum more gentis † cõgestorum cumulate in ædibus inueniunt. Hi superioris erant anni, quemadmodum aiebant Mosynœci. Frumentum hornum vna cum ipso culmo conditum reperiunt, cuius maxima pars erat zea. Reperiebantur & delphinorum frusta sale condita, cum eorumdem in vasis adipe: quo Mosynœci sic vtebãtur, vt Grę-
354 ci oleo. Superioribus in tabulatis nuces erant castaneæ, eæque crassæ, nulla cum fissura. His elixando coctis, vt † plurimum panis loco vescebantur. Vinum etiam reperieba-

Græci, victis Mosynœcis, Metropolim eorum capiunt.

† *Sic expo* νομόσυνα, *quũ Apollonius in II* δουράτεον πύργον *interpretetur.*

† *Sequor libros qui habẽt* νενηθρίων, *hoc est,* συσκειθρίων, *vt ait Hesychius: a* νήειν *quod idẽ* σωρεύειν *interpretatur.*

† *lectio marginis.*

riebatur, quod merum propter austeritatem videretur acidum esse: dilutum vero, fragrans erat, ac dulce. Hoc loco Græci quum pransi essent, vlterius pergebant: oppido Mosynœcis, qui pugnæ socij fuerant, tradito. Quæcumque autem oppida, quæ ab hostium partibus essent, alia præterirent: eorum accessu facillima partim a suis deserebantur, partim sponte deditionem faciebant. Magna quidem eorum pars huiusmodi erant. Distabant a se inuicem stadiis xxc, & nonnulla hoc vel maiore, vel minore spatio. Quod si clamorem tollerẽt, exaudiri ab oppido vno ad alterum vsque poterant. Tam edita erat, & concaua regio. Posteaquam ad fœderatorum fines peruentum esset, ostendebantur eis diuitum filij saginati, qui castaneis elixis nutriti essent: teneri admodum, & candidi, crassicie ac longitudine propemodum pari, tergis vario colore distinctis, anterioribusq; partibus vniuersis pictura florida distinctis. Cupiebant & cum scortis, quæ Græci secum ducebant, palam cõsuescere. Nam hic illis mos erat. Omnes tam viri, quam mulieres, colore erant candido. Atque hos censebant, qui huic expeditioni interfuere, maxime barbaros inter omnes, quorum ipsi fines peragrassent, ac plurimũ a moribus Græcorum dissidentes. *Mosynœci omnium maxime barbari.* Nam in hominum turba perpetrabant ea, quæ homines in solitudine facere cõsueuerunt, neque extra solitudinem vmquam auderent committere: rursum si soli essent, perinde se gerebant, atque si cum aliis essent. Nam & ipsi secum soli colloquebantur, ridebant secum, tripudiabant vbicumque forte libitum fuisset subsistere, quasi si aliis semet ostentarẽt. Per hanc regionem Græci, tam hostilem, quam pacatam profecti, castris octauis ad Chalybes perueniunt. Erat ea natio nõ ampla, & Mosynœcorum imperio subiecta. *Chalybũ regio.* Maxima pars gentis se ferro fodiendo alebãt. Hinc ad Tibarenos perueniunt. Eorum ager multo magis erat campestris, & ad mare habebat oppida minus munita. Volebãt hæc † duces adoriri, vt exercitus commodis quibusdam potiretur. *† al. milites* Itaque hospitalia munera, quæ a Tibarenis mittebantur, non recipiebant: sed iussis illis exspectare, donec 355 consultassent, rem sacram faciebant. Quum hostias cõplures mactassent, tamdem vniuersi vates hanc senten-

tiam suam aperuerunt, nullo modo bellum hoc Diis probari. Tum deinde dona hospitalia sunt accepta, biduumq; veluti pacato in agro quum perrexissent, Græcum ad oppidum Cotyora peruenere. Sinopensium illi coloniam habitabant, Tibarenorũ in agro sitam. Huc vsque Græcorum exercitus pedibus itinera confecit: Atque hoc iter, quo ex Asia post pugnam Babyloniam Cotyora vsq; descendere, tantum fuit; vt castris CXXII. parasangas IↃCXX absoluerent, [hoc est] XVIII CIↃ. & XX stadia. Temporis spatium menses VIII complectebatur. Apud Cotyora XLV dies hæsere, quibus primum omnium sacra Diis persoluta, & processus sollemnes instituti, Græcis per singulas nationes distinctis, itemque ludi gymnici. Commeatum partim e Paphlagonia, partim ex agris Cotyorensium accipiebant. Nam illi forum rerum venalium nullum suppeditabant, nec ægros intra mœnia recipiebant. Hoc ipso tempore legati Sinope veniunt. Nam metuebant tum vrbi Cotyorensium, quæ ipsorum esset, ac vectigalia eis penderet: tum agro, quem populationibus vexari audierant. Hi quum in castra venissent, huiusmodi orationem habuere, pronuntiante illam ante ceteros Hecatonymo, qui valere dicendo existimabatur. Misit nos, milites, Sinopensium ciuitas, partim collaudatum vos, qui quum Græci sitis, barbaros superaueritis: partim vobis gratulatum, quod e multis ac difficilibus rebus, quemadmodũ accepimus, incolumes huc euaseritis. Ceterum a vobis Græcis nos, & ipsi Græci homines, petimus: vti potius aliquo nos commodo, quam detrimento adficiatis. Nec enim vnquam vllius erga vos iniuriæ auctores exstitimus. Hi vero Cotyorenses a nobis in coloniam deducti sunt, qui eis etiam hunc agrum barbaris ademptum tradidimus. Qua de caussa nobis vectigal constitutũ perinde, vt Cerasuntij, & Trapezuntij, pendunt. Quidquid igitur his iniuriæ a vobis infertur, id sibi accidere Sinopensium respublica ducit. Accepimus autem, vos oppidum vi ingressos esse, ac nonnullis vestrũ ædes inhabitãdas occupasse, & ex agris ea, quib. vobis opus sit, nõ persuadendo, sed vi auferre. Hæc nos haudquaquam æqua censemus esse. Quod si porro committere huiusmodi perrexeri-

Cotyorẽsiũ inhumanitas.

Hecatonymi oratio.

356

xeri-

reritis, non Corylam solum, & Phalagones: sed quoscumq; potuerimus adiungere nobis cogemur. Ad ea surgens Xenophon, in hanc sententiam pro militibus verba fecit: Venimus huc ita, Sinopẽses, vt æqui boniq; consulamus, corpora cum armis conseruasse. Nec enim simul opes rapere ac ferre potuimus, & aduersus hostes pugnare. Posteaquã vero ad vrbes Græcas accessimus, apud Trapezuntem, quę fori nobis copiã faciebat, cõmeatum pretio redemimus: & quia Trapezuntij nobis honorem exhibuere, missis ad exercitum donis hospitalibus, nos vicissim eos honore prosequuti sumus. Itaq; si quos barbarorum amicitia sibi deuinctos habebant, ab iis abstinuimus: hostes vero ducibus ipsis adorti, quibuscumque potuimus damnis adfecimus. Tu eos interrogato, quales nos experti fuerint. Adsunt enim hoc ipso in loco, quos amicitię caussa nobiscũ vrbs ea duces itineris misit. Quibus autẽ locis forũ nullũ reperimus, siue adeo barbarorũ in fines, siue Græcorũ perueniamus: nõ petulantia, sed necessitate adducti, cõmeatum sumimus. Ita Carduchos, & Chaldæos, & Taochos, qui neq; regis Imperio parent, & admodum sunt formidabiles, nobis hostes reddidimus: quod quum fori nobis copiam non concederent, vrgente necessitate cõmeatum sumere cogeremur. Macrones quamquam barbari essent, tamen quia forũ eiusmodi, quale quidẽ poterant, sumministrabant: amicorũ loco duximus, nec quidquã illis vi ademimus. Cotyorensibus, quos vestros nuncupatis, si quid per nos est ademtum: id vero ipsorũ est culpa factum. Non enim erga nos se, tamquã amicos, gessere: sed quum portas occlusissent, neque nos in oppidum admisere, neq; forum rerum venalium extra muros instituerunt. Et quidẽ horum omnium culpam in præfectum a vobis datum conferunt. Quod autem ais, nos per vim irrupisse, ac iam in oppido degere: petiuimus nos, vt ægri sub tecta reciperentur. Quum vero portas illi non aperirent, ea parte sumus oppidum ingressi, qua illi nos admittere nolebant: ac nihil sane aliud violenter egimus, saltim ægri qui sunt, ipsorũ sub tectis agũt, & quidẽ sumtu suo: pręterea præsidiũ ad portas habemus, ne nostri milites ęgri, sint in præfecti vestri potestate: sed nobis eos arbitratu

Xenophõtis animosa responsio.

357 nostro exportare, quum volemus, liceat. Ceteri, quemadmodum videtis, sub dio agimus, & quidem singuli suos apud ordines: parati ad præstanda vicissim iis beneficia, qui bene de nobis merentur: sin quis per iniuriam lædat, ad eam propulsandam. Quod minas tuas adtinet vos, si ita videatur, societatē cum Coryla & Paphlagonibus aduersus nos inituros: scito nos, si necessitas ita poscat, vel cum vtrisque bellum gesturos. Nam aduersus copias, quæ vestris essent longe ampliores, iamdudum nobis res fuit. Quod si etiam nobis ita videatur, Paphlagonis illius amicitiæ nos adiūgemus. Audimus quidem certe, duci hunc cupiditate potiūdi tum vrbe vestra, tum locis maritimis. Quare operam dabimus, vt a nobis adiutus in iis, quæ expetit, amicitiæ nostrę se adiungat. Posteaquam hæc dicta fuissent, Hecatonymi in legatione collegæ palam declarabant, permoleste se illa ferre, quę ab eo fuissent prolata. Itaque progressus in mediū quidam: Nō bellum, inquit, denuntiaturi huc venimus, sed significaturi potius, nos vobis amicos esse. Quod si ad Sinopensium vrbem accesseritis, hospitalibus vos donis excipiemus. Interea mandabimus heic nostris, vt vobis, quarum poterint rerum, copiam faciant. Nam vera esse omnia, quæ dicitis, coram videmus. Post hæc Cotyorenses hospitalia dona mittunt, & prætores Græcorum cum legatis Sinopensiū, hospitaliter exceptis, multa colloquebantur, & beneuolentiæ plena. Inter alia de itinere, quod restaret, interrogabant: deque vniuersis, quæ essent vtrisque ex vsu. Hoc pacto quum is dies exactus esset, postridie militem prætores cogunt: visumque fuit, vt de reliquo itinere Sinopensibus arcessitis deliberarent. Nam siue pedibus iter conficiundum esset, ex re sua futurum putabant, si Sinopenses viæ duces haberēt, quibus esset cognita Paphlagonia: siue mari mallent, desideraturi Sinopensium opem videbantur, quibus solis esse tot naues suppeditandi facultas, quot exercitui sufficerent. Itaq; legatis arcessitis consultabant, & quia ipsi quoq; Gręci essent, petebant: vt Græcos homines ea primum in parte benigne exciperent, nimirum vt & beneuolentia ipsos complecterentur, & optimorum consiliorum auctores existerent. Tum vero Hecatonymus

mus, posteaquam adsurrexisset, ab se dicta de amicitia cum Paphlagone ineunda purgat: non ita se loquutum esse, quasi bellũ aduersus Græcos ipsi gesturi essent: sed quod, quum ipsorũ in potestate sit, amicitia barbarorũ frui, Græcos tamen iis sint antelaturi. Quũ autẽ consilium suum exponere iussus esset, primũ precatus Deos, in hanc sententiam verba fecit: Si vobis id consilij dedero, quod animo meo visum fuerit factu optimum, multa mihi prospera eueniant: sin autem, diuersa. Nam heic agi de cõsilio mihi videtur, quod sacrum dici solet. Etenim si recte consuluisse visus fuero, multi numero eritis, qui me estis prædicaturi: sin male, multi me execrabimini. Non ignoro equidem, longe nos plus molestiæ habituros, si nauigiis domum reuehemini: quippe nos vobis ea suppeditemus, necesse erit. Sin autẽ terra proficiscemini, vobis scilicet prœliandi necessitas incumbet. Enimuero dicendum nihilo minus est, quod sentio. Nam & Paphlagonum regio, & vires mihi notæ sunt. Habet hæc vtraq; simul ista regio, tũ campos pulcherrimos, tum altissimos mõtes. Ante omnia scio, qua parte vos eam ingredi necesse sit: nimirũ alia nulla, quã qua via per montem ducens vtrimq; habet ardua quædam quasi cornua. Hæc si qui occupent, vel pauci tueri possint. Eadẽ si teneantur, ne quidẽ ceteri homines vniuersi transire queant. Demonstrari hæc a me poterint, si quem mecum ad ea loca miseritis. Deinde noui, cetera non nisi plana esse: noui equestres copias, quas ipsi etiam barbari vniuerso regis equitatu potiores ducunt. Atque hoc adeo tempore vocati a rege, non sunt ad ipsum profecti: & maiores etiã spiritus princeps ipsorum gerit. Quod si maxime poteritis vel montes furtim occupare, vel ipsos in occupãdo anteuertere, atq; etiam in planicie peditatum & equitatũ horum, qui CXXCIↃ superat, prœlio viceritis: ad amnes peruenietis, ac primum omnium Thermodontem, cuius est triũ plethrorum latitudo. Hunc equidem magna cum difficultate traiici posse arbitror, præsertim si magnæ hostiũ copiæ partim a fronte sint, partim a tergo sequantur. Alter amnis erit † Iris, trium & ipse plethrorũ latitudine. Tertius Halys, qui quum duum stadiorum latitudinem ha-

358

Hecatonymi sententia.

† al. T[illegible]

beat, traiici a vobis absq; nauibus haudquaquam poterit. At vero quis nauium vobis copiam faciet? Itidem & Parthenius transiri non poterit; ad quem veniendum vobis erit, postea quã Halym traieceritis. Quapropter equidem statuo, nõ iter hoc difficile vobis fore: sed prorsus a vobis perfici non posse. Iam si nauigetis, licebit hinc Sinopen nauigio perueniatis, inde Heracleã. Hinc nulla vobis erit difficultas reliqua, siue adeo mari, siue pedestri itinere lubitum fuerit pergere. quippe nauibus ea
559 ciuitas abundat. Hæc vbi protulisset, alij suspicabantur ea dici propter amicitiam Corylę, cuius erat hospes: alij, quod huius consilij dati nomine munera esset acceptu-rus. Nonnulli fuere, qui suspicarentur hac etiã de caussa fuisse ab ipso huiusmodi prolata, ne Sinopensium ager detrimento adficeretur, si per eum pedestri itinere Gręci transirent. Tamdem a Græcis decretum factum est, mari hoc iter conficiũdum. Secundum hæc Xenophon in hanc sententiam loquutus est: Adsensi sunt, Sinopenses, in itinere deligendo milites nostri consilio vestro: ita tamen, vt si tanta erit nauium copia, quo ne vnus quidẽ heic relinquatur, nauigemus: sin alij nostrũ relinquentur, aliis nauigantibus, nequaquã naues conscendemus. Non enim futurum ignoramus, vt vbicumque potiores fuerimus, & salui esse, & commeatum habere possimus: sin alicubi hostibus inferiores deprehẽdamur, cuius facile patet, mancipiorum nos condicione futuros. Hæc vbi Sinopenses audiissent, mitti legatos iubent. Missi Callimachus Arcas, Aristo Atheniẽsis, & Samolas Achęus. Interea dum hi Sinopem proficiscuntur, Xenophon & peditum grauis armaturæ Græcorum multitudinem intuens, & cetratorum multitudinem, & sagittariorum, & funditorum, & equitum, qui propter vsum belli peridonei essent in Ponto, quo loco exiguis impensis comparari tantus exercitus non potuisset: rem fore præclaram existimabat, si deducta colonia & agri alicuius, & potentiæ accessione Græciam amplificaret. Atq; ea colonia futura ipsi magna videbatur, expendenti Græcorum multitudinem, & eorũ, qui passim Pontum incolerent. Hanc ob caussam exta consulebat, arcessito Silano Ambraciota, quo Cyrus vate fuerat vsus, antequam animi

Xenophõtis de colonia deducenda consilium.

mi sui institutum vlli militum aperiret. Is vero metuẽs, ne res ita confieret, vt istic maneret exercitus: auctor rumoris in castris exstitit, velle Xenophontem istic exercitum manere, vrbẽ exstruere, sibi nomen ac potentiam comparare. Cupiebat autem Silanus primo quoq; tempore in Græciam redire, quod hactenus Daricorum illa III C I Ɔ conseruasset, quę id temporis a Cyro acceperat, quum eius nomine cõsulens exta, de diebus decem vera prędixisset. Posteaquã res ad milites delata esset, aliis visum est optimũ, in Ponto manere: aliis nõ visum, *quorum erat maior numerus. Timasio quidẽ Dardanensis, ac Thorax Bœotius, cũ mercatoribus quibusdam Heracliensibus & Sinopensibus, qui ad exercitũ erant, congressi: periculũ fore aiebant, vt nisi stipendium exercitui darent, quo parare cõmeatum nauigaturi possent, tantæ in Ponto copię manerent. Nam Xenophon, inquiũt, hoc habet cõsilij, nosq; etiã hortatur, vt posteaquã adducta nauigia fuerint, subito in hanc sententiã cum militibus agamus: Videmus iã vos, milites, præ inopia neq; commeatum, quum e portu soluendũ erit, habere posse: neq; domum reuersos cõmodi quidquam vestris pręstare. Quod si vobis libet agrũ aliquẽ in hoc Ponti ambitu, quemcumq; tamdem deligere visum fuerit, occupare: ac deinde domum proficiscendi, si qui ita velint, vel heic manendi copiã militib. facere: naues iã vobis præsto sint, quibus in quamcumq; partem voletis, subito licebit impetum facere. Hæc quum mercatores illi audiissent, ad suos referunt: adiungente ipsis Timasione Dardanensi Erymachum ciuem suum, & Thoracẽ Bœotium, qui eadem hæc eis exponerẽt. Sinopenses & Heraclienses re cognita, mittunt ad Timasionẽ, ac denuntiant: cupere se, vt ipse accepta pecunia exercitui auctor esset nauigãdi e Ponto. Ille vero libenter iis auditis, quo tempore comitia milites habebant, hac ad ipsos oratione vsus est: Non est, milites, quod de mansione cogitemus, neq; quod quidquam Gręcia potius ducamus. Nihilominus quosdam audio, re vobiscũ non cõmunicata, de hoc exta consulere. Quod si vos ab interlunio solueritis, equidẽ vobis stipendiũ menstruũ in singulos Cyzicenum vnum policeor. Ducam autem vos in Troadem,

Silani & vatis perfidia.

Vide supra librũ huius historiæ primum.

* 360

„ vnde iam exſulo: & præſto vobis erat patria mea, quę me „ lubenter excipiet. Quinetiã vobis ad ea loca ductor ero, „ vnde magnam pecuniæ vim conſequemini. Nota mi- „ hi Æolum regio eſt, nota Phrygia, Troas, vniuerſa Phar- „ nabazi præfectura: illa quidem, quod inde ſim oriundus; „ hæc vero, quod iſtic Clearcho & Dercyllida ducibus ſti- „ pendia fecerim. Ibi tum ſurgẽs ſtatim Thorax Bœotius, cui ſemper de munere prętoris cum Xenophonte fuerat contentio, habituros ait Cherroneſum, regionem fertilem & opulentam, ſi e Ponto exirent. Itaque ſi quibus ita libeat, iſtic haberi ſedes poſſe: ſin qui ab hoc conſilio ab-

Xenophon a quibuſdam oppugnatur.

361 horreant, in patriam eos poſſe pergere. Per autẽ ridiculum eſſe, barbara in regione agrum quærere, quum & amplus & vberrimus ipſa in Græcia haberi poſſit. Eo donec perueneritis, etiam ipſe Timaſionis exemplo ſtipendium vobis policeor. Hæc Thorax addebat idcirco, quod non ignoraret, quid ab Heraclienſibus & Sinopenſibus Timaſioni promiſſum eſſet, ſi permouiſſet Græcos, vt nauigiis e Ponto diſcederent. Dum hæc dicerentur, ſilebat Xenophon. Tum vero ſurgentes Achæi duo, Phileſius & Lyco, graue quiddam aiebant eſſe, Xenophontem priuatim & ſuaſorem eſſe manendi, & exta conſulere de manſione, re cum exercitu non communicata: iam publice de his nihil omnino proloqui. Quibus verbis coactus eſt Xenophon, vt ſurgeret, & hac „ oratione vteretur: Equidem, milites, quantum poſſum „ exta conſulo, quemadmodum ipſi videtis, tum veſtro, „ tum meo nomine: vt ea loquar, cogitem, gerã quæcum- „ que tam vobis, quàm mihi futura ſint maxime honeſta „ & laudabilia. Atque adeo nunc hac ipſa de cauſſa con- „ ſulebam exta, num potius eſſet, me initium loquendi & „ agendi vobiſcum de his rebus façere: an omnino nego- „ tium hoc ne quidem adtingere. Vates quidem certe Sila- „ nus reſpondebat, exta quod maximum eſt, perpulchra „ conſpici. Norat enim, me quoque hac in parte non eſſe „ rudem, qui ſemper ſacris adeſſe conſueuerim. Addebat, „ in extis ſignificari fraudem & inſidias aduerſum me. Ni- „ mirum recte iudicabat, qui ſecum per inſidias me apud „ vos criminari conſtituiſſet. Nam eum rumorem ſparſit, „ quaſi ego hæc iam facere cogitem, vobis in ſententiam

meam suadendo non perductis. Ego vero si vos inopia rerũ laborare viderem, eo cogitationes meas referrem, quo pacto confieri posset, vt a vobis vrbe aliqua capta, qui vellet, iamiam discederet: qui nollet, comparatis prius iis rebus, quibus suos etiã iuuare nonnihil posset, abiret. Nunc quando mitti vobis ab Heracliẽsibus ac Sinopensibus nauigia video, atque etiam nonnullos ab interlunio stipendium vobis policeri: bonum esse arbitror, nos simul incolumes eo peruenire, quo volumus, & mercedem etiam †itineris accipere. Quapropter non ipse solum hanc cogitationem omitto, sed ab ea desistẽdum iis etiam aio, qui me conueniebant, itaque faciundum esse dicebant. Sic enim statuo, si multi vna simus, vti nunc sumus, magno nos in honore futuros, atque etiam commeatu non carituros. Nam rerum potiri, hoc etiam habet: vt eorum, qui victi sunt, facultates ad victores transeant. Sin diuellamini, & copiæ vestræ in exiguas turmas redigantur: neq; alimenta parare poteritis, neque hinc ex animi sententia discedere. Quapropter equidem perinde ac vos, in Græciam pergendum arbitror: illatæque iniurię damnandum eum, qui vel manserit, vel suos prius deserere deprehensus fuerit, quam totus exercitus in tuto constiterit. Quisquis huius est sententiæ, manum tollat. Heic quum omnes manum sustulissent, Silanus magno cum clamore dicere conabatur, æquum esse, vt ei, qui vellet, discedendi facultas esset. Non ferebant hoc milites, atque etiam minabantur, se in eum animaduersuros, si fugam ipsum moliri deprehenderẽt. Ex eo tempore, quum Heraclienses intellexissent, decretum de nauigatione factum esse, quod suffragio suo Xenophon etiam comprobasset: nauigia quidem illi mittunt, sed de pecunia militi danda in stipendium, quam Timasioni ac Thoraci promiserant, plane spem horum fallunt. Tum vero illi, qui stipendium policiti fuerant, territi, metuere sibi ab exercitu cœperunt. Quare adsumtis hi ceteris etiam prætoribus, quibuscum ea communicata erant, quæ prius gesserant, (& erant horum in numero omnes, extra vnum Neonem Asinensem, qui tunc adhuc absentis Cherisophi legatus erat) Xenophontem adeunt, ac sui se consilij pœnitere aiunt. optimum iam sibi videri, vt

† *Sequor heic lectionem marginis.*

362

quia nauigia nō desint, Phasin nauigãdo peterēt, ac Phasianorum agrum occuparent. His id tēporis Æetæ † filius cum imperio præerat. Xenophon se de his ad exercitum relaturum negabat. Vos, inquit, si quidem ita voletis, aduocatis in concionē militibus hæc exponite. Tum Dardanensis Timasio indicata sententia sua, vocandum ad concionem militē negat: sed singulos primū adniti debere, vt suos cohortium ductores in hanc sententiam adducerent. Itaque digressi a se inuicem, quod ille suaserat, agebant. In audierant iam milites hæc agi, & Neo Xenophontem aiebat, pertractis in sententiam suam ducibus ceteris, rursum cogitare de hoc, vt milites circumuentos in Phasin duceret. Quæ quum milites intellexissent, grauiter molesteque ferebant. Denique cœtus haberi, circuli colloquentium institui, formidini omnibus esse, ne rursum id patrarent, quod in Colchorū præcones, annonæq; forensis præfectos designauerāt. Nam

† al. nepos

363 quotquot eorum in mare non confugerant, lapidibus erant obruti. Xenophon quum rem omnē animaduerteret, visum est ei quamprimum milites ad concionem vocandos esse, neque permittendum, vt sponte sua, coirent. Itaq; præconi mandat, vt eos ad concionem aduocaret. Milites, vbi præconem audiissent, cupide admodum concurrebant. Atq; heic Xenophon nulla aduersus prætores, qui eum conuenerant, accusatione instituta, in hanc sententiam loquutus est: Audio, milites, quemdam me criminari, quasi vos fraude circūuentos ad Phasin ducturus sim. Quapropter me dicentē per Deos immortales audite, ac si quidem adparebit, me iniurium esse nequaquā committendum erit, vt prius hinc discedam, quā pœnas dedero: sin illos, qui me calumniantur, iniurios esse vos ipsi cōpereritis, sic eos tractetis velim, vti merentur. Nostis, vt arbitror, qua parte sol oriatur, & vbi occidat: præterea si quis in Græciā tendat, ei versus occidentem solem pergendum esse: sin quis ad barbaros se conferre velit, huic vice versa iter ad solis ortum esse dirigendum. An ergo quisquam imponere vobis in eo possit, si solem dicat istic oriri, vbi occidit; & occidere, vbi oritur? Quin ne id quidē ignoramus, aquilonem extra Pontum in Græciam ducere, austrum intra Pha

sin

Rn. † Nam flante borea nauigationes in Græciā secundas esse dicitis. Ergone fieri possit, vt ab aliquo circumuenti nauim austro flante conscendatis? At enim vos scilicet in naues imponam, quū tranquillum a ventis mare fuerit. Nimirū, ego naui vna vehar, vos vt minimum nauibus cētum. Qui poterit ergo fieri, vt vel inuitos vos ego mecum nauigare cogam, vel ducam fraude circumuentos? Verum esto sane, decepti, & quibusdam quasi præstigiis a me dementati ad Phasin perueniatis atq; etiam in terram ipsam descendamus. Nimirū vos in Græcia non esse animaduertetis, & ego scilicet is ero, qui vos vnus hominum fere ad c ciↃↃ, qui quidem armati etiam sint, deceperit. Qui possit vnus homo in supplicij periculum certius se coniicere, quam si hoc pacto tum sibi, tum vobis consulat? Enimuero sermones hi stultorum hominum sunt, ac inuidentium mihi, quod honore me prosequamini. At non iure mihi inuident. Nam quem hominum ego impedio, quo minus vel apud vos 364
proferat, si quid, ex vsu quod sit proferre habeat: vel pro vobis ac se ipso pugnet, si ita velit: vel sollicite vestra caussa vigilet, vt vos securi sitis? Quid item quū vos magistratus legitis, ego ne cuiquam sum impedimento? Immo vero cedo alij. per me licet imperet, modo se commodum vestrum procurare declaret. Enimuero satis est mihi tantum hac in parte dixisse. Quod si quis vestrum in hoc vel seipsum esse circumuentum putat, vel alium his decipi ait, hoc ipsum exponat. Nunc, vbi de his satis actum, ne prius discedite, quam audiueritis, cuiusmodi facinus in exercitu iam cœpisse videā; quod si porro serpserit, ac euaserit eo, quo euasurum videtur: tēpus est, vt mature nobis consulamus, ne pariter & erga Deos, & homines, & fœderatos, & hostes, omnium flagitiosissimos & impurissimos nos declaremus, atq; etiam contemnamur. Quæ verba quū milites audiissent, quid illud esset, mirati: hortabantur, vt rem omnem exponeret. Tum rursus initio dicendi facto Xenophon: Scire vos arbitror, inquit, barbarorū in mōtibus oppida quędā fuisse, fœdere Cerasuntiis coniuncta, de quibus nōnulli descendebant, ac nobis vendebāt victimas, aliasq; res, quarum ipsis erat copia. Vestrū etiam nonnullos exi-

† Sequor lectionem marginis.

ſtimo in horum oppidum, quod proxime a nobis abe-
rat, profectos emiſſe quędam, ac deinde in caſtra reuer-
tiſſe. Id vero paruum eſſe, poſteaquam cohortis ductor
Clearatus animaduertiſſet, itemq; nullo præſidio mu-
nitum, quod nobis illi ſe amicos eſſe crederent: noctu
ad homines ſpe direptionis accedit, re cum nemine no-
ſtrum communicata. Et erat ipſius ea ſententia, vt ſi ce-
piſſet oppidum, numquam in caſtra rediret: ſed con-
ſcenſa naui, qua contubernales ipſius forte tum litus le-
gebant, inq; hanc ipſam rebus iis, quas cepiſſet, impoſi-
tis: extra Pontum nauigando ſe proriperet. Ac de his ita
inter ipſum & contubernales in naui cōuenerat, vti nunc
animaduerto. Quum igitur concitaſſet, quoſcumque
perſuadendo adducere poterat, ad oppidum eos duxit.
Interea dum in itinere pergit, dies ipſum anteuertit, ho-
minumq; concurſu facto, qui de locis munitis & iaculis
hos, & ictibus petebant, non Clearatus ſolum: ſed cum
eo complures ex aliis etiam occumbunt, nonnullis Ce-
raſuntē ſe recipientibus. Hæc eo geſta ſunt die, quo nos
365 huc itinere pedeſtri pergere cœpimus. Eorum vero, qui-
bus litus legendum erat, nonnulli nec dum Ceraſunte
ſoluerant, ſed adhuc iſtic hærebant. Nec multo poſt, vti
quidē Ceraſuntij narrant, ab oppido tres viri ætate gra-
ues veniunt, qui cōmunitatem hanc noſtram conuenire
vellent. Hi quum nos iſtic nō offendiſſent, aiunt ad Ce-
raſuntios, mirari ſe, quamobrē viſum nobis fuerit ipſos
inuadere. Quū Ceraſuntij reſpōdiſſent, non cōmuni ex-
ercitus conſilio facinus admiſſum eſſe: gratum hoc ſibi
eſſe dicunt, adeoq; nauigaturos huc ad nos, vt quid acci-
diſſet, nobis exponerēt, & cadauera recipere ad ſepultu-
rā iuberent eos, qui vellēt. Erant tunc adhuc Ceraſunte
Græci quidā ex eis, qui eo fuga ſe receperant. Hi quū a-
nimaduertiſſent, quo barbari tenderēt, nō ipſi ſolū auſi
ſunt lapides in eos cōiicere: ſed alios etiā, vt idem face-
rent, hortari. Quo factū, vt homines hi, tres numero, &
legati, lapidibus obruti, vitam cum morte cōmutarint.
Hoc facinore deſignato, veniunt ad nos Ceraſuntij, rēq;
omnē narrāt. Ea cognita, nos duces grauiter moleſteq;
ferre, quod accidiſſet: & quo pacto Græcorum cadauera
ſepulturæ mandari poſſent, cum Ceraſuntiis deliberare.

Quum forte hoc modo extra castra consideremus, subi-
to tumultum ingentem clamantium audimus: Cæde,
cæde, feri, feri. Nec mora, multos adcurrentes videmus,
qui partim lapides in manibus habebant, partim eos
tollebant. Heic Cerasuntij, qui facinus illud apud se de-
signatum vidissent, territi ad naues se recipiunt. Etiam
nonnulli profecto nostrum sibi metuebant. Verum ego
ad eos accessi, & quid rei esset, interrogaui. Ignorabant
hoc illorum plerique, ac nihilominus lapides manibus
tenebant. Tamdem quum in quemdam incidissem, qui
rem intelligeret: narrat is mihi, forensis annonæ præfe-
ctos grauissime exercitum adfligere. Atque heic quidã
Zelarchum annonæ præfectum ad mare se conferẽtem
conspiciens, sublata voce exclamat. Ea ceteri audita, nõ
aliter atque si siluestris aper, vel ceruus conspectus fuis-
set, in hominem pergunt. Cesaruntij, quum eos versus
se irruere viderent, quod se peti putarent, in fugã se cursu
coniiciunt, & in mare desiliunt. Idem ex nostris etiam
nonnulli factitant, omnesque adeo extinguebantur, qui
natare nescirent. Quid autem de iis existimatis? nihil
profecto aduersus nos designauerãt, saltim hoc metue-
bant, ne rabie tamquam canes correpti essemus. Hæc si 366
erunt huiusmodi, videte, qui futurus sit exercitus status.
Non omnium vestrum auctoritate vel bellum illi facere
poteritis, cui visum fuerit, vel bello finem imponere: sed
priuato consilio quisq; copias, quo volet, ducet. Quod si
legati ad nos, vel pacẽ petituri, vel quid aliud, venerint:
eos interficiendo, qui volent, impedient: quo minus o-
rationes eorum audiamus, qui ad nos contendunt. Præ-
terea magistratus a vobis vniuersis lecti nullo erunt lo-
co, sed quisquis suo se arbitratu prætorem creabit, & cui
lubebit dicere, Feri, feri, huic satis erit viriũ siue ad ma-
gistratum, seu ad gregarium militem quemlibet e vobis
indemnatum opprimendum, si non desint, qui ei pare-
ant, quemadmodum modo accidit. Enimuero cuius-
modi facinora nobis designarint hi suis ipsorum suffra-
giis lecti prætores, considerate. Zelarchus annonæ præ-
fectus, si qua re nos læsit, nullo adfectus a nobis suppli-
cio nauigio euasit: sin omnino nihil commisit, nimirum
e castris aufugit ideo, quod vereretur, ne indemnatus

» iniuste perimeretur. At qui legatos lapidibus obruerũt, » hoc effecerunt, vt vobis solis inter Græcos ceteros haud » tutum sit Cerasuntem, extra quam armata manu, veni- » re. Effecerunt & illud, vt cadauera quæ prius, vt sepelire- » mus, hortabantur illi, a quibus interfecti nostri erant: » iam ne quidem cum caduceo tutum sit tollere. Nã quis » caduceatoris fungi velit munere, qui caduceatores ipse » sustulerit e medio? Nos tamen Cerasuntios rogauimus, » vt cæsos sepulturæ mandent. Hæc an ita recte gerantur, » vestro decreto statuatur: vt quum huiusmodi facinora » sint exspectanda, quisque sibi præsidium quærat, & ope- » ram det, vt munitis & opportunis locis tabernaculum » figat. Sin autem belluarum hæc, non hominũ facta sunt: » quo pacto sedari possint, cõsiderate. Nam profecto abs- » que eo sit, quonam modo aut sacra Diis alacri animo fa- » ciemus, quum impiis facinoribus nosmet polluamus, » aut in hostem pugnabimus, si quidem mutuo nos peri- » memus: quænam vrbs amica nos excipiet, si tantam in- » ter nos scelerum licentiam videat: quis animo fidente » rerum venalium copiam nobis faciet, si maximis in re- » bus vsque adeo in oculis omnium delinquemus? Iam » quod laudem adtinet, quam inprimis consequuturos » nos existimamus, quis vos ita sese gerentes collaudaue- » rit? Nos ipsi, sat scio, designantes eiusmodi facinora, sce- » leratos adpellaremus. Heic omnes quũ adsurrexissent,

367 supplicis mulctandos auctores aiebant, & in posterum neminí permittendam eiusmodi scelerum licentiam, si quis facinoris auctor existeret, in eum capitis pœnam statuendam. Præterea constituendum a ducibus in omnes iudicium, quo etiam in ea facinora liceret anquirere, quæcumque a morte Cyri essent admissa. Iudicandi potestas cohortium ductoribus data. Visum est etiam Xenophontis hortatu suadentibus idem vatibus, lustrãdum esse exercitum. Itaque facta lustratio. Decretum item, vt prætores ratione præteriti temporis iudicio se sisterent. Quod quum fieret, damnati Philesius & Xanthicles, *quod iussi custodire pecuniam de nauigiis coactam, minas viginti suppilassent. Multatus est & Sophænetus minis x, quod suffragiis ad eas custodiendas lectus, id muneris spreuisset. Nonnulli & Xenophontem

In sceleratos auctore Xenophonte animaduertitur.

** Consule notas.*

Xenophon suorũ in-

tem accusabant, qui cæsos se ab ipso dicerent: eamque accusationem sic instituebant, vt ipsum iniuriarum arcesserent. Ibi quum surrexisset Xenophon, ante omnia dicere primum iussit, quo loco pulsatus esset. Eo loco, respondebat ille, quo in maxima niuis copia frigus nos perdebat. Enimuero, subiecit Xenophon, quum tanta esset hyemis asperitas, quantam fuisse tu fateris, quum cibus nos defecisset, quum tantū vini non adesset, quod vel odoratu posset percipi, quum multi præ magnitudine laborum animis frangerentur, quum hostis a tergo nos vrgeret: si me tali tempore insolenter gessi, vel ipsis asinis esse me petulantiorem fatebor, in quos aiunt præ petulantia lassitudinem nullam cadere. Sed tamen dic mihi, qua de caussa vapulaueris: num quid abs te tuæ rei petebam, quod quia non dabas, te pulsaui? num meum quid reposcebam? num pugnans tecum de amoribus ac deliciis tuis? num in vino tibi per ebrietatem illusi? Quum horum ille nihil diceret, rogat Xenophon, an in grauis armaturæ peditum numero esset. Negat ille. Rursum Xenophon: an ex cetratis es? inquit. Haudquaquam subiecit ille, sed ingenuus quum essem, mulum agebam, quod muneris mihi contubernales dederant. Heic Xenophon adgnito demum homine. Tune es, ait, qui hominem ægrotum vehebas? Sum is profecto, inquit. nam ad hoc tu me cogebas, vasis etiam contubernalium meorum disiectis. Ea vero disiectio, subiecit Xenophon, in hunc modum accidit. Distribui hæc impedimenta, vt alij ea veherent, ac mihi deinde vt restituerentur, iussi. Postea quum omnia salua recepissem, tibi rursum ea tradidi, quo tempore mihi tu hominem illum ostendisti. Audite vero ait, quid istuc rei fuerit. 368
Est enim operæpretium. Relinquebatur a tergo quidam, quod pergere præ debilitate non posset. Noram illum ego hactenus, quod vnus ex nostris esset. Hunc vt tu veheres, iussi: ne nobis periret. Hostes enim, quemadmodum equidem arbitror, a tergo subsequebantur. Verum id esse, miles hic aiebat. At enim, inquit Xenophon, vbi te præmisissem, & ipse cum extremo agmine deinde accederem, scrobem te fodientem offendi, vt hominem illum defoderes.

gratitudinem experitur.

Adstans tum ego te collaudabam. Verum posteaquam
adstantibus nobis ille crus inflexisset, & omnes, qui ade-
rant, exclamassent, hominem viuere, tu vero quæcumq;
liberet diceres, nolle te ipsum vehere: tum scilicet ego te
pulsaui, verum dicis. Nam mihi præ te ferre videbaris,
quasi scires eum hominem adhuc viuere. Quid ergo? re-
spondit alter, an minus mortem obiit, posteaquam o-
stensus a me tibi fuit? Atqui, subiecit Xenophon, mori-
turi omnes sumus. Num igitur propterea viuos defodi
nos oportet? Heic ab vniuersis acclamatum, hominem
hunc non satis vapulasse. Deinde iussus item alius est di-
cere, quamobrem plagas tulisset. Quum nemo surgeret,

Xenophōtis ad ingratos milites oratio.

„ Xenophon ipse loqui cœpit: Fateor equidem, milites,
„ multos me propterea, quod ordines desererent, verbe-
„ rasse: quibus in eo quidem satis fiebat, quod opera vestra
„ salui essent, quum vos & ordines seruaretis, & quoties
„ opus esset, dimicaretis: at esse meliorem volebant con-
„ dicionem suam vestra in hoc, vt ipsi desertis ordinibus
„ prædandi caussa præcurrerent. Id si factum a nobis om-
„ nibus fuisset, vniuersi periissemus. Quinetiam languen-
„ tem præ mollicie quemdam, qui neque surgere volebat,
„ & hostibus se perdendum ipsemet exponebat, non solū
„ pulsaui, sed etiam vi coegi, vt pergeret. Ipse ego quum a-
„ cerrimo illo frigore nonnullos aliquando exspectarem
„ ad iter sese parātes, posteaquam ad aliquod tempus con-
„ sedissem, difficulter me surgere animaduerti, ac vix cru-
„ ra extendere. Quapropter ex eo tempore meo periculo
„ doctus, quemcumque sedentem ac torpentem conspi-
„ cerem, impellebam. Etenim motus ipse, ac virilis animi
„ excitatio, calorem quemdam & agilitatem suppedita-
„ bat: quum ex sedendo & quiescendo viderem sanguinis
„ concretionem quamdam contrahi, cum qua coniunctū
„ esset, vt pedum digiti putrescerent, id quod multis acci-
„ disse vos ipsi nostis. Præterea quemdam alium, qui forte
369 quiescendi caussa resistebat, ac tam vos anteriores, quam
„ nos extremo in agmine, quo minus progrederemur,
„ impediebat, pugno verberaui, ne ab hostibus hasta con-
„ foderetur. Licet iam his seruatis pœnas a me reposcere,
„ si læsi a me sunt iniuste. At vero si hostium in potestatem
„ venissent, ecquid vmquam adeo graue pati potuissent,

cuius

cuius nomine pœnas a quoquam exigere licuisset? Simplici ego, milites, oratione vtor. Si quem castigaui sui ipsius commodi caussa, pœnam illam subire non recuso, quam liberi parentibus, discipuli magistris irrogare velint. Nam & Medici nonnumquam sectione, & vstione vtuntur, boni alicuius caussa. Quod si me adductum petulantia fecisse hæc existimatis, cogitate quæso cum animis vestris, nō solum iam mihi Deum beneficio fiduciam esse maiorem: sed etiam longe, quam id temporis fuerim, audentiorem me modo esse, ac multo plus vini bibere. Neque tamen idcirco quemquam pulso, quoniā vti iam nos tranquillitate quadam video. At vero quum magna tempestate procellis mare concitatur, an nō solius nutus caussa proræ magistrum iis irasci videtis, qui sunt in prora, itidemque gubernatorem suis in puppi? Nam vel minima peccata id temporis omnia simul adterere possunt. Quinetiam vos ipsi vestro tunc iudicio declarastis, iure illos a me verberatos. Nō enim cum suffragiorum calculis, sed cum armis adstabatis: omninoque vobis opem ferre læsis licuisset, si voluissetis. At enim neq; opem his profecto ferebatis, neque me in pulsandis desertoribus ordinum adiuuabatis. Quo factum est, vt ignauorum licentiam auxeritis, dum petulantiam eorum non coerceretis. Nam si rem considerare liberet, mea sententia reperiretis eosdem tunc ignauissimos fuisse, qui modo petulantissimi sunt. Contēdebat id temporis Boiscus ille Thessalus pugil, propterea quod ægrotaret, scutum sibi ferendum non esse. Nunc, vt equidem accepi, Cotyorensium non paucos spoliauit. Quāobrem si sapitis, aliter cum hoc agetis, atque canes tractari solent. Etenim canes illi sæuiores interdiu vinculis constringuntur, noctu dimittuntur. Hunc vos, si sapitis, noctu constringetis, interdiu solutum esse patiemini. Enimuero miror, inquit, meminisse vos, ac minime tacere, si quid aliquando feci, quo in odium vestrum incurrerim: at si cui contra vim frigoris opem tuli, vel hostem ab eo reieci, vel ęgrotanti, aut inopia laboranti aliquid suppeditaui: horum neminem amplius recordari. Non etiam, si quem præclare aliquid agentem collau- 370
daui, non si virum fortem pro meis facultatibus ornaui,

" meministis. Atqui & honestum est, & æquum, & pium, & " longe iucundius benefactorum, quam iniuriarum me- " minisse. Posteaquam hæc dicta essent, surgebāt omnes, & vniuersa memoria repetebant: atque hic exitus erat, vt omnia belle se haberent.

XENOPHONTIS HISTORIARVM DE CYRI EXPEDITIONE, LIB. VI.

ARGVMENTVM.

1. Corylas Paphlagonum Princeps legatos cum egregiis muneribus ad Græcos mittit, vt sine maleficio per suum agrum amice transeant. 2. Græci Legatos eius humaniter excipiunt, iisq́ue facta re sacra, satis lautū epulum præbent. 3. Post libationes factas, gratiasq́ue Dijs actas, vario saltationis, ac voluptatis genere se reficiunt. 4. Decretū a Græcis in castris cum Paphlagonum legatis factum, quo vltro, citroq́ue ab iniurijs abstinendū censuerunt. 5. Græci satis magnum nauium numerum nacti, dant se in iter, vt in patriam quique suam reuertantur. 6. Græci cur certum aliquem imperatorem sibi creandum censuerint. 7. Xenophon imperium a Græcis sibi delatum cur accipere nollet, licet id alioqui cuperet. 8. Militum erga Xenophontem studia. 9. Xenophontis imperatoris designati oratio ad milites. 10. Cherisophus Imperator creatus, Græcis imperat, vt ad nauigationem sequenti die suscipiēdam se præparent. 11. Peloponnesiorum aduersus Xenophontem, & ceteros duces conspiratio, copiarumque Græcarum diuisio, tempus, caussa, modus, ac diuisionis infelix exitus. 12. Peloponnesiorum clades. 13. Xenophon Arcadibus a quibus desertus fuerat, opem fert, ac hostes egregio strategemate fallit. 14. Portus Calpæ descriptio. 15. Decretum in seditiosos ab exercitu factum. 16. Cherisophi mors. 17. Græcorum in humandis mortuis religio. 18. Generosa

rosa Xenophontis oratio. 19. Græcorum victoria. 20. Dexippi malitia insignis. 21. Agasiæ integritas. 22. Agasias Dexippi scelera recenset. 23. Xenophon amicum Agasiam periculo liberat. 24. Græci in reliquo itinere quomodo perrexerint.



X eo tempore, dum istic hæreretur, quidam ex foro, quidam e præda, quā agebāt ex agro Paphlagonum, victum tibi comparabant. Nec minore solertia Paphlagones vicissim nostros furtim adgrediebātur hinc inde palatos, & noctu eos, qui longius ab agmine castra habebāt, infestare conabantur. Quibus ex caussis fiebat, vt hostili nonnihil erga se inuicem animo essent. Præerat id temporis Paphlagonibus cum imperio Corylas. Is legatos cum equis & vestimentis elegantibus ad Græcos mittit, qui dicerent: paratum esse Corylam nulla Græcos iniuria prouocare, modo vicissim ipse non læderetur. Respōdent duces, se de his apud exercitum deliberaturos: & interea legatos pro iure hospitij excipiunt, arcessitis etiam aliis, quos inuitari æquissimum erat. Ita facta re sacra de bubus abactis, & mactatis aliis victimis, epulum satis largum præbuere, quum in † grabatis inter cœnādum discumberent, ac poculis e cornu factis, quæ illa in regione inuenerant, vterentur. Posteaquam libatum esset, ac decantatus pæan, primi Thraces surgebant, & armati ad tibiam saltabant, inque saltando alte & agiliter se mouebant, quum gladiis etiam vterentur. Ad extremum, vnus alterum feriebat: vt nemini non cæsus vnus eorum videretur. At alter certo quodam artificio ferierat. Tollebant ad ea Paphlagones clamorem. Hinc quū victor alterum armis spoliasset, cantans † Sitalcam exibat: alij vero Thraces victum veluti mortuum efferebāt. At illi nihil mali acciderat. Deinde cum Ænianensibus Magnetes surgebant, qui saltationem eam, quā sementariam vocant, armati exhibebant. Hæc saltatio in hunc modum instituebatur. Quidam positis armis, ac boues iunctos agens, sementem facit: seque frequenter admodum conuertit, quasi sibi metuat. Deinde accedit

† Sequor lectionem marginis, ex Athenæo. Alterum stramenta significat.

Thracum saltationes.

371

† Videtur fuisse cantionis genus, cui nomen fuerit a Sitalca Thracum rege, de quo Thucyd. in II.

Saltatio semētaria

ad eum prædo, quo præuiso, arma corripit, prædoni occurrit, ante iugum dimicat. Geruntur & hęc ad tibię numeros. Tamdem prædo, postquam ligauit hominem, vna cum ipso iugum abigit. Nonnumquam iugarius prędonem superat, eumque bubus iungit, ac manibus post tergum reuinctis agit. Postea Mysus ingressus, vtraque manu peltam gestabat: ac modo quidem ita saltabat, vt exprimere gestu videretur, quasi cum duobus aduersariis pugnaret: modo cetris sic vtebatur, quasi cum vno congrederetur: modo se circumagebat, & in caput etiam præcipitem se prouoluebat, quum nihilominus cetras retineret: vt illud adeo spectatu periucundum videretur. †Quidam & Persico ritu saltabat, & cetris complosis in genua procumbens, vicissim surgebat. Atque hęc omnia faciebat ad tibiæ modos. Mantinenses quum †successissent, ac de ceteris Arcadibus etiam nonnulli surrexissent, armis quamelegantissime instructi ad numerum incedebant, præcinente tibia modum armatæ saltationi conuenientem, simulque pæane inchoato perinde saltabant, †atque Deorum in supplicationibus fieri consueuit. Quę omnia quum Paphlagones adspicerent, mirificum quiddam esse ducebant, saltationes hasce vniuersas in armis suscipi. Quare quum adtonitos esse Mysus ille videret, Arcade quodam persuaso, qui saltatriculam habebat, eam quampulcherrime poterat ornatam introducit, dato ei scuto leuiore. Saltabat illa Pyrrichā agiliter. Tum vero plausus ingens excitatus, interrogantibus Paphlagonibus, an & mulieres vna cum ipsis aleā prœlij subiissent: Responsum his, regem ab iis ipsis eiectum e castris fuisse. Hic ea nocte rerum exitus fuit. Postridie Paphlagones ad exercitum adducunt, factumque
372 decretum a militibus, vltro citroque ab iniuriis abstinendum esse. Qua re confecta, legati discedunt. Græci, quia satis magna nauium adesse copia videretur, conscensis iis, diem ac noctem vento secundo nauigāt, quū Paphlagoniam ad sinistram haberēt. Postridie Sinopen perueniunt, & in portum se receperunt ad Harmenen Sinopæ. Sinopenses Paphlagonum finibus continentur, coloni Milesiorum. Mittunt hi Græcis hospitalia munera, nimirum III CIↃ farinæ medimnos, vini CIↃ IↃ

Mysorum saltatio.

†*Lectio marginis.*

†*Lectio marginis.*

† *Atque fieri solet, quū sacri processus habentur.*

†am-

†amphoras. Hoc loco Cherisophus etiam cum triremibus aderat. Ac milites quidem bona in spe erant, futurũ, vt quum veniret, aliquid eis adferret. At ille nihil adferebat, sed renuntiabat dumtaxat, ab Anaxibio nauarcho, & ceteris, magnopere Græcos laudari: eumdemq; Anaxibium esse policitum, quamprimum egressi Pontum essent, habituros stipendium. Apud Harmenen dies v sunt commorati. Et quia propius sibi iam a Græcia viderentur abesse, magis etiam, quam prius, subiit animos cogitatio: committendum non esse, vt domum inopes redirent. Existimabant ergo, si ducem vnum crearent, rectius ei die ac noctu pariturum exercitum, quã si multi cum imperio præessent. Quod si quid esse clam oporteret, eadem ratione facilius occultatum iri: ac si quid anteuertendum esset, minus occasiones negligi. Nec enim hoc pacto requiri colloquia mutua, sed quod vnus decreuisset perfici. Superiore vero tempore duces omnia ex suffragiorum numero gessisse. Quum in his cogitationibus versarentur, ad Xenophontem se conuertebãt, quem præfecti cohortibus adeuntes, narrant hanc exercitus sententiam esse: simul eorum vnusquisque declarata sui erga ipsum animi beneuolẽtia, vt imperium acciperet, suadebat. Non nolebat hæc Xenophon, quum ipse secum existimaret, apud amicos id sibi honorem ampliorem conciliaturum, & nomẽ suum in patria clarius ex eo futurum. Etiam posse fieri, vt emolumenti aliquid ipse exercitui adferret. Huiusmodi cogitationes excitabant eum, vt ducis munus expeteret, qui vnus potestatem summam obtineret. Ecõtrario, hærebat in dubio, quum secum perpenderet, futuros euentus nemini non obscuros esse: ideoque rem periculo non carere, ne videlicet partam hactenus gloriam omnem amitteret. Quum hoc pacto, quidnam eligendum esset, dubitaret: visus est sibi rectissime facturus, si Deos consuleret. Itaq; duobus sacerdotibus adhibitis, Ioui Regi rem sacram facit, quem ex oraculo Delphico de futuris cõsulere solebat: & ab eodem Deo somnium illud esse profectum existimabat, quod oblatum id temporis ei fuerat, quo primum fuerat delectus, vt cum aliis curam exercitus gereret. Præterea quum Epheso egressus esset, vt in ami- 373

† Hoc enim est κεράμιον, secundum Dioscor. nimirum 48. sextariorum mensura.

Cõsilium exercitus de vno quodam imperatore creãdo.

citiam Cyri perueniret, recordabatur aquilam sibi dex-
tram, eamque oscinem fuisse oblatam, quæ tamen sedis-
set: quod augurium dixerat vates, qui eum comitabatur,
esse id quidem insigne, minimeque priuatum in homi-
nem cadere: sed vtut illustre esset, omnia tamen mole-
stiæ plena fore. Reliquas enim aues maxime sedentem a-
quilam adgredi. Ne lucrum quidem ex hoc augurio spe-
rari debere propterea, quod aquila circumuolitans ra-
pere alimenta consueuerit. Quum ergo Ioui sacrifica-
ret, significatum ei clarissime ab hoc ipso Deo est, non
esse, quod magistratū hunc expeteret: neque si maxime
ipsi deferretur, acceptandum esse. Atque hoc sane sic ac-
cidit. Milites quum conuenissent, omnes vnum esse de-
ligendum censuerunt. Quod vbi decretum fuisset, vni-
uersi Xenophontem designant. Quum autem palam ad-
pareret futurum, vt ipsum deligerent, si quis de concilij
sententia decretum faceret: surrexit, & in hanc senten-

Militum erga Xenophontē studia.

„ tiam loquutus est: Equidem milites, si hominē me pro-
„ fiteri volo, delectationem ex honore, quem mihi defer-
„ tis, capere debeo: proque hoc gratiam vobis habeo, ac
„ Deos precor, vt eam mihi facultatem dent, quo vobis
„ me auctore boni quid aliquando eueniat. Enimuero
„ quod me ante alios ducem creatis, quum Lacedæmo-
„ nius nobis adsit: neque ex mea, neque vestra re esse arbi-
„ tror. Nam minus ab eis impetrabitis, si quando vobis
„ illorum opus erit opera: & mihi non admodum hoc tu-
„ tum fore existimo. Video enim prius ipsos non fecisse fi-
„ nem gerēdi aduersus patriam meam belli, quam vrbem
„ nostram profiteri coegissent. Lacedæmonios ipsorum
„ etiam duces esse. Quod posteaquam nostri fassi sunt,
„ mox bello finem imposuerunt, neque deinceps amplius
„ patriam nostram oppugnarunt. Si ergo, quum hæc per-
„ spiciam, nihilominus viderer, vbicumque possem, ipso-
„ rum auctoritatem imminuere: animaduerto admodum
„ celeriter ipsos me ad modestiam reuocaturos. Quod au-
„ tem vos existimatis, minus seditionum futurū in vnius,
„ quam multorum imperio: scire vos velim, me, si alium
„ deligatis, nequaquam seditiosum fore. Arbitror enim
„ illum, qui se belli tempore contra ducem seditiose gerit,
374 aduersus suam ipsius salutem seditiosum esse. Sin me o-

omnino

omnino ducem esse voletis, mirum mihi non erit, futurum non neminem, qui non mihi solum, sed vobis etiam succenseat. Posteaquam hæc loquutus esset, multo plures surgebant, qui Xenophonti deferendum esse imperium dicerent. Et Agasias Stymphalius ridiculum aiebat esse, siquidem ita res se habeat, non tum etiam irasci Lacedæmonios: quum nonnullis, vt vna prandeant, conuenientibus, magisterium homini Lacedæmonio non defertur. Nam si hoc valebit, ne nobis quidem esse præfectis cohortium licebit, vti videtur, qui Arcades sumus. Tum vero, quod recte loquutum esse Agasiam iudicarent, plausus ingens excitatus. Et Xenophō animaduertens amplius agendum, progressus in medium ait: Vt plane rem intelligatis, milites, per Deos ac Deas omnes sancte iuro, me postea, quam voluntatem vestram perspexissem, quæsisse per exta, vobisne consultum esset, imperium hoc in me conferre, ac mihi illud ipsum accipere. Tum Dij rem omnem in extis adeo perspicue mihi significarunt, vt vel rudis extispicinæ intelligeret, ab hoc summo imperio mihi abstinendum esse. Ita demū Cherisopho magistratum mandant. Is posteaquam creatus esset, procedens in medium, ait: Scitis, milites, nullam me seditionem excitaturum fuisse, si alium creassetis. Cum Xenophonte quidem certe actum bene est, quod a vobis lectus non fuerit. Nā Dexippus eum apud Anaxibium, quantum potuit, est criminatus, quum quidem ipse inprimis os ei obstruere. Aiebat, existimare se, malle ipsum collegam habere Timasionem Dardanensem, vnum de Clearchi militibus, quam se, natione Laconem. Enimuero quum me delegeritis, adnitar & ipse, vt vobis pro meis viribus commodem. Vos ad iter sic vosmet comparate, vt cras, si tempestas idonea fuerit, soluamus. Et quia sumus Heracleam nauigaturi, dare operam debent omnes, vt eo perueniant. De ceteris, quum eo peruentum fuerit, consultabimus. Postridie vento secundo soluunt, ac biduum propter litus maris nauigant. Inter nauigandum litus Iasonium adspectant, ad quod Argo fertur adpulisse: itemque fluminum ostia primum Thermodontis, deinde Halyis, tertio Parthenij. Quem præteruecti, Heracleam perueniunt, vbi ni

Græcam, Megarensium coloniam in Maryandenorum finibus sitam. Portum propter Acherusiadem peninsulam ingressi sunt. Descēdisse hoc loco Herculem ad Cerberum canem fama est, ac descensus etiam nunc monumenta commonstrātur, loco stadiis duobus profundiore. Mittunt huc Græcis Heraclienses hospitalia munera, IIICIↃ farris medimnos, IICIↃ vini amphoras, XX boues, oues C. Labitur ibidem per campum amnis, cui nomen Lycus, latitudine duum plethrorum. Quum hoc loco milites conuenissent, de reliquo itinere consultabant, terrane potius, an mari esset exeūdum e Ponto. Tum surgens Lyco Achęus in hanc sentētiam loquutus est: Miror equidem, milites, quid caussę sit, quamobrem non dant operam duces, vt stipēdium aliquod nobis quærant. Nam ex donis hospitalibus vix trium dierū victus exercitui suppetet, nec locus vllus est, quo proficisci frumentatum possimus. Quapropter arbitror petendos nobis esse ab Heracliensibus nummos Cyzicenos haud pauciores IIICIↃ. Et alius subiecit, petendū menstruum stipendium, vt minimum CCIↃↃ Cyzicenorum. Deligendi etiam legati, qui statim nobis heic sedentibus ad vrbem mittantur, vt quid nobis renuntient intelligamus, & ad hoc cōsilia nostra accommodemus. Itaque deinde legatos designant, primum omniū Cherisophum, quod is imperator lectus esset, nonnullis Xenophontem producentibus. Illi vero vehementer repugnabant, quod eadem vterque statueret, Græcam nimirum vrbem, & amicitia coniunctam, non esse cogendā, extra quam si quid lubens donare vellet. Quare quum hi viderentur non satis alacriter rem suscepturi, Lyconem Achæum, Callimachum Parrhasium, & Agasiam Stymphalium mittunt. Illi quum Heracleam venissent, quid esset ab exercitu decretum, exponunt. Lyconem fama est, etiam minas addidisse, ni hæc facerent. Heraclienses audita illorum oratione, deliberaturos se de re tota respondent, ac mox quidquid esset rerum in agris, ad vrbem comportant, forum eodem transferunt: portis denique clausis arma in muris conspiciebantur. Ibi tum harum turbarum auctores criminari duces, quasi caussæ obfuissent. Simul & Arcades cum Achæis coire, impellen-

375 *Locus vbi Hercules ad inferos descēderit.*

lentibus inprimis eos Callimacho Parrhasio, & Achæo Lycone. Iactare illi voces, indignum esse, Peloponesiis ac Lacedæmoniis vnum quemdam Atheniensem cum imperio prçesse, qui nullis exercitum copiis auxisset. *Prçterea labores ab ipsis exhauriri, aliis emolumẽta cedere: quod eo sit indignius, quia salutis omnium auctores ipsi extitissent. Arcadibus scilicet eam, & Achæis deberi, cũ quibus comparatæ reliquæ copiæ, nullæ essent. Et constabat reuera exercitus amplius dimidia parte ex Arcadibus & Achæis. Quod si ergo saperent, coirent, ducibus lectis seorsum iter facerent, operam denique darent, vt aliquod ipsi emolumentum caperent. Hanc in sententiam facto decreto, si qui cum Cherisopho erant vel Achæi vel Arcades, eum vna cum Xenophonte deserunt: quumque coiuissent, decem ex suis duces creant. Decretum hoc quoq;, vt illi pro suffragiorum numero, quidquid visum esset, gererent. Ita tum Cherisopho summũ imperium die, ex quo mandatum ei fuerat, sexto vel septimo est abrogatum. Volebat vna cum ipsis Xenophon iter facere, quod existimaret id fore tutius, quam si seorsum quisque pergeret. Verum hortatu Neonis factum, vt iter ipse pro se institueret: quod is de Cherisopho audiuisset, præfectum Byzantij Cleandrum constituisse cũ triremibus in Calpæ portum venire. Quapropter hoc Xenophonti consilij dabat, ne quis triremium particeps esset: ipsis tantum cum militibus suis nauigantibus. Prçterea Cherisophus partim eorum, quæ acciderant, indignitate motus, partim exercitus odio, quod ex eo tempore conceperat, potestatem Xenophonti faciebat agẽdi, quod vellet. Xenophon autem, quum in eo persisteret, vt exercitu valere iusso, nauigaret: forte rem sacram Herculi Duci facit, eumque consulit, vtrum rectius facturus esset, si cum iis militibus, qui remanserant, expeditionem susciperet: an vero, si eos missos faceret. Heic per exta Deus illi significat, apud exercitum manendum esse. Quo factum, vt trifariam copiæ diuiderentur. Nam Arcades & Achæi erant supra IIII CIↃ & IↃ, omnes grauis armaturæ pedites. Cherisophus armaturæ grauis CIↃ CCCC habebat, cetratos fere IↃ CC, qui * Thraces erant, & Clearchum sequuti fuerant. Xenophon grauis

Peloponesij aduersus Xenophontem, & ceteros duces conspirant.

*376

**al. Arcades, minus recte.*

armaturæ pedites CIↃ & IↃCC habebat, cetratos CC & Idem solus ab equitatu instructus erat, qui XL plus minus equitibus constabat. Arcades, postea quam naues ab Heracliensibus impetrassent, primi nauigarunt: vt subito Bithynos adorti, quamplurima auferrent. Deinde ad portum Calpæ, qui media prope in † Thracia est, e nauibus egrediuntur. Cherisophus inde ab Heraclea, per regionem pedibus iter faciebat: & posteaquam ingressus Thraciam fuisset, propter mare pergebat, quum valetudine adflicta vteretur. Xenophon acceptis nauigiis, in Heracliensium ac Thraciæ finibus exercitum in terram exponit, ac deinde per mediterranea progreditur. Expositum hactenus est, quo pacto summū imperium Cherisopho abrogatum, & Græcorum exercitus diuisus fuerit. A partibus autem singulis hæc fuere gesta. Primum Arcades in portum Calpæ quum noctu descendissent, ad vicos proximos, stadiis plus minus L a mari, pergunt. Quum illuxisset, singuli duces in vicum aliquem eas copias, quæ ipsis obuenerant, ducunt. Quod si quis vicus esse videretur amplior, in eum binas cohortes ducebant. Conuenit & de tumulo quodam, in quem vniuersi se congregarent. Et quia repente irruerant, tum mancipia multa capta, tum oues magna copia collectæ ab ipsis sunt. Interea Thraces, quotquot elapsi fuerant fuga, se congregabant. & aufugerant multi ex ipsis Græcorum manibus propterea, quod Græci graui armatura essent onerati, Thraces tantum cetras gestarent. Posteaquam se collegissent, primum Smicretis cohortem adoriūtur, qui vnus e ducibus Arcadicis erat, ac iam multa præda grauis constitutum ad locum pergebat. Pugnabant eodem tempore Græci, & progrediebantur: donec ad torrentis alueum delati, in ipso traiiciendi conatu ab hostibus in fugam verterentur. In eo cōflictu, cum duce Smicrete, milites omnes cæsi sunt: & cuiusdam alterius ducis Hegesandri, qui ex decem ducibus & ipse vnus erat, milites omnes octo tantum cum duce saluis, pereunt. Tandem reliqui duces conuenere partim difficulter, partim nullo negotio. Thraces, posteaquam res feliciter cessisset, mutuis acclamationibus se conuocabant, & noctu magno animorum vigore colligebantur. Prima

377

† *Βιθυνίδι, siue Bithyniensi, non Europæa. Dicti posterioribus βιθρᾳκήσιοι non Θρᾷκες.*

Peloponesiorū clades.

ma luce magna equitum & cetratorum multitudo collem, in quo castra Græci habebant, cingit: cum plures semper adfluerent, ac sine periculo suo grauem armaturam adorirentur. Nam Græcis nec sagittarius quisquam aderat, nec iaculator, nec eques: at illi contra procurrebant, & equis aduecti iaculabantur: deinde quum quis aduersus eos pergebat, nullo negotio sibi fuga consulebant. Præterea Thraces diuersis ex locis Græcos adoriebantur, & Græci permulti vulnerabantur, Thracum nemo. Ita factum, vt ex eo se loco mouere Græci nullo modo possent, & a Thracibus ad extremum etiam ab aqua repellerentur. Posteaquam ad difficultatem magnam deducta res esset, de compositione fuit iniecta mentio. Heic de ceteris facile conuentum, saltim obsides nullos Thraces dabant, quos Græci postulabant. Hac enim in parte hærebatur. Atque illo tunc loco res Arcadum erant. Cherisophus autem tuto propter mare pergens, ad Calpæ portum peruenit. Xenophonte per mediterranea iter faciente, forte procurrentes equites ipsius ante copias reliquas, in* legatos, incertum quo pergentes, incidunt. Hi quum ad Xenophontem deducti essent, an alicubi alias esse copias Græcas animaduertissent, ab ipso interrogantur. Tum illi omnia, quæ acciderant, commemorant: atque etiam adhuc illas in colle obsideri, vniuersa Thracum natione locum ex omni parte cingente. Heic illi homines diligenter adseruari iussi, vt vbi opus esset, itineris duces essent. Prærerea speculatoribus decem constitutis, coactisque ad concionem militibus, hæc ad illos a Xenophonte habita est oratio: Plerique Arcadum, milites, iam interemti sunt: ceteri " quodam in colle obsidentur. Sum vero equidem in ea " sententia, si illi pereant, minime nos saluos fore: præ- " sertim quum tanta sit hostium multitudo, tantaque " confidentia. Quapropter optime nos facturos arbitror, " si eis quammaturrime opem feremus: vt si quidem ad- " huc sunt incolumes, vna cum ipsis in hostem dimice- " mus, ac non soli relicti, soli etiam prœlij al am subea- " mus. Atque hoc quidem tempore proficiscendum no- " bis erit tantisper, dum cœnandi tempus adsit, ac dein- " de metanda castra. Inter eundum Timasio cum equi- "

378

*Lectio marginis habet, in senes.

" tibus antecedat, & nos obseruet: simul ea considerans,
" quæ ante nos erunt, ne quid nos lateat. Misit & armaturæ leuis expeditos ad latera, montiumque vertices: vt si quid ex vlla parte conspicerent, sibi significarent. Addidit in mandatis, vt quidquid offenderent, quod exuri posset, ei flammas subiiceret. Nec enim fieri poterit, ait, vt hinc euadamus fuga: quum ab altera parte magnum iter habituri simus, si redeamus Heracleam: neque minus, si Chrysopolim contendamus. Ne dicam, hostes vicinos esse. Ad Calpę quidem portum, vbi nunc esse Cherisophum arbitramur, si quidem incolumis eo peruenit, via breuissima est. At enim istic neque sunt naues, quibus auehamur: & si vel vnum ibi diem hæreamus, cõmeatus nos deficiet. Taceo, quod pereũtibus iis, qui nunc obsidentur, deterius erit cum solis Cherisophi copiis belli aleam subire: quam conseruatis illis, omnes ad eumdem locum conuenire, communique studio saluti consulere. Enimuero sic comparatis animis pergendum nobis est, vt statuamus hoc tẽpore vel gloriose occumbendum esse, vel præclarissimum facinus patrandum,

Xenophon Arcadibus, a quibus desertus fuerat, opem fert.

379

" quo tot homines Græci seruentur. Atque haud scio, an
" non Deus ipse rem huc deduxerit, qui hos adroganter
" se iactantes, quasi prudentia pręcellerẽt, deprimere vult:
" nos vero, qui actionum nostrarum primordia solemus
" a Diis capere, maiori ornare gloria. Sedenim vestrum iam erit sequi, & inprimis animum adtendere: vt imperata quæ fuerint, exsequamini. Hæc loquutus, copias agere cœpit, & equites hinc inde sparsi, quousque tutum esset, incendebant vbique omnia. Cetrati quum ardua in loca euasissent, quæcumque exuri posse viderent, incendebant. Idem faciebat exercitus, si quid offenderet, quod ab iis relictum esset. Hoc modo factum, vt nõ solum ardere tota regio: sed etiam ingens quoddam agmen esse videretur. Posteaquam ita res posceret, conscẽso colle quodam, castra metabantur: quum & hostium ignes cernerent, a quibus XL circiter stadiis aberant, & ipsi quam poterant plurimos accenderent. Cœnatum quum esset, mandatum omnibus, vt quam celerrime ignes extinguerent. Deinde constitutis excubiis per noctem, quiescebant. Prima luce Deos comprecati, &

Xenophon strategemate vtitur.

structis

ſtructis ordinibus, tamquam ſi pugnaturi eſſent, ſumma celeritate pergebant. Ibi Timaſio, & equites, qui habebant apud ſe duces itineris, quum ante exercitũ pergerent: prius in collem euaſerunt, in quo Græci obſeſſi erant, quam eo ſe perueniſſe animaduerterent. Neque heic vel ſocias copias, vel hoſtiles vſquam vident, idque ipſum & Xenophonti & vniuerſo exercitui mox ſignificant: ſed aniculas tantum quaſdã, & ſeneciones, & ouiculas paucas, & boues relictos. Erat eis res primũ monſtri ſimilis, dum quid accidiſſet, mirarentur. Poſtea de relictis illis ſciſcitando cõperiunt, Thraces mox a prima nocte diſceſſiſſe, Græcos mane: quo abiiſſent, certum ſe non ſcire. Quæ quũ milites Xenophõtis audiiſſent, prãſi vaſa colligunt, & iter ingrediuntur. Cupiebãt etiã quam 380
maturrime ſe cum ſuis apud Calpæ portum coniungere. Dum pergerent, Arcadum Achæorumq; veſtigia, verſus Calpæ portum tendentia, vident. Poſteaquam vtrique conueniſſent † eodem loco, mutuo ſe cum gaudio adſpexere, ac tamquam fratres ſe inuicem amplexi ſunt. Interrogãt deinde Arcades Xenophõtis milites, quamobrem ignes extinxiſſent. Nam primum arbitrabamur, inquiunt Arcades, quum ignes nullos amplius videremus, vos noctu hoſtes adgredi ſtatuiſſe. Quod quidẽ veriti nobis hoſtes videntur, ac propterea diceſſiſſe. Nam id temporis fere abierũt. At quũ non veniretis, & tempus iam præteriiſſet: putabamus vos, audito rerum noſtrarum ſtatu, præ metu ad mare fugiſſe. Itaq; viſum fuit dandam operam, vt a vobis nõ abeſſemus. Sic nos etiam huc perreximus. Atq; hoc die tum ibidem in litore propter portum e caſtra ſunt habita. Ceterum is locus, qui Calpæ portus dicitur, ſitus eſt in Aſiatica Thracia. Huius Thraciæ initium eſt ab oſtio Ponti, & Heracleã vſq; ſe porrigit: in Pontum nauigandi ad dextram ſita Heraclea tantum abeſt a Byzantio, quantum confici triremis curſu, quæ remis agatur, die longiſſimo poteſt in medio nulla neque ſocia, neque Græca vrbs eſt: ſed ſoli Thraces ac Bithyni tractum illum incolunt. Ii quoſcumque Græcos homines ceperint, ſiue illi in litus eiecti fuerint, ſiue quo alio caſu eo venerint: crudelem in modũ tractare dicuntur. Calpæ vero portus iis, qui Heraclea vel

† Sequor lectionem marginis.

Deſcriptio portus Calpæ.

Byzantio nauigant, vtrimque in medio situs est. Locus i-
pse in mare porrigitur, cuius ea pars, quæ ad mare perti-
net, abruptus quidam scopulus est, minimum xx orgya-
rum altitudine. Ceruix loci, terram versus sita, iv plethrū
haud dubie latitudinem æquat. Spatium, quod ea cerui-
ce continetur, tam capax est: vt hominū in eo vel c c i ɔ ɔ
possint habitare. Portus sub ipso scopulo situs est, cuius
litus ad solem occidentem vergit. Est ibidem & dulcis ac
iugis aquæ fons, qui propter ipsum mare sic labitur, vt
sub huius tamen loci potestate sit. Est & lignorum cum
aliorum copia iuxta ipsum mare, tum vero illorum ma-
xima, quæ ad ædificationem nauigiorū aptissima sunt.
Mons, qui est in portu, qua versus mediterranea se ad xx
381 stadia porrigit, terrenus est, & minime saxosus: qua vero
mare respicit, vltra xx stadia multis & omnis generis ar-
boribus, eisdemque prægrandibus densus est. Reliquus
ager & amœnus est, & late patet, & multos incolisque
frequentes vicos habet. Nā solū & hordei ferax est, & tri-
tici, & omnis generis leguminū, & panici, & sesami. Nec
fici desunt, & magna vitiū est copia, quæ vini suauissimi
feraces sunt. Deniq; habet omnia, extra vnas oleas. Hu-
iusmodi ea regio erat. Milites in maris litore tabernacu-
la figunt, quod intra oppidi mœnia castra habere nol-
lent. Quinetiam factum insidiose putabant, quod eo lo-
ci venissent, quasi huc aliqui deducere coloniam cupe-
rent. Nam pars militum maxima, non adducta rerum
ad vitam necessariarum inopia, Cyro militatum iuerat:
sed audita virtute Cyri, quidam ad eum viros adduxe-
rant, qui iam prodegerant sua, quidam a patribus & ma-
tribus aufugerant, quidam deseruerant liberos suos,
quod redituros se putarent, vbi rem fecissent. audierant
enim alios quoque, qui cum Cyro essent, multa bona si-
bi adquirere. Hi quum militum animi essent, in Græciā
salui redire cupiebant. Transierat iam dies vnus, ex quo
rursum conuenerant: quum Xenophon copias eductu-
rus, rem sacram faceret. Nam ipsa flagitabat necessitas,
vt educerentur ad parandum commeatum. Etiam mor-
tuos sepelire cogitabat. Quum perlitasset, Arcades quo-
que sequuti sunt, & mortuos magna ex parte iisdem in
locis, vbi occubuerāt, sepelierunt. nam propterea, quod
ibi

ibi dies iam quinque iacuerant, tolli nullo modo poterant. nonnullos tamen e viis congestos, quam honestissime suis pro facultatibus humarūt. Iis autem, quos nusquam reperiebant, † cenotaphium ingens struxerunt, [& rogum ingentem,] impositis etiam corollis. Quibus ita confectis, ad castra reuertunt, sumtaq; cœna se quieti dant. Postridie milites vniuersi conueniunt, cogentib. eos inprimis Agasia Stymphalio, Hieronymo Eleo, ductoribus cohortiū, & aliis natu inter Arcades maximis. Factum heic decretum est, vt si quis deinceps distrahendi exercitus mentionem faceret, morte multaretur. Pręterea formam exercitus in abitu eamdem retinendam esse, quæ prius fuisset: & imperium illis restituendum, qui prius duces extitissent. Obierat iam diē suum Cherisophus, hausto medicamento, quum febri laboraret. In eius locum Asinensis Neo est surrogatus. Post hæc 382 adsurgens Xenophon: Iter nobis, milites, inquit, pedibus esse conficiundum, manifesto paret. Quippe nulla nobis sunt nauigia. Cogit autem ipsa necessitas, vt itineri nosmet accingamus. Heic enim si hæreamus, commeatus nos deficiet. Quamobrem nos quidem sacrificabimus, vos autem si vmquam alias, hoc tempore sic vosmet cōparetis necesse est, vt quibus sit in hostem pugnandum. Nam is modo animos sumsit. His dictis duces hostias mactant, quibus hariolus aderat Arexio, natione Arcas. Nam Silanus ille Ambraciota dudum iam, nauigio conducto, ex Heraclea se subduxerat. Quum exta de abitu consulerent, litatum non est. Quapropter hoc die quieuerunt. Erant, qui auderent dicere, persuasum fuisse vatem a Xenophonte, qui coloniā hoc loco deducere cuperet, vt responderet, ad discedendum exta non addixisse. Xenophon per præconem significari publice iussit, vt postridie sacrificio quicumq; vellet interesset. Quod si quis in exercitu esset hariolus, is vt simul exta cōsideraret, mandat. Ita multorum in præsentia cæsæ sunt hostiæ. Quumque rursus exta de abitu ter consulerent, litatū non est. Ea res vehemēter milites perturbare, quod iam cōmeatus ille, quē secum adtulerat, defecisset: forum autem rerum venalium nusquā haberent. Quum iterum conuenissent, Xenophon eos in hāc

† hoc est, sepulchrū vacuum, siue tumulū honorariū. vti Tranquillus adpellat.

Decretum exercitus in seditiosos.

Cherisophi ducis mors.

ſententiam compellauit: Necdum auſpicata nobis, milites, vti ſane videtis ipſi, ad iter exta ſunt: & commeatu vos egere video. Quapropter hac ipſa de re nos amplius conſulere Deos neceſſe eſt. Et quidam adſurgens: Nihil mirum, ait, non poſſe nos perlitare. Nam vt ego de quodã audiui, qui heri fortuito nauigio huc adpulit, Cleander Byzantij præfectus cum nauigiis ac triremibus venturus eſt. Itaque viſum quidem eſt vniuerſis, exſpectandum eſſe: neceſſario tamen parandi commeatus cauſſa erat exeundum. Ea de cauſa rurſum ter cæſis hoſtiis, nũquam tamen litatum fuit. Et iam milites, ad Xenophontis tabernaculum quum acceſſiſſent, commeatum deeſſe ſibi aiebant. Reſpondebat ille, non eductum ſe militem, niſi litatum eſſet. Poſtridie rurſus ſacrum faciunt, prope vniuerſa militum corona circumſtãte. Erat enim res omnibus mirifice cordi. Iam hoſtiæ ipſis nullæ amplius erant reliquæ, quum duces non illi quidem educerent militem, ſed tamen in cõcionem aduocarent. Qua-
383 re Xenophon ad eos: Fortaſſis, ait, collecti iam ſunt hoſtes, ac nobis neceſſario dimicandum aduerſus eos erit. Si ergo relictis ſarcinis in hoc loco munito, tamquam ad pugnam inſtructi progrediemur: fortaſſe magis exta votis noſtris reſpõderint. Hoc quum milites audiſſent, reclamabant: nihil eſſe, quamobrem in eum locum duceret: ſaltim quam maturrime ſacrificium repetendum eſſe. Nullæ iam reliquæ pecudes erant. itaque boues de plauſtris emti, mactatique ſunt. Orabat Cleanorem Arcadem Xenophon, alacriter ſe pararet, ſi quid hæc exta policerentur. Verum ne illa quidem addicebant. Tum Neo, qui Cheriſophi loco dux erat, quum miſere premi homines inopia videret, gratificari eis cupiebat. Itaque quum Heracleenſem quemdam reperiſſet, qui ſe diceret vicos noſſe non procul diſſitos, de quibus peti commeatus poſſet: proclamari per præconem iubet, vt quicumque vellet, cõmeatus parandi cauſſa ſecũ exiret, qui ducis heic munere fungi non recuſaret. Ibi plus minus hominum ΙΙCΙↃ cum haſtis, vtribus, reticulis, vaſis ceteris cum eo pergunt. Ad vicos vbi perueniſſent, ac iam hinc inde quærendi commeatus cauſſa ſe ſpargerent: primi eos Pharnabazi equites inuadunt. Nam illi

Bithynis

Bithynis opem laturi aduenerant, & eorumdē vicissim adiuti copiis, si possent, auertere volebant Græcos, ne Phrygiam ingrederentur. Trucidant hi equites ex Græcis non pauciores Iↄ, ceteri quemdā in montem se fuga recipiunt. Eorum, qui fuga euaserāt, aliquis rem, vti gesta erat, in castra renuntiat. Ibi Xenophon, quia perlitatū eo die non fuerat de plaustro bouem sumit, quod alię non superessent hostiæ; eoq; mactato ad opē suis ferendum properat, facientibus idem ceteris omnibus, qui † trigesimum annum nō excessissent. Ita quum eos, qui ex clade reliqui erant, recepissent: sole iam prope occidente in castra reuertūtur, magnoq; cum animi mœrore corpora curant. At Bithynorum nonnulli, quū repente per loca siluis densa in primas excubias irruissent; partim milites occidunt, partim ad ipsa vsque castra persequuntur. Tum vero clamore excitato, ad arma Græci omnes adcurrunt: & hostem quidem persequi, noctuque castra mouere, tutum non esse putabant, quod ea loca densa siluis essent: in armis tamen, pernoctarunt, constitutis excubiis, quæ ad dimicādum cum hoste 384 satis essent validæ. Ita tum ea nox est exacta. Quum illuxisset, exercitum prætores ad locum munitum ducunt, quos iam milites sumtis & armis & vasis sequebantur. Antequam prandij tempus adpeteret, aditum loci fossa præcludunt: omniaque, tribus tantum portis relictis, obuallant. Tunc & Heraclea nauis adpulit, quæ farinā, hostias, vinum vehebat. Xenophon mane surgens de discedendo exta consulebat, ac statim hostię primæ exta pulchra erant. Quumq; sacra iam peracta essent, Arexio † Parrhasius hariolus aquilam auspicatam conspicit, & Xenophontē copias ducere iubet. Ita tunc fossam transeunt, & in armis consistunt, ac proclamare præcones iubent, exeundum esse militibus armatis, vt primum corpora curassent: turbam vero imbellem, cum mancipiis, ibidem esse relinquendam. Exibant igitur vniuersi, Neone solo excepto. Nam rectissime se facturos existimabant, si hunc eorum custodē, qui manebāt in castris, relinquerent. Quū autē ij se viderent a cohortiū ductoribus, aliisque militibus relinqui: quod sibi putarēt dedecori fore, si ceteris exeuntibus, nō & ipsi sequerentur:

† *Rectius quinquagesimum: Consule Notas.*

al. Parnasius

tantum eos in castris relinquũt, qui XLV annos excessissent. Ita his remanentibus reliqui omnes iter ingressi sunt. Vix XV stadia processerant, quum cæsorum corpora inueniunt. Itaque cornu facto, caudam eius ad cadauera primum oblata dirigũt: & omnia, quæ cornu complecti poterant, sepeliunt. Posteaquam primos illos terræ mandassent, acie promota, rursumq; constituta eius cauda iuxta primos eorum, qui sepulti nec dum erant: eodem modo, quoscumque complecti intra aciem poterant, humabant. Posteaquam ad viam peruenissent, qua ex vicis iter erat, quo loco aceruatim cadauera iacebant: omnia in vnum cõportat: sepulturæ mãdant: Præterierat iam meridies, quum promotis copiis, extra vicos commeatũ, quemcumq; quis cerneret, † intra phalangem reciperent. Tum vero subito vidẽt hostes sublimibus in locis ad colles quosdã ... multos tum equites, tum pedites, ex aduerso in phalangem dispositos. Nam Spithridates & Rathines cum copiis a Pharnabazo missis aduentabant. Posteaquam Græcos illi conspexissent, interuallo stadiorum XV ab eis substitere. Tum vero statim Græcorum vates Arexio victimas cædit, ac primæ

Græcorũ in humandis mortuis religio.

† Lectio marginis.

385 mox hostiæ perpulchra fuerunt exta. Et Xenophon: Equidem, duces, ita statuo, inquit, cohortes subsidiarias a tergo phalangis collocandas; vt (si poscat vsus) sint, qui phalangi auxilium ferre possint: & vt hostes, ordinibus suis turbatis, in aciem horum instructam & integrã incidant. Id consilium ab omnibus est comprobatum. Et ille: Vos igitur, ait, in hostẽ aduersum præcedite, ne posteaquam & conspecti sumus, & hostẽ vidimus, subsistamus. Ego cohortibus extremis arbitratu vestro constitutis, adero. Post hæc illi copias modice promouebant, Xenophon postremos tres ordines a reliquis abduxit: qui constabant singuli CC militibus. Horum vnum ad dextram subsequi fere plethri interuallo iussit. Præerat ei Samolas Achæus. Alteri locus medius adsignatus, quo phalangem sequeretur, Arcade Pyria duce. Tertius reliquus, cui Phrasias Atheniensis præerat, ad sinistram sequi iussus fuit. Procedentibus copiis, quum ad ingentem transituque difficilem saltum primi peruenissent, constiterunt. Ignorabant enim, an transiri posset: ideoque

Animosa Xenophōtis oratio.

queduces & cohortium præfectos hortabantur, vt ad aciem primam se conferrent. Xenophon admiratus, quid illud esset, a quo retinerentur: celeriter eorum cohortationem audiens quamprimum ad ipsos aduolat. Quum conuenissent, Sophænetus inter duces natu maximus operæpretium negat esse, saltum eiusmodi peragrari. Eius sermone festinanter excepto Xenophon: Ego vero, inquit, scire vos arbitror milites, me prudentem scientemq; nullius vobis vmquam periculi auctorem exstitisse. Nec enim ad fortitudinem gloria vobis opus esse video, sed incolumitate. Iam vero nostræ res eo loco sunt, vt hinc sine prœlio discedi non possit. Nam nisi nos in hostem pergamus, sequetur ille nobis abscedentibus, & in nos irruet. Vos nunc considerate, potius ne sit, nos aduersos arma hostibus inferre, an vero aduersos spectare, dum illi a tergo nos inuadāt. Hoc quidem certe scire vos volo, recedere ab hostibus honestum videri non posse: at eosdem insequi, ignauioribus etiam animos addit. Equidem malim hostes dimidiis cum copiis insequi, quam cum duplo maioribus cedere. Nec ignoro, minime vos vereri, vt nostram illi impressionē sustineant, si quidem nos adgregiemur ipsos. At vero si nos recedamus, nemini vestrum esse dubium 386 potest, quin ausuri sint illi nos persequi. Vt autem ij, qui pugnaturi sunt, saltum impeditum a tergo relinquant, an non etiam vltro sit accipiendum? Velim equidem hostibus ad discedendum omnia peragratu facilia videri: nos ex hoc ipso loco id capere admonitionis oportet, neminem, nisi vincat, incolumē ex nobis esse posse. Mirari sane subit posse aliquem putare, saltum hunc formidabiliorem esse locis aliis, quæ peragrauimus. Nam qui fieri poterit, vt locus hic nobis non transitu sit difficilis, si equites non vincamus? qui transiri montes poterunt, quos iam superauimus, si tot cetrati a tergo nos vrgeant? Quod si maxime salui ad mare perueniamus, quātus quæso saltus ipsum pelagus Ponticū erit? nec ibi nauigia sunt, quibus auehamur: nec frumentū, quo alamur, si hærendū istic erit: & si celeriter eo peruenerimus, mox rursum ad parandum cōmeatum exeundum erit. Quamobrem melius est, nos modo pransos dimicare,

» quam cras ieiunos. Sunt, milites, exta nobis egregia, sunt
» auguria felicia, & perlitatum est pulcherrime. Pergamus
» aduersus hostes. Ne faciamus eis potestatem, posteaquã
» nos conspexere, iucunde cœnandi: vel quo velint loco,
» pernoctandi. Hæc quum dixisset, hortati sunt præfecti
cohortium, vt ducendo præcederet. Nam aduersabatur
nemo. Itaque ducebat Xenophon, quum denuntiasset,
vt quam ad partem saltus forte quilibet esset, illac transiret.
Nam celerius ei videbantur per aduersum saltum
hoc pacto cateruatim euasuræ copiæ, quam si ad pontẽ,
qui erat in saltu, longum velut in filum exporrigerẽtur.
Quum iam transiissent, phalangem prętergrediens: Re-
» uocate vobis, inquit, in memoriam, milites, in quot pu-
» gnis aduersus hostes comminus pugnatis Deum ope vi-
» ceritis, & cuiusmodi accidant illis, qui hostem fugiunt.
» Cogitate, vos iam ad Græciæ portas esse. Sequimini du-
» cem Herculem, ac vos mutuo nominatim excitate. Iu-
» cundum certe est, nunc aliquem fortiter ac præclare ali-
» quid & dicentem, & gerentem, apud quos velit, memo-
» riam sui excitare. Hæc quum dixisset Xenophon, simul
» & phalangi dux erat, & peltatis vtrimque dispositis, in
hostẽ pergebat. Mandarat etiam, vt hastas humeris dextris
gestarent, donec tuba signum dedisset. Tum vero
demissis eis ad feriendum hostem pedetentim sequerẽtur,
neq; quemquam cursu insequi hostem debere. Post
hæc tessera per exercitum didita, Iupiter Seruator, Dux
387 Hercules. Hostes, quod opportuno se loco esse crederẽt,
perstabant. At quum iam propius ventum esset, qui ex
Græcis cetrati erant, clamore bellico sublato, prius in
hostem cursu ferebantur, quam quisquam iuberet. e cõ-
trario tum equites hostium, tum Bithynorum globus,
in hos tendebant, eosque terga cogebant dare. Verum v-
bi grauis armaturæ peditum phalanx celeriter pergens
in subsidium venit, simulque tuba clangente, pęanem hi
exordirentur, & vlulatum martium tollerent, & hastas
pariter demitterent: tum vero non amplius hostes impe-
tum sustinere: sed totos se fugæ dare. Sequebatur eos Ti-
masio cum equitibus, qui sane pro sua paucitate, quot-
Græcorũ cumque poterant, occidebant. Ita sinistrum quidem ho-
Victoria. stium cornu, cui Græci equites oppositi fuerant, statim
est

eſt diſſipatum. At enim quia dextrũ non admodũ a perſequentib. premeretur, in colle quodã rurſus coiit. Quos Græci quum cõſiſtere viderent, nihil facilius, neque minus periculoſum eſſe putabant, quam ſi eos inuaderent. Quare pæanem canentes recta pergebant, quumque illi non reſiſterent, cetrati eos perſequebãtur, donec dextrum etiam cornu diſſiparetur. Interfecti pauci admodum, quod equeſtres hoſtium copiæ multę numero formidini noſtris eſſent. At quum Græci viderent etiam Pharnabazi equitatum necdum diſſipatum eſſe, ac Bithynos equites ad eos ſeſe adgregare, deque colle quodã quidquid accideret, ſpectare: quamquam labore defatigati eſſent, tamen in hos etiam pergere ſtatuunt, quacumque ratione poſſent, ne ſumta fiducia reſpirarent. Itaque quum inſtructi in eos tenderent, equitatus hoſtium nõ aliter per decliuia fugere, atque ſi equites perſequerentur. Nam ſaltus eos excipiebat, quod Græci ignorabant, iam ante facta conuerſione a perſequendo deſiſtentes: quod aduesperaſceret. Quumque illum ad locum rediiſſent, vbi primum conflixerant: erecto tropæo, ſole iam occidente ad mare reuertuntur. Abfuerãt enim a caſtris plus minus LX ſtadiis. Poſt eam pugnam hoſtes ſuis rebus prouidebant, ac domeſticos, & facultates ſuas, quo poterant, longiſſime abducebant. At Græci, dum Cleandrum, & triremes, ac naues exſpectarent, quæ venturæ dicebantur: cottidie cum iumentis & mãcipiis exeuntes, nullo cum metu triticum, hordeum, vinum, legumina, panicum, ficos congerebant. Nam re- 388
gio hęc omnium ferax erat, extra quam olei. Quod ſi totus exercitus quieſcẽdi cauſſa in caſtris commoraretur, prædatum licebat aliquibus exire, neque deerat exeuntibus, quod acciperent. At vero quum vniuerſæ copiæ egrediebantur, tum ſi quis aliquo ſecedens nonnihil cõquireret: id publicum eſſe debere, decreto ſanxerũt. Iam magna rerum omnium copia inſtructi erant. Nam & commeatus vndique de Græcis vrbibus aduehebantur, & qui nauigiis præterlegerent, libenter adpellebant. Inaudierant enim oppidum iſtic exſtrui, neque portum ei loco deeſſe. Etiam hoſtes denique proximi ad Xenophontem mittunt, quem oppidum eo loco condere au-

dicebant, & p[illegible] legatos interrogant, quid ſibi faciũdum
eſſet, vt in amicitiam reciperẽtur. Eos quum Xenophon
militibus oſtenderet. Cleander cum duabus quidem
triremibus venit, ſed nauigio nullo. Forte id temporis,
quo adpulit, exercitus aberat: & ſeorſum nonnulli præ-
datum iuerant in montem, qui multas pecudes cepe-
rant. Et quia verebantur, ne ipſis adimerentur: Dexippo
rẽ exponunt, illi vero, qui Trapezunte cum L remorum
naui aufugerat: eumque iubent conſeruati pecoris par-
Dexippi malitia insignis. tem retinere, partẽ ipſis reſtituere. Mox ille milites abi-
git, qui circumſtabant, & oues has publicas eſſe dice-
bant. Quumque recta pergeret ad Cleandrum, ait mi-
lites hos ſibi pecudes eripere velle. Cleander eum, qui
hoc moliretur, duci ad ſe iubet. Itaque captum quem-
dam ducit, quem ei forte tum interueniens Agaſias eri-
pit: quod is, qui ducebatur, vnus eſſet ex ipſius cohorte.
Heic milites ceteri, qui aderant, iacere lapides in Dexip-
** Lectio marginis.* pum cœperũt; & * obruendum lapidibus eſſe prodito-
rem hunc, clamabant. Tunc & remiges pleriquè metu
correpti ad mare fugere, & Cleander ipſe fuga ſibi con-
ſulere. Xenophon autem cum ducibus ceteris militem
cõpeſcebat; & Cleandrum monebat, nihil eſſe periculi:
ſaltim decretum exercitus in cauſſa eſſe, cur hæc accidiſ-
ſent. At Cleander partim inceſus a Dexippo, partim in-
dignatus, quod trepidaſſet: diſceſſurũ ſe cum nauibus
ait, ac per præcones denuntiaturum: ne qua vrbs eos, vt
qui hoſtes eſſent, exciperet. Et imperabant id temporis
Lacedæmonij Græcis omnibus. Quare viſa eſt Græcis
militibus ea res fore pernicioſa, Cleandrumq; rogabãt,
399 ne id faceret. At is nequaquam aliter futurũ aiebat, ex-
traquã ſi & is, qui primus lapides iecisſet, & qui militem
eripuiſſet, dederentur. Erat is, quem quærebat, Agaſias,
Xenophonti perpetuus amicus; eaq; cauſſa fuit, cur il-
lum Dexippus criminatus eſſet. Quum tam difficilis re-
rum ſtatus eſſet, duces ad concionem exercitum vocant:
Nonnulli eorum non magni Cleandrum faciebant, Xe-
nophon rem minime contemnendam aiebat eſſe, &
» adſurgens, hanc orationem habuit. Equidem, milites,
» rem non nullius eſſe momenti arbitror, Cleandrum
» erga nos adfectum ita, vti ſe declarat, diſcedere. Nam

Græcæ

Græcæ iam nobis vrbes proximæ sunt, & Lacedæmonij Græciæ præsunt. Illorum ea potentia est, vt quiuis Lacedæmonius in Græci nominis vrbibus id, quod cupit, efficere possit. Quare si nos primum Byzantio Cleander excludet, ac deinde præfectis ceteris denuntiabit, ne nos in vrbes admittant, *quasi qui contumaces aduersus Lacedæmonios, & improbi simus: etiam ad Anaxibium nauarchum hęc de nobis fama permanabit, quo fiet, vt difficulter & heic mãsuri, & hinc nauigiis discessuri simus. Quippe tam terra Lacedæmonij, quam mari hoc tempore imperant. Quapropter vnius & alterius hominis caussa nos reliquos excludi Græcia minime æquum est, sed parendum ipsis erit, quidquid tamdem iusserint. Nã & vrbes illæ, in quibus nati sumus, ipsis dicto sunt audientes. Ego quidem, qui dicere Cleandro Dexippum audio, non ausurum hæc fuisse Agasiam, nisi meo iussu: & vos & Agasiam hac culpa libero, si me Agasias ipse fatebitur horum auctorem esse: adeoque memet condemno, si vel lapidationi, vel alteri violẽto facinori princeps ipse caussam præbeo, vt tamquam extremi supplicij reus pœnis subiiciar. Itidem sentio debere & alium quemuis, in quem Cleander culpam confert, ei se iudicio sistere. Nam ea ratione vos omni culpa liberabimini. Sane qui nunc rerum status est, graue profecto, si ne quidem reliquis pares erimus, Græcis ciuitatibus exclusi: quum ipsi existimemus in Græcia nos & laudem & honorem consequuturos. Post hæc Agasias quum surrexisset, inquit: Deos ego, milites, ac Deas sancte testor, neque Xenophontem mihi mandasse, vt hominem illum eriperem, neque quemquam alium ex vobis: sed quum virum fortem ex cohorte mea duci a Dexippo viderem, a quo vos desertos esse scitis, grauis ea res mihi visa est. Itaque hominem eripui, fateor. Nec tamen vos me Cleandro dedatis, necesse est: ego me ipsum, vt Xenophon faciundum censet, Cleandro tradam, vt mecum pro arbitratu suo agat. Non est, quod vos hac de caussa bellum cum Lacedæmoniis geratis: sed potius incolumes eo velim perueniatis, quo quisque cupit. Nihilominus quosdam ex vobis ipsis deligite, quos mecum ad Cleandrum mittatis: vt si quid ego prætermisero, meo nomine tũ dicãt.

*al. quasi qui a Lacedæmoniis defecerimus.

Agasiæ integritas. 390

tum agāt. Heic permiſſum ei ab exercitu, deligeret, quos
vellet, eoſq; ſecum ſumeret. Agaſias duces deligit. Qua-
re cum ducibus, & eo milite, quem Dexippo eripuerat,
ad Cleandrum pergit Agaſias: ad quem vbi perueniſſent,
duces eum in hanc ſententiam compellarunt. Exercitus,
Cleander nos ad te miſit, teque vult, ſi quidem omnes
in culpa eſſe arbitreris, iudicio facto, pro arbitratu tuo
in ſontes animaduertere: ſin vel in vnum aliquem, vel
duos, vel plures culpam conferas: æquum cenſent, vt ipſi
ſemet tibi iudicio ſiſtant. Quare ſi quid eſt, in quo no-
ſtrum quemquā accuſes, adſumus tibi: ſin eſt alius quiſ-
piam, eum nobis edito. Quippe nemo erit, quem non ti-
bi tradituri ſimus, modo nobis parere voluerit. Tum
progreſſus in medium Agaſias ait: Ego ſum, Cleander,
qui hunc hominem abducenti Dexippo eripui, & qui
feriri Dexippum iuſſi. Etenim hunc ego virum fortem
eſſe noram, Dexippum autem ſciebam ab exercitu le-
ctum fuiſſe, qui actuariæ naui remigum L, quam a Tra-
pezuntiis petiueramus, ea de cauſſa præeſſet: vt nauigia
cogeret, quibus incolumes aueheremur. Eumdem aufu-
giſſe ſciebam, atque eos milites prodidiſſe, quibus cum
ſaluus eo peruenerat. Ita & a nobis Trapezuntij L remi-
gum naue ſpoliati ſunt, & improbi propter hunc eſſe vi-
ſi ſumus: per ipſum denique non ſtetit, quo minus iam
periiſſemus omnes. Nam æque ac nos audierat, nō poſ-
ſe, ſi pedeſtri itinere diſcederemus, traiici a nobis flu-
uios, ac nos ſaluos in Græciam peruenire. Huic ergo ta-
lem hominem eripui. Ac ſi tu eum abduxiſſes, vel tuo-
rum quiſpiam, non eorum, qui a nobis aufugerunt: ſci-
to, me numquam id facturum fuiſſe. Quod ſi me iam in-
terficies, velim exiſtimes te virum fortem in gratiam i-
391 gnaui, & improbi hominis occidere. Hæc quum Clean-
der audiiſſet, non laudare ſe Dexippum ait, qui hæc de-
ſignauerit: neque tamen exiſtimare ſe * vi agendum
cum Dexippo fuiſſe, tametſi nequiſſimus eſſet: ſed fuiſ-
ſe poſtulandum, vt in iudicium arceſſitus, quemadmo-
dum vobiſcum modo agitur, ſupplicio multaretur. Vos
quidem modo diſcedite, hoc homine relicto: & ad iu-
dicium, quum ego denuntiauero, præſto eſtote. Neque
iam amplius, quod vel de exercitu, vel quoquam alio
querar,

Agaſias Dexippi ſcelera cōmemorat.

**Vide Notas.*

querar, habeo: quando hic ipſe fatetur, ſe hominem eripuiſſe. Tum is, qui ereptus fuerat, inquit: Tametſi tu me, †Cleander, iniuſte quid deſignantem abductum fuiſſe putas: ego tamen neque percuſſi quemquam, neque lapidibus petij. Tantum oues illas eſſe publicas dixi. Nam decreto ſancitum a militibus fuerat, vt ſi quis exeuntib. vniuerſis copiis ſeorſum prædam egiſſet: quidquid nanctus eſſet, publicum faceret. Hæc mea fuere verba, ſtatimque Dexippus me prehenſum abduxit, ne quis de ipſo quid enuntiaret, adeoque vt contra edictum iis, qui eam ceperant, prædam conſeruaret, cuius ipſi pars ceſſiſſet. Ad ea Cleander: Quãdo, inquit, †talis es: heic maneto, vt de te quoque deliberemus. Poſthæc Cleander cum ſuis cibum capit: Xenophon autem, vocato ad concionem milite, ſuadere ſe dixit: vt quidam ad Cleandrũ mittantur, qui pro iis, qui dediti eſſent, intercederent. Factum decretum, vt ablegatis prætoribus, cohortium præfectis, Dracontio Spartano, aliis, qui viderentur idonei. Cleander omni ſtudio rogaretur, quo vtrumque dimitteret. Quum ad Cleandrum ventum eſſet, hanc Xenophon orationem habuit: Habes, Cleãder, in poteſtate tua, quos volebas: adeoque permiſit exercitus tibi, vt pro lubitu tuo non de his ſolum, ſed etiam de ipſis vniuerſis ſtatueres. Nunc abs te petunt, teque rogant, vt eis vtrumque cõdones: neve homines hos interficias. Nam ſuperiori tempore multos pro exercitu labores exanclarunt. Hæc abs te ſi impetrent, viciſſim policentur, ſi dux ipſorum eſſe velis, ac Dij propitij fuerint: declaraturos ſe tibi, quam modeſti ſint, quamque periti parendi ſuo imperatori, nullos adeo Diis freti hoſtes metuant. Hoc etiam petunt, vt accepto imperio ad ipſos venias, & tam de Dexippo, quam ipſis, & aliis periculum facias, quam ipſorum quilibet ſuum cuique tribuere honorem poſſit. Quum hæc audiiſſet Cleander: Ego vero per Deos immortales, inquit, ſine mora vobis reſpondebo: me & 392
condonare vobis hos, & ipſum, iam adfuturum. Quod ſi etiam Dij conceſſerint, Dux vobis in Græciam ero. Longe quidem certe contraria illis eſt hæc oratio, quæ de nonnullis veſtrum a quibuſdam accepi, qui vos exercitum a Lacedæmoniis aiebant ad defectionem impelle-

†Vide Annot. noſtras.

† Lectio marginis.

Xenophon amicum Agaſiam periculo liberat.

re. Eius oratione collaudata duces, & vtroque recepto, discesserunt. At Cleãder exta de itinere consulens, amãter Xenophontis consuetudine vtebatur, estque inter eos hospitij necessitudo contracta. Quum vero milites etiam videret composite imperata facere, magis etiam dux ipsorum fieri cupiebat. Verum vbi triduo toto facta re sacra, perlitatum non esset, aduocatis ad se ducibus: De copiis educendis, ait, exta consequi ex voto nõ possum. Ea tamen res vobis molesta ne sit. Nam vobis, vti res ipsa declarat, hoc concessum est, vt hasce copias hinc exportetis. Quapropter pergite. Nam nos quidem certe, posteaquam in Græciam perueneritis, quam honestissime vos pro virili nostra excipiemus. Tum milites ei publicas oues donãdas esse censuerunt. Eas quum accepisset, rursus illis donauit, atque inde soluit. Ac milites frumento, aliisque rebus, quas congesserant, diuiso: per Bithynos proficisci cœperunt. Quum autem recta incedentes via, nihil vsquam offenderent: visum est vnius diei ac noctis itinere in Bithyniam reuerti, vt aliqua cum præda in amicorum fines transirent. Id quum fecissent, amplam & mancipiorum & ouium copiam nacti sunt. Itaque sexto die Chrysopolin, quod Chalcedoniæ oppidum est, peruenerunt: vbi dies septem commorati, prædam vendidere.

XENOPHONTIS HISTORIARVM DE CYRI EXPEDITIONE, LIB. VII.

ARGVMENTVM.

1. Pharnabazi, & Anaxibij perfidia. 2. Anaxibius milites dolo circumuenire conatur. 3. Xenophontis apud milites auctoritas, qua seditionem Byzantij ortam ob Anaxibij perfidiam, compescit. 4. Cyratadæ vanitas, ac ambitio. 5. Ducum Græcorum dissensio. 6. Cleandri huma-

humanitas. 7. Pharnabazus sua perfidia, perfidiam Anaxibij erga Græcos vlciscitur. 8. Xenophon ad exercitum redit. 9. Eius conatus ab Aristarcho impeditur. 10. Insidias sibi structas vitat. 11. Ad Seuthen Thracum Regem quando, cur, quibus condicionibus profectus. 12. Xenophontis, & Seuthæ colloquium. 13. Pacta conuenta inter Seuthen, & Græcos. 14. Græci ad Seuthen se conferunt. 15. Decretum Græcorum de belli societate cum Seuthe ineunda. 16. Heraclides Maronensis a Græcis, alijsq; qui ad Seuthen venerant, munera Seuthæ impetrat. 17. Quidam de Græcis nares, aurésq; propter ingentem frigoris vim amittunt. 18. Seuthes Græcorum opera Thraces contumaces in suam potestatem quomodo redegerit. 19. Xenophontis periculum. 20. Seuthes Xenophontis expectationem fallit. 21. Heraclides contra Xenophontem omnia molitur. 22. Quorumdam Græcorum militum erga Xenophontem animus ingratus. 23. Xenophon quomodo se militibus purgarit, & calumniatorũ criminationes refutarit. 24. Idem Seuthe persuadet, vt debitum Græcis militibus stipendium numeret.



VAECVMQVE a Græcis in expeditione, quam adscendentes in Asiam cum Cyro susceperunt, ad pugnam vsque gesta fuerint: & quæ post Cyri obitum in itinere, donec in Pontum peruenirent: quæque deinde, quum vel itinere pedestri de Ponto egrederentur, vel mari veherẽtur, egerint: donec extra Ponti ostium, ad oppidum Asiæ Chrysopolin accesserunt: ea sunt a nobis vniuersa superiore cõmẽtario exposita. Post hæc Pharnabazus, qui metueret, ne Græcæ copiæ ditionem suam bello peterent, ad Anaxibium nauarchum mittit, qui tum forte Byzantij erat, eum que rogat, vti copias ex Asia transportet: simul omnia facturum se policetur, quæ fieri velit. Tum Anaxibius arcessitis ad se Byzantium prætoribus, & cohortiũ præfectis, stipendium militi, si traiecissent, policetur. Ibi quum alij re deliberata se responsuros dicerent, Xenophon ab exercitu se iam discessurum, & cum naui soluturum respondit. Anaxibius ad ea, debere cum exercitu 393

Pharnabazi & Anaxibij perfidia.

ipſum traiicere inquit, ac deinde ab eo diſcedere. Facturum id ſe recepit. Eodem tempore Seuthes Trax, ablegato ad Xenophontem † Medoſade hortatur, vt traiectionem copiarum lubens adiuuet: qua in re ſi promte atque alacriter operam ſibi nauaſſet, facturum Seuthen, vt eius conſilij numquam ipſum pœniteret. Reſpondet Xenophon, omnino traiecturum exercitum, nec eius rei cauſſa quidquam vel mihi, ait, vel alij cuiquam Seuthes pendat, neceſſe eſt. Verum quamprimum traiecerit, equidem diſcedam: poteritque Seuthes cum iis, qui apud exercitum manebunt, & ipſius rebus erunt idonei, ſic agere: vt ipſi viſum fuerit. Inde milites vniuerſi Byzantiū traducti ſunt, & Anaxabius ſtipendium nō numerabat: proclamari vero per præcones iuſſit, vt ſumtis armis & ſarcinis milites oppido excederent, quaſi eadem opera cenſere vellet exercitum, & abducere. Heic grauiter ferre milites, deeſſe pecuniam ſibi, qua commeatum ad iter redimerent, adeoque cunctanter vaſa colligere. Interea Xenophon ad Cleandrum Byzantij præfectum accedens, cum quo neceſſitudinem hoſpitij contraxerat, complexus eſt eum ſalutando, quaſi qui iamiam ſoluere conſtituiſſet. At ille, ne hoc faceret, reſpondit. Cetero- qui culpa te obligabis, inquit. Quippe nunc etiam nonnulli eius in te culpam conferunt, quod exercitus ex oppido cunctanter velut erepẽdo egreditur. Et Xenophō: id vero non a me proficiſcitur, ſed quia milites copia cōmeatus egent, neque quidquam habent: idcirco ad exeundum ſe difficiles præbent. Ego tamen, inquit Cleander, conſulo tibi, vt quaſi proficiſci cum eis velis, oppido exeas: quumque iam extra mœnia copiæ fuerint, diſcedas. Accedamus igitur, ait Xenophon, Anaxibium: remque ita cōficiamus. Ad Anaxibium quum perueniſſent, quid eſſent facturi, exponunt. Is ita faciundum reſpondit, ac quamprimum rebus conſarcinatis exeundum: atque hoc addendum etiam futurum, vt is qui luſtrationi & cenſui non interfuerit, ſeipſum culpa oneret. Inde primum duces, poſtea milites ceteri egrediuntur. Quumq; iam vniuerſi, paucis exceptis, exiiſſent: ſtabat ad portas Eteonicus, vt quamprimum egreſſi eſſent omnes, portas occluderet, ac peſſulum obderet. Tum Anaxibius con-

† Al. Demoſade quæ ſcripturæ diuerſitas etiā deinceps reperta.

Anaxibius milites dolo circumuenire conatur.

394

conuocatis ad se prætoribus, & cohortium præfectis: Commeatus,inquit, petendus vobis erit e Thracum vicis, in quibus & hordei, & tritici, & aliarum rerum necessariarum magna est copia. Post illa pergite in Cherronesum,vbi stipendium vobis Cyniscus numerabit. Ea vel militum nōnulli forte ab se audita,vel aliquis e pręfectis cohortium, ad exercitum effert. Interea de Seuthe duces percunctantur,hostis,an amicus esset: num i- *395 ter per Sacrum montem sit faciundum, an media Thracia circumeunda.Dum illi de his inter se colloquuntur, arma corripiunt milites, & cursu portas oppidi petunt, vt rursus intra mœnia se reciperent. Eteonicus, vbi cum suis vidit accurrentes grauis armaturæ milites,portas occludunt,ac pessulum obdunt. Eas pulsabant milites, seque indignissima pati aiebant, qui hostibus obiicerentur. Etiam perfracturos se portas aiebant, ni eas sua sponte aperirēt. Nonnulli *ad mare currebant, & iuxta muri † chelen siue crepidinem in oppidum euadunt. Si qui vero adhuc erant in vrbe milites,quum quid ad portas ageretur, viderent: asciis claustra perfringebant, ac portas patefaciebant. Ita deinde illi irrumpunt. Xenophon,quum quid accideret, videret: veritus, ne ad vrbis se direptionem conuerteret miles, deque hoc in vrbem, & sese, & ipsos milites atrocia mala redundarent: pleno cursu cum reliqua turba militum intra portas irrumpit. * Ex alia parte Byzantij, vt vi exercitum in vrbem irruere vident,de foro partim in naues, partim domum confugiunt: & quotquot intus erant,foras exeunt: nonnulli triremes deducebant, vt in eis incolumes euaderent. Omnes se iam periisse putabant, tamquam si vrbs esset ab hostibus capta. Fugiebat in arcem Eteonicus. Anaxibius ad mare decurrens, naui piscatoria in arcem circumuehebatur, ac statim Chalcedone præsidiarios arcessit. Nec enim ij, qui erant in arce, sustinere posse vim militum videbantur. Posteaquam milites Xenophontem videre, frequentes ad eum cum his verbis accurrunt: Nunc tibi præbita est occasio,Xenophon, vt virum te declares. Oppidum habes, habes triremes, habes pecuniam,tot viros habes. Nunc,si volueris, & tu nos beare poteris, & nos te magnum efficere. Tum Xenophon:

† Hac χηλῆς voce Thucydidis interpres ait adpellari saxa siue moles, ante muros mare spectātes collocatas, ne fluctuum impetus muros lædat. Nomē ex eo factū, quod moles hæ bouis vngulæ similitudinem referant.

** Seditio militum Byzantij orta.*

Xenophōtis apud milites auctoritas

Recte dicitis, inquit, atque equidem vobis obtemperabo. Verum si hæc expetitis, quamprimum in ordine armati consistite. Volebat enim sedare milites, & illam ob caussam tum ipse cohortabatur ad hoc eos, tum aliis itidem, vt suos hortarentur, & in armis ordine constituerent, præcepit. Illi sponte sua sic aciem instruebāt, vt exiguo tempore grauis armaturæ pedites in quinquagenos se componerent, & cetrati ad vtrumque cornu cursu delati consisterent. Locus hic, in quo erant, Thracius dicitur, ad struendam aciem longe pulcherrimus: quippe qui esset ab ædificiis vacuus, & æquabilem planiciem haberet. Posteaquam in armis suo essent ordine collocati, sedatique iam nonnihil milites: vocat ad concionem exercitum Xenophon, & hac eos oratione compellat:

Xenophon seditionē compescit.

„ Equidem, milites, non miror vos irasci, atque existimare, vobis indigna accidisse, qui fraude circumuenti sitis. At enim iræ si gratificabimur, ac in Lacedæmonios, qui heic adsunt, fraudis nomine vindicabimus, vrbem denique nulli ad finem culpæ diripiemus: quæ deinde secutura
396 sint, apud animos vestros expendite. Primum & Lacedæmonij, & eorū socij nos eo sunt habituri loco, quo haberi hostes iudicati solent. Atque hoc aduersus nos bellum quale futurum sit, existimare licet eis, qui & viderunt, & memoria repetunt ea, quæ non ita pridem acciderunt. Bellum nos Athenienses aduersus Lacedæmonios, eorumque socios suscepimus, quum partim in mari, partim in naualibus triremes non pauciores cccc haberemus. Quumque magna esset in vrbe nostra pecuniæ copia, & prouentus annuus tam de ciuibus, quam exteris, non minor, quam c i ɔ talentorum: iidemque imperio nostro insulas omnes complecteremur, & oppida multa partim in Asia, partim in Europa, quas interfuit & hoc ipsum Byzantium, vbi nunc sumus, possideremus: ita tamen debellati sumus, vti vobis ipsis constat. Quid autem de nobis futurum existimatis, quum hoc tempore Lacedæmonij & Achæi societate iuncti sint, & ad hos Athenienses etiam cum omnibus, quos tum habuere, sociis accesserint? quum Tissaphernes, & reliqui barbari, quorū ager ad mare pertinet, nobis hostes sint? quum omnium maximum hostem habeamus

ipsum

ipsum Orientis regem, aduersus quem profecti sumus " vt & regno eum spoliaremus: &, si fieri posset, etiam de " medio tolleremus? Hos omnes si hostes habituri simus, " ecquis tam demens est, qui nos superiores euasuros exi- " stimet? Per Deos immortales, ne insaniamus, milites, " neve denuntiato & patriæ, & amicis propinquisque no- " stris bello, turpissime pereamus. Nam illis hi ciuitati- " bus omnes continentur, quæ bellum nobis æquissimo " certe iure facturæ sunt: si Græci nominis vrbem, quæ de " Græcis vrbibus omnium prima fuerit, ad quam acces- " serimus, depopulabimur: quum nullum barbarorum " oppidum etiam victoria potiti voluerimus occupare. " Opto equidem prius, quam hæc a vobis designari vi- " deam, vel decies mille orgyas infra terram rapi. Vobis " etiam consulo, quum Græci sitis, ita ius vestrum per- " sequamini; vt nihilo minus iis, qui sunt inter Græcos " principes, pareatis. Quod si æquum impetrare non li- " cebit, quamquam iniuste vobiscum agatur, Græcia ta- " men, vt exsuletis, minime committendum vobis erit. " In hoc sane tempore censeo, quibusdam ablegatis si- " gnificandum Anaxibio, non nos vt vlla vi vteremur, in " hanc vrbem rediisse: sed ea tantum gratia, vt si fieri pos- " set, commodi aliquid a vobis impetraremus: sin autem, " vt indicaremus, non fraude nos hinc eiectos, sed paren- " di studio excessisse. Factum in hanc sententiam decretū, 397 & Hieronymus Eleus, Eurylochus Arcas, Philesius A- chæus ablegati, qui hæc exponerent. Ij dum legationem obirent, ac miles eodem adhuc loco subsisteret: Cyrata- des Thebanus accessit, qui non exsilij caussa per Græ- ciam hinc inde obuagabatur: sed imperatorij muneris apiscendi mirifice cupidus, & offerens vltro sese, si qua vel vrbs, vel natio ducis egeret. Is hoc etiam tempore quum ad milites accessisset, paratum se aiebat esse ad deducendum ipsos quemdā in locum Thraciæ, cui Del- ta nomen esset, eamque profectionem ipsis fructuosam fore. Policebatur etiam se, dum † iter facerent, magnam ipsis esculentorum potulentorumq; copiā suppeditatu- rum. Audiebant & hæc milites eodem tempore, & quæ ab Anaxibio renuntiabantur. Is. n. futurum respōdebat, vt numquā ipsos obœdientiæ præstitæ pœniteret. Nam

Cyratades homo ambitiosus.

† Lectio marginis, vtut verbum poeticum sit, quod Xenophonti non insolens est.

&patriæ magiſtratibus hæc ſe per nuntios ſignificaturum, & initurum conſilium, quo pacto poſſit ipſis pro ſuis viribus commodare. Tum Cyratadem milites imperatorem accipiunt,& extra mœnia diſcedunt. Cyratades poſtridie ſe ad exercitum cum hoſtiis, extiſpice, potulentis, eſculentis ad vſum militis, adfuturum recepit. Poſtquam vero exceſſiſſent vrbe, portis Anaxibius occluſis: edici per præconem iubet: ſi quis militũ intra muros deprehẽderetur, eum deinceps pro mancipio diſtrahendum eſſe. Poſtridie Cyratades cum hoſtiis, & hariolo aderat, quem ſequebantur viri xx, qui farinam geſtabant: & xx alij, qui vinum: tres, qui oleum: vnus, qui ſarcinam alliorum maximam, itemque alius, qui ceparũ faſcem portabat. Hæc vbi depoſita in medium fuiſſent, tamquã in ſingulos diuidunda: ſacrum facere inſtituit. Interea Xenophon arceſſitum ad ſe Cleandrum hortatur, impetraret ſibi, vt in vrbẽ admiſſus, Byzantio ſolueret. Cleander vbi rediiſſet: Vix, inquit, impetrata re ad te venio. Nã dicit Anaxibius, non ex re videri, milites haud procul a muris eſſe, Xenophõtem vero intra muros: Byzantiis interim ſeditioſe ſe gerentibus, ac ſibi mutuo infeſtis. Sed tamen, inquit, introire iubet: ſi quidem ſecum ſoluere velit. Quare Xenophon militibus ſalutatis, cum Cleandro vrbem ingreſſus eſt. At Cyratades, quũ die primo non perlitaſſet, nihil in milites diſtribuit. Poſtridie ſtabant ad aram victimæ vna cũ Cyratade corona redi-
398 mito, quippe qui ſacrũ facturus eſſet: quũ Timaſio Dardanenſis, & Aſinenſis Neo, & Orchomenius Cleanor accedẽtes, ſacrificare Cyratadem vetãt. Non enim futurũ in exercitu cum imperio, niſi commeatum præbuiſſet. Tum Cyratades omnia diſtribui iubet. Quum autẽ adhuc multa deeſſent, vt vnius dumtaxat diei victum milites ſinguli haberent: receptis hoſtiis, abdicat imperatorio ſe munere, ac diſcedit. Manſerunt apud exercitum Aſinenſis Neo, & Phryniſcus Achæus, † & Timaſio Dardanenſis; progreſſique Thracum in vicos verſus Byzantium ſitos, caſtra ſunt metati. Tum inter duces orta diſſenſio, volentibus Cleanore ac Phryniſco ad Seuthen copias ducere, quod hos ſuam in ſententiã ille pertraxerat, quum vni equum dediſſet, fœminam alteri: Neone

† Al. & Phileſius Achæus, & Xanticles Achæus, & Timaſ.

Ducum diſſenſio.

vero

vero in Cherronesum, quod futurũ existimaret, vt si Lacedæmoniorum fines adtigisset, copiis vniuersis vnus ipse præesset: Timasione denique traducere copias rursum in Asiam mirifice cupiente, quod hac ratione se in patriam posse restitui existimaret. Quo quidem a consilio milites non abhorrebant. Sed dum longa mora intercedit, milites partim armis per agros distractis, vti sane poterant, ad suos nauigabãt: partim iisdem per agros traditis, hinc inde per oppida se ciuibus miscebant. Anaxibius, vbi dissipari copias audiisset, gaudebat. Nã id si cõfieret, quãmaxime Pharnabazo gratificaturũ se confidebat. Quum autem Byzantio solueret, obuiam ei venit apud Cyzicum Aristarchus, Cleandri successor, Byzantij præfectus. Hic Anaxibio narrat, etiam successorem ipsius in munere nauarchi Polum tantum non ad Hellespontum iam venisse. Tum Aristarchum iubet Anaxibius vendere milites, qui Cyrum sequuti fuissent, quotcumque Byzantij reperiret. Cleander enim neminẽ eorum emtorib. addixerat: immo etiam ægros curauerat, & coegerat ciues, vt eos suis ædibus exciperent. Aristarchus autem quamprimũ Byzantium venit, non pauciores c c c vendidit. Anaxibius † Parium quum nauigasset ad Pharnabazum mittit qui eum moneret, vt pactis staret.* Is vbi Aristarchum Byzantij præfectum aduentare animaduertit, nec Anaxibium amplius fungi nauarchi munere: nulla huius habita ratione, tantum ab Aristarcho de Cyri copiis impetrat ea, quæ prius ab Anaxibio contenderat. Heic Anaxibius arcessito Xenophõte, hortatur eum, vt omni artificio quam celerrime ad exercitum nauiget, copias dissipari prohibeat, sparsos hinc inde quam possit plurimos recolligat. Perinthum deductos in Asiam summa celeritate transportet. Eidem Xenophonti x x x remigum nauim dat, cum epistola: adiuncto præterea de suis quodam, qui Perinthiis mandaret, vt Xenophontem equis ad exercitum quamprimum deducerent. Ita Xenophon nauigatione confecta venit ad exercitum, quem milites magna cum voluptate exceptum, statim lubenter sequebantur, quod e Thracia se in Asiã traiecturos sperarent. At Seuthes, posteaquam rediisse Xenophontẽ accepit, misso ad eũ mari Medosade roga-

Cleandri humanitas.

† Oppidũ ad Hellespontum. Stephanus de Vrbib.

** Perfidia compensatur perfidia.*

399

Xenophon ad exercitum redit.

de rogabat, ad se copias traduceret: additis policitationibus, quibus id se persuasurum putabat. Respondet Xenophon, eorum nihil omnino fieri posse. quo ille audito abiit. Græci quum Perinthum venissent, Neo suis auulsis ab exercitu, cum ↄↄ c c c plus minus castra seorsum habebat. Reliquæ copiæ vniuersæ loco eodem propter Perinthiorum mœnia constitere. Secundum hæc de nauibus agere Xenophon, vti quamprimum in Asiam traiiceret: quum Byzantio præfectus Aristarchus, cum

Xenophōtis conatus impeditur

duabus triremibus venit. Is quod ita persuasus a Pharnabazo esset, naucleris, vt neminem veherent, edicit: & pergens ad exercitum, milites monet, ne quis in Asiam traiiciat. Heic quum Xenophon diceret, mandatum id esse sibi ab Anaxibio, qui hac de caussa huc se misisset, respondens Aristarchus: Non est, inquit, Anaxibius hoc tempore nauarchus, quum ego his in locis munere præfecti fungar. Quod si quem vestrum cepero, mari demergam. Quę vbi dixisset, oppidum ingressus est. Postridie prætores, & cohortium in exercitu præfectos ad se vocat: qui quum iam prope a muris abessent, futurum exponit Xenophonti quidam, vt si oppidum ingrediatur, in vincula coniectus vel istic aliquid supplicij perferat, vel Pharnabazo tradatur. Id vbi audiisset, dimissis

Xenophon insidias vitat.

ceteris ait, velle se sacrum aliquod facere. Quum discessisset, exta consulit: an sibi potestatem Dij faciant, traducendi ad Seuthen exercitum. Nec enim traiici tuto posse videbat, quod is, qui prohibiturus esset, triremes haberet: neque proficisci in Cherronesum volebat, vt i-

400 stic concluderetur, & ad omnium rerum penuriam milites adduceret. Simul enim eo loco tum præfecto parendum erat, tum omni commeatu pro exercitu carendum. His tum rebus Xenophontis occupabatur opera. Duces & præfecti cohortiū, ab Aristarcho reuersi, commemorabant eum dixisse: nunc quidem abirent, sed redirent vespere. De quo iam magis insidiæ patescere videbantur. Itaque Xenophon, quod exta tum suo tum

Xenophon ad Seuthē Thracum regē proficiscitur.

exercitus nomine, tutam ad Seuthen policeri profectionem viderentur: sumto secum Atheniensi Polycrate cohortis ductore, atque vno aliquo abs quouis duce, (Neone solo excepto) cui duces ipsi maxime fiderent: noctu

ad Seu-

ad Seuthæ castra, quæ plus minus LX stadiis aberant, contendit. Ab iis quum prope abessent, ignes quosdam desertos inueniunt. Itaque primum Seuthen aliquo cessisse cum castris arbitrabatur. Verum audito tumultu, & eorum vocibus, qui ex Seuthæ militibus erant; ac inuicem omnia sibi significabant: intellexit ea de caussa Seuthen ignes ante excubias accendisse, vt quo loco excubitores tenebris tecti essent, videri non possent: at illi contra, qui accederent, per ignium lucem conspicui, minime laterent. Hac re animaduersa, quem forte tũc habebat interpretem præmittit, ac dicere Seuthæ iubet: adesse Xenophontem, qui cupiat ipsum conuenire. Rogant illi, num is sit Atheniensis ille Xenophon, qui e castris adesset. Illum ipsum esse quum adfirmasset, exsultantes ad Seuthen celeriter pergunt. Neque multo post cetrati plus minus CC aderant, receptumque Xenophõtem cũ suis ad Seuthen deducebant. Erat is in turri quadam, & admodum sibi cauebat: circum turrim equi frœnati stabant. Nam præ metu equos interdiu pascebat, noctu custodias agebat. Etenim ferebatur olim etiam Teres, vnus de Seuthæ maioribus, quum magnas haberet copias, earum non exiguam partem ab incolis cæsam amisisse, ipsis etiã impedimentis exutum. Erat huic nationi nomen Thyni, qui prœliis nocturnis dicebantur esse acerrimi. Quum iam propius accessissent, iubet Xenophontem Seuthes cum duobus, quos vellet, ingredi. Posteaquam ingressi essent, primum se mutuo complectebantur, ac more Tracio vini cornua sibi propinabant. & aderat Seuthæ Medosades quoque, cuius vbique in legationibus opera vtebatur. Deinde Xenophon in hanc sententiam loqui cœpit: Medosadem hũc, Seuthes, primum Chalcedonem ad me misisti, meque rogasti, vt in hoc incumberem, quo ex Asia copiæ nostræ traiicerent. Id si perficerem tibi, policebaris (vti quidem Medosades hic cõmemorabat) bene te de me promeriturum. His dictis Medosadem interrogabat, anne verum diceret. Illo confirmante: Rursus, inquit, Medosades hic ad me venit, posteaquam Pario sum reuersus ad exercitum; & copias si Græcas ad te deducerem, policitus est quum aliis in rebus te pro amico &

401 *Xenophõtis & Seuthæ colloquium.*

fratre me habiturum: tum vero ad mare sita oppida, quę tua sunt in potestate, mihi te dante cessura. Tum rursus Medosadem rogat, hæccine dixisset. Qui quũ adscensus esset: Age vero, inquit, tu iam huic commemorato, quid apud Chalcedonem tibi responderim. Primum, ait, respondisti Byzantium traiecturas copias: nec opus esse, vt vel tibi, vel cuiuis alij quidquã hoc nomine penderetur. Deinde aiebas te, quamprimum traiecisses, ab exercitu discessurum: quod quidem ita, vti tu dicebas, euenit. Atenim subiecit Xenophon, quid dicebã id temporis, quum ad me * Selymbriam veniebas? Negabas fieri posse propterea, quod Perinthum eundum esset, ac in Asiam traiiciendum. Enimuero, subiecit Xenophon, iam ad te venio cũ hoc Phrynisco, qui ducũ vnus est, & Polycrate cohortis præfecto. Quin etiam foris adsunt homines, quibus fidunt plurimum duces singulis, excepto Neone Laconico. Quare si rem maiori fide vis agi, fac & illi arcessantur. Tu Policrates abi, ac non solum illis dicito, me velle, vt arma foris relinquant: sed etiam ipse relicto ibidem gladio ingredere. Quæ verba quum Seuthes audiisset, nulli se Atheniensi diffidere dixit: scire se, cognatos eos sibi esse, adeoque amicorum illos beneuolorum loco habere. Posteaquam ij, qui debebant, ingressi essent: primum de Seuthe quærit Xenophõ quam ad rem exercitus opera vti cuperet. Respondit is in hanc sententiam: Mæsades mihi pater fuit, cuius imperio † Melandeptæ, Thyni, Thranipsæ parebant. Is, quia res Odrysarum laborabant, pulsus hac regione morbo interiit. Ego pupillus apud † Medocum, qui nunc rerum potitur, sum educatus. Posteaquam adoleui, non potui æquo animo sic viuere, vt alienam ad mensam mihi respiciundum esset. Quare vti considebam in sella, supplex eum rogaui: daret mihi manum hominum, quam magnam posset, vt me de iis, qui nos eiecissent, pro virili vl-
402 ciscerer: neque more canis ad ipsius mensam semper respicerem. Tum ille mihi & milites eos, & equos dedit, quos vbi illuxerit, videbitis. Itaque iam ego cum his ita viuo vt e regione patria mihi prædæ sint agendæ. Quod si ad me vos accesseritis, facile me Diis beneiuuantibus regnum pristinum recuperaturum arbitror. Hæc sunt, quæ

Selybriam

Al. Meládite, Thyni, Traniæ.

† Amadocum,

quæ a vobis ego postulo. Heic Xenophon: Quid tu, ait, exercitui, præfectis cohortium, prætoribus, si ad te veniamus, dare possis, exponito: vt hi de eo ad nostros referant. Tum ille militi nummum Cyzicenum policetur, cohortis præfecto binos, prętori quaternos, & agri quātum velint, cum boum iugis & oppido munito, quod ad mare situm sit. Quod si, subiecit Xenophon, hāc rem ita moliar, vt eam tamen non perficiam, sed metus quidam a Lacedæmoniis intercedat: tuamne in regionem nostrum aliquem admittes, qui ad te conferre se velit? Ego vero, ait Seuthes, faciam, vt & fratrū loco mihi sitis, & in sellis collocemini, & participes fiatis omnium, quæ parare potuerimus. Tibi autem, mi Xenophon, etiam filiam dabo, ac si tibi filia est, eam Thracio more mihi emam, atque illi Bisanthem dabo, vbi habitet: quod oppidum meorum omnium, quæ ad mare sita sunt, pulcherrimum est. His auditis, & vltro citroque datis dextris, discesserunt. In castra quum ante lucem venissent, quisq; rem, vti gesta erat, iis narrabat, a quo missus fuerat. Vbi iam illuxisset, Aristarchus iterum duces ac præfectos cohortium ad se vocabat. At illi censuerūt ad Aristarchum sibi eundum non esse, sed militem ad concionem vocandum. Conuenerunt vniuersi, exceptis Neonis copiis, quæ ab ipsis plus minus x stadiorum interuallo aberant. Posteaquam coacta iam concio esset, Xenophō surgēs hac oratione est vsus. Quo minus, milites, eo nauigare, quo volumus, possimus: Aristarchus hic a triremibus instructus vetat. Quare nobis haud tutum est, naues conscendere. Idem nos per mōtem sacrum in Cherronesum vi iubet penetrare. Id si molestiis superatis præstemus, non iam se amplius vos pro mancipiis venditurum ait, vti Byzantij factum, neque vos amplius circumuenturum: sed stipendium accepturos, neque futurum, vt neglecti, quod modo vobis vsuuenit, commeatu egeatis. Hęc sunt, quę Aristarchus promittit. At vero Seuthes, si ad ipsum vos conferatis, se bene de vobis prometiturum ait. Nunc igitur consideretis velim, heiccine subsistere, deque hoc deliberare velitis: an potius ad ea 403
reuersi loca, in quibus haberi commeatus poterit. Equidem statuo, quum heic & pecunia desit, qua quid ema-

Pacta cōuenta inter Seuthen & Græcos.

» mus:& sine pecunia quidquam nos rei necessariæ sume-
» re vetent: redeundum nobis ad vicos esse, atque ibi pa-
» rato ex iis locis commeatu, de quibus eum victi sumere
» permittunt: audiendum, quam ad rem vestra indigeat
» aliquis opera: itaque deligendum, quod vobis facto vi-
» debitur optimum. Cui vestrum hæc sententia placet, is
» manum tollat. Sustulerunt omnes. Abite igitur, inquit,
» sarcinisque collectis, ad iter vosmet parate: quumq; de-
» nuntiabitur vobis, ducem sequimini. Post hæc dux erat Xenophon, quem milites sequebantur: neque vel Neonem, vel alios ab Aristarcho missos audiebant: qui, vt regrederentur, suadebant. Quum ad xxx stadia processissent, Seuthes eis occurrit. Quem vbi Xenophon vidisset, propius adequitaret, monuit: vt ipsi quamplurimis audientibus ea diceret, quæ ex re fore arbitraretur. Quũ accessisset, Xenophõ ita loquutus est: Nos eo pergimus, vbi exercitus alimenta est habiturus. Ibi & te, & huius Lacedæmonij nuntiis auditis, quod consultissimum videbitur, eligemus. Quare si nos eo duces, vbi commeatus erit copia: hospitio nos abs te arbitrabimur excipi. Tum Seuthes: Ego vero, ait, vicos permultos eodem loco sitos noui, copia rerum omnium abundantes: qui tanto distant a nobis spatio, quanto confecto iucunde pransuri simus. Tu ergo, subiecit Xenophon, dux noster esto. Quum tempore pomeridiano ad eos accessissent, ac duces conuenissent, in hanc sententiam Seuthes loquutus est: Peto a vobis, milites, vt mecum expeditionem hãc suscipiatis, eoque nomine me vobis nummum Cyzicenum pro stipendio menstruo daturum policeor, itidemque prætoribus & cohortium præfectis ea, quæ his dari consueuerunt. Præter hæc, eum, qui ita merebitur, præmiis ornabo. Esculenta & potulenta de hoc agro perinde, vt modo, vobis suppeditabunt. Quæ autem capta fuerint, vt ea mihi cedant, æquum esse arbitror: quo iis diuenditis, stipendium vobis suppeditem. Ac nos quidem hostem terga dantem, ac fuga dilapsum, tum persequi, tum inuestigare poterimus: sin quis resistat, eum ope vestra nostram in potestatem redigere conabimur. Tum Xenophon interrogans: Quantum, inquit, a mari tecum vt exercitus abeat, æquum censes? Et Seuthes:

Græci ad Seuthen se conferunt.

Nus-

Nusquam, ait, longius septem dierum itinere: sæpe etiam minus. Post hæc potestas facta cuique dicendi, qui quidem vellet. Multi consensere, Seuthen minime contemnenda proponere. Nimirum hyemem adpetiisse, 404
neque domum nauigare qui velint, posse: & multo minus ipsis suppetere, vt pacato amicorum in solo degant, si coemtis cibariis viuendum sit. At in hostili agro & commorari eos, & ali posse multo securius, si Seuthen secum habeant, quam si soli sint: præsertim quum tot commoda se offerant. Iam si stipendium præter hæc accipiant, id vero etiam in lucro ponendum videri. Post hæc Xenophon: si quis habet, inquit, quod contra hæc adferat, dicat: sin autem, vestris hæc suffragiis confirmate. Quum aduersaretur nemo, suffragiis res comprobata, decretoque sancita est. Statimque Seuthæ narrat Xenophon, velle milites ipsi hoc in bello adesse. Post hæc alij quidem secundum ordines suos castra sunt metati, duces, ac præfectos cohortium in vico, qui prope aberat, ad cœnam Seuthes inuitat. Quum iam ad fores peruentum esset, vt cœnatum ingrederentur: Heraclides quidam, cui esset patria Maronea, singulos accedebat, quos habere suspicaretur, quod Seuthæ donarent. Primum adibat Parianos quosdam, qui amicitiæ cum Odrysarum rege Medoco ineundæ caussa venerant, ac tum ipsi, tum vxori eius munera quædam adferebant. Ad hos dicebat, Medocum agere in regione superiori, quæ XII dierum itinere a mari abesset: Seuthē, acceptis hisce copiis, regionis propter mare sitæ imperium habiturum. Quum igitur futurus sit, ait, vicinus vester: plurimum & ad lædendum, & ad commodandum vobis, viriũ est habiturus. Quapropter si sapitis, quidquid adtulistis, ei dabitis. Melius enim collocabitur, quã si Medoco, procul hinc dissito, donetur. Atque is sane, vt ita facerent, persuasit. Deinde ad Timasionem Dardanensem accedit, quē quia cognouerat habere pocula tapetesque barbaricos, esse ait in more, vt si quando ad cœnã aliquem vocet Seuthes, inuitati munera quædam ipsi donent. Quod si potens factus fuerit, vel restituere te in patriam poterit, vel heic collocupletare. Hoc modo quolibet adpellato, munera Seuthæ conciliabat. Ad

Scitũ exercitus de belli cum Seutha societate.

Heraclides Maronẽsis munera Seuthæ impetrat.

Xenophontem quum peruenisset: Tu maxima, inquit, ex vrbe ortus es, ac tuum nomen apud Seuthen amplissimum est. Fortassis etiam mereberis, vt hac in regione castella cum agro consequare, quod & aliis vestrum euenit. Quamobrẽ ex dignitate tua fuerit, muneribus amplissimis Seuthen ornare. Atque hac in parte te moneo, quod optime tibi velim. Nam mihi quidem dubiũ non est, futurum, vt quanto ampliora tua, quam horum munera fuerint: tanto ab hoc præclariora consequare. Quũ
405 hæc audiret Xenophon animi angebatur. Nec enim id temporis, quum Pario traiiceret, quidquam habebat, præter vnicum puerum: & pecuniæ, quantum ad viaticum satis esset. Vbi iam cœnatum ingressi fuissent, partim præstantissima dignitate Thraces, qui tum aderat, partim Græcorum duces, & præfecti cohortium, cum legatis, si qui ab vrbibus aderant, in orbem omnes cõsedere. Deinde tripodes vniuersis adlati, qui plus minus xx numero erant, carnibus diuisis pleni, cum fermentatis panibus, eisque prægrandibus, qui carnibus adfixi erant. Inprimis hoc obseruatum, vt † fercula semper iuxta hospites ponerentur, quod quidem ita erat in more. Factitabat hoc adeo primus Seuthes ipse. Panes enim iuxta se sitos sumebat, minutimque frangebat, ac disiiciebat hinc inde ad eos, quos visum esset. Idem de carnibus fiebat, de quibus modo tantum sibi retinebat, quãtum ad gustandum satis esset. Imitabantur hoc & alij, iuxta quos fercula sita essent. Aderat Arcas quidam, cui nomẽ Aristus, vorax admodum. Is omisso disiiciendi ritu, arreptoque pane trium † chœnicum, carnes etiam genibus imponebat, & cœnabat. Circumferebantur & cornua vino plena, quæ omnes sumebant. Verum vbi pincerna cum cornu ad Aristum accessisset, atque ille Xenophontem non amplius cœnare videret: Huic, ait, porrige. Nã illi otium est, at necdum mihi. Eam vocem quum Seuthes audiisset, de pocillatore quærebat, quid ille dixisset. Is quũ rẽ narrasset, quod Græcæ linguæ nõ ignarus esset, in risum omnes soluuntur. Procedente autẽ potatione, Thrax quidam ingressus, cui equus erat albus, arrepto cornu pleno: Propino, inquit, tibi Seuthe, & equum hũc dono do: quo vectus, quemcumque voles persequendo capies,

† *Græce* αἱ τράπεζαι. *Sic verto ex auctoritate Pollucis, qui ait, veteres etiam cibaria mẽsis imposita τράπεζας adpellasse. Lib. 6. cap. 12.*

† χοῖνιξ *frumenti tãtum, quãtum vno die satis est homini, vt patet ex 3. & 7. lib. Herod.*

capies, & retrocedens nō est quod hostem metuas. Postea quidam alius puerum adductum eodem ritu Seuthæ donabat, & alius vestiméta in vsum vxoris. Timasio quū ei propinaret, argenteam phialam cum tapete, qui x minarum pretiū habebat, dono dabat. Et Atheniensis quidam Gnesippus quum surrexisset, priscum esse morem aiebat, eumque pulcherrimum: vt ij, quibus sint opes, honoris caussa regi aliquid dono dent: inopes autem a regibus munerentur. Ita fiet, vt & ipsi tibi quod donem habeam, & quo te ornem. Dubitabat apud se Xenophō, quid faceret. Nam vt vir honoratus, in sella Seuthę proxima sedebat. Iam pincernæ mandarat Heraclides, vt Xenophonti cornu porrigeret. Et Xenophon, qui paullo largius bibisset, confidenter surgens, accepto cornu: 406
Ego vero, inquit, meipsum tibi dono, mi Seuthe, cū his sociis meis, vt nobis vtare tamquam fidis amicis. Neque horum quemquam inuitum tibi trado, sed omnes eo animo, vt vel meipsum in amicitia superare cupiant. Nūc quidem certe adsunt heic tibi, ac tātum abest, vt aliquid abs te præterea petant: vt etiam expetant tua caussa labores perpeti, ac pericula subire. Horum tu opera, Diis propitiis, partim amplum regnum, idque patrium recuperabis, partim alia consequere. Præterea magnam equorum, virorum, elegantium fœminarum copiam tuā in potestatem rediges: neque necesse erit hoc rapiendo effici, sed ipsimet cum muneribus aderunt. Tum surgēs Seuthes vna cum Xenophonte bibebat, & illi, qui proximus ab ipso erat, † partem porrigebat. Post hæc Cerasuntæi sunt ingressi, qui tibiis ac tubis, de crudo bouis corio factis, classicum canunt, & ad numeros tamquam in magade clangunt. Heic Seuthes ipse surgens, bellicū quiddam vociferabatur, & quasi telum vitaret, agiliter admodum exsiliebat. Ingressi sunt & ioculatores. Denique sub occasum solis Græci surgunt, ac tempus aiūt esse constituendi excubias dandique tesseram. Hortabantur etiam Seuthen, vt suis denuntiaret: ne quis Thracū noctu Græcorum castra ingrederetur. † Nam Thraces, aiebāt, & hostes habemus, & amicos. Posteaquam egrederentur, etiam Seuthes vna cum ipsis surgebat, neque vlla signa ebrietatis præ se ferebat. Quum exiisset, vo-

† *Lego* συγκατεδάσατο.

† *Consule annot. nostras.*

catis ad se ducibus : Nec dum, inquit, hostibus nostris
quidquam de societate inter nos inita constat. Quare si
eos adoriemur prius, quam sibi, ne capiantur, caue-
rint, vel ad propulsandos nos instruxerint : maximam &
hominum, & opum copiam facile consequemur. Eam
sententiam duces comprobare, atque hortari, vt in ho-
stem duceret. Tum ille: Vbi vos, inquit, ad iter accinxe-
ritis, expectate. Nam ego quum opportunum fuerit, ad
vos veniam : cetratisque ac vobis mecum sumtis, ipse
dux itineris ero, Diis bene iuuantibus. Et Xenophon:
Dispice, inquit, si quidem iter noctu faciundum erit,
an magis expediat, Græcum nos morem sequi, quam
vestrum. Nam diurnis in itineribus, pro locorum ratio-
ne, vel armatura grauis, vel equitatus ante ire copias
solet: noctu vero, Græcorum instituto, pars exercitus
407 tardissima præcedit. Nam hoc pacto copiæ minime a se
inuicem diuelluntur, minimeque fieri potest, vt clam a-
liis a se discedant. Quod si copiæ dissipentur, fit non-
numquam, vt se mutuo adoriantur, ac per ignoratio-
nem & errorem ipsimet se lædant, ac læduntur. Recte
monetis, ait Seuthes, adeoque vestro huic instituto pa-
rebo. Nam vobis eos duces dabo, qui inter natu gran-
des huius regionis peritissimi sint : ipse a tergo subse-
quar cum equitatu, ac si res poscat, celeriter in frontem
me conferam. Tesseram dabant Athenienses ob cogna-
tionem. His dictis quieuere. Nocte media Seuthes ade-
rat cum equitibus loricatis, & cum cetratis, instructis:
quumque duces itineris dedisset, grauis armatura præ-
cessit, subsequentibus peltatis, & equitatu tergum ag-
minis claudente. Quum illuxisset, Seuthes suos in fron-
tem promouit, collaudato Græcorum hoc instituto.
Aiebat enim, sæpe numero sibi ipsi accidisse, vt quum
vel exiguis cum copiis iter noctu faceret, pedites ab e-
quitatu diuellerentur. Nunc vti fieri debebat, orto die
vniuersi eodem loco conspicimur. Enimuero vos heic
requiescite, ac nos exspectate, donec ego rebus nonnul-
lis exploratis rediero. His dictis, quum viam quamdam
reperisset, per montem quum equitatu pergit : inuen-
taque magna niue, media in via, num quæ hominum
vel antecedentium, vel contraria vestigia cernere pos-
set,

set, considerabat. Quum viam non tritam esse videret, celeriter reuertitur, &: Præclare, inquit, res nobis succedet, milites, Diis bene iuuantibus. Sic enim hostes adoriemur, vt illi nos aduentare nequaquam sentiant. Equidem cum equitatu pręcedam, vt ne quis a nobis conspectus elabatur, aduentumque nostrum hostibus denunciet. Vos vero sequimini, ac si a tergo manseritis, vestigiis equorum inhærete. Vbi montes hos superauerimus, ad vicos multos, eosque perupulētos perueniemus. Quum meridies adpetiisset, iam in vertices euaserat: & in vicos despiciens, pergit ad grauis armaturæ pedites. Dimittam, inquit, modo equites, vt in planiciem decurrant: & cetratos, vt in vicos se conferant. Quare quam potestis celerrime subsequimini, vt si quis se nobis opposuerit, opem nobis feratis. Hæc verba quum Xenophon audiisset, de equo descendit. Quærente Seuthe: Quamobrem quæso ex equo descendis, quum festinatione sit opus? Equidem, ait, scio non mea solius opus esse præsentia: & hi grauis armaturæ pedites celerius current 408
ac lubentius, si & ipse pedes agmen duxero. Post hæc adiungebat ei se Timasio quoque cum Græcis equitibus plus minus XL. Xenophon milites XXX annos natos, qui expediti essent, ex cohortib. ad se iubet accedere. Cum his ipse raptim pergebat, Cleanore Græcos ceteros ducente. Posteaquam in vicos peruenissent. Seuthes cum equitibus L aduectus: Accidit, inquit, ita vti tu dicebas, Xenophon. cepimus hos homines. Verum equi mihi dilapsi sunt, aliis alibi hostem persequentibus. Quare metuo, ne hostes alicubi globo facto, male nostros multent. Nihilominus in his etiam vicis manere quosdam nostrum necesse est. Sunt enim illi hominibus referti. Tum Xenophon: Ego vero: inquit, cum his, quos mecum habeo, vertices occupabo: tu Cleanori manda, vt per campum phalangem propter vicos extendat. Id quum fecissent, plus minus CIↃ mancipia collecta sunt, boues autem IICIↃ, pecoris reliqui CCIↃↃ. Ac tum quidem ibi pernoctarunt. Postridie Seuthes vicis prorsus exustis, ac ne vna quidem domo relicta, quod vellet aliis etiam metum incutere, cuiusmodi mala perpessuri essent, nisi parerent ipsius imperio, disces-

ſit:ac prædam quidem abigi iuſſit, vt illam Perinthi Heraclides venderet, deque ea militi ſtipendium conficeret: ipſe cum Græcis in Thynorum planicie caſtra habebat. Illi vero ſedibus ſuis relictis, in montes ſe fuga recipiebant. Iacebat nix ingens, & tantum frigus erat: vt etiam aqua ad cœnam adlata, & vinum ipſum in vaſis cõgelaſceret. Nonnulli Græcorum nares & aures, aduſtas [a frigore] amittebant: perſpectumque fuit id temporis, quamobrem vulpinas pelles circum capita Thraces, & circum aures geſtent: itemque tunicis non modo pectora, ſed ipſa etiam femora muniant: laxa denique ſagula, & ad pedes vſque demiſſa, in equis induant, non chlamydas. Seuthes dimiſſis ex iis, qui capti fuerant, nonnullis in montes: denuntiari iuſſit, ni deſcenderent, † ac ſecum pacis fœdera facerent: ipſorum etiam ſe villas incenſurum vna cum frumento, vt fame omnes perire neceſſe eſſet. Tum vero & mulieres, & pueri, & ſenes deſcẽderunt. Iuniores in vicis ſub monte ſitis caſtra locant. Id

Græci nares & aures propter vim frigoris amittunt.

† Lectio marginis.

409 vbi Seuthes animaduertiſſet, Xenophontem cum manu ex armatura graui delecta iuuenum maxime vegetorũ ſequi iuſſit. Itaque noctu ſurgunt, & prima luce ad vicos perueniunt. Tum ex hoſtibus maxima pars fuga dilabi. Etenim mons vicinus erat. Si qui caperentur, iaculis vniuerſi a Seuthe configebantur. Erat Olynthius quidam puerorum amator Epiſthenes, qui quum elegantem puerum, tunc primum pubeſcentem; cum cetra, quam tenebat, conſpiceret, cui Seuthes iamiam vitam ademturus erat: ad Xenophontem accurrit, & ſuppliciter ipſum orat, vt opem formoſo puero ferat. Xenophon Seuthen conuenit, eumque rogat, ne perimat puerum, ſimul Epiſthenis ingenium ei narrat, & quod aliquando cohortẽ collegiſſet, nihil aliud ſpectans, quam ſi qui formoſi eſſent: & cum his egregium ſe virum declarare cõſueuiſſet. Heic Seuthes Epiſthenem interrogat: Velleſne, mi Epiſthenes pro hoc mori? At ille ceruice extenſa: Ferito, inquit, ſi puer hic ita mandat, & gratiam habiturus eſt. Et Seuthes viciſſim puerũ interrogat, num hunc feriri ſuo loco vellet. Verum is hoc fieri non ſinebat, ſed ſupplex orabat, vt neuter interficeretur. Epiſthenes complexus puerum: Tempus eſt, Seuthes, vt de hoc mecum prœlio decer-

decertes inquit. Non enim puerum dimittam. Ille ſubridens, hæc omittebat. Viſum eſt autem ei, hoc loco habenda eſſe caſtra: ne ex his vicis ij, qui in montem confugerant, ſeſe alerent. Ipſe ſub monte in planicie caſtra locat, Xenophon cum delectis in villa ſub mõte ſuprema, Græci reliqui prope ab his in agro Thracum, qui Montani dicuntur, habebant caſtra. Non multis diebus interiectis, Thraces de monte deſcendunt ad Seuthen, & cum eo de obſidibus, & pacis condicionibus tractant. Tunc Xenophon, ad Seuthen quum acceſſiſſet, difficilibus in locis haberi caſtra monet, ac prope admodũ hoſtes abeſſe. Lubentius illa ſe exterius habiturum *aliis in locis, quam adeo anguſtis, in quibus periculum ſit, ne ad internecionem cædantur. At Seuthes bono illum eſſe animo iubet, ſimulque monſtrat obſides ab hoſtibus miſſos. Nonnulli etiam deſcendẽtes ex iis, qui ſe in mõte continebant, Xenophontem obſecrabant, vt pacis cõdiciones ipſis impetraret. Ille facturum ſe recipiebat, bonoque vt animo eſſent, hortabatur. promittebat etiam, nihil ipſis futurum mali, ſi Seuthæ parere vellent. At illi hæc ſpeculandi animo proponebant. Hæc illo die
tũ acta. Nocte inſequente Thyni de monte deſcendunt. 41
Paterfamilias cuiuſque domus dux erat. Nam aliis domus inuenire per tenebras in vicis erat difficile, præſertim quod domus ipſæ magnis eſſent vallis ouium cauſſa circumſeptæ. Poſteaquam ad ædificij cuiuſque fores veniſſent, partim in eas iacula torquebant, partim clauas, quas habere ſe aiebant, vt haſtarum cuſpides decuterent. Nonnulli ædificiis ignes immittebant, nominatimque compellatum Xenophontem exire iubebant, ac mortem occumbere, niſi mallet iſtic ab igne conſumi. Iam per ipſum tectũ ignis conſpiciebatur, & Xenophontis milites loricati ſe adhuc in ædibus continebant, ſcutis, gladiis, galeis armati. Denique Silanus Maceſtius XIIX natus annos, tuba ſignum dat. Mox & aliis ex ædificiis milites cũ diſtrictis enſibus ſeſe proripiunt. Thraces fuga dilabuntur, cetris in terga more ſuo reiectis. Quumque ſudes tranſilire vellent, nonnulli in eis hærentes capti ſunt, cetris inter ſudes impeditis: nonnulli occiſi, quod aberrando nequirent exitus reperire. Græci

* *Lectio marginis.*

Periculũ Xenophõtis.

fugientes extra vicum persequuti sunt. Nonnulli tamen ex Thynis reuersi per tenebras, eos, qui domum ardentem prætercurrebãt, missis e tenebris in lucẽ iaculis petebant. Ita vulnerati Hieronymus, Enodias, & Theagenes Locrensis, cohortium ductores: nemo tamen mortuus est. Fuere quorum † vestis & impedimenta exurerentur. Accurrit & Seuthes cum Thracio tubicine, ac septem equitibus primis, opem laturus: atque ex quo tempore rem animaduertit, quam diu properabat ad opem ferendam, tam diu buccina sonabat. Quæ res & ipsa metum hostibus iniecit. Posteaquam venisset, amanter complexus Græcos, existimasse se dicebat futurum, vt multos mortuos offenderet. Rogat heic Xenophon, vt sibi tradat obsides: vnaque in montem, si velit, tendat. Sin autem, si hoc permittat. Postridie Seuthes ei tradit obsides, homines ætate graues: maxima, vti ferebatur, apud Montanos dignitate: atque etiam ipse cum suis copiis venit. Habebat autẽ iam triplo maiores. Nam quũ apud Odrysas, quid rerum Seuthes gereret, auditum esset: multi vt ipsum in eo bello iuuarent, descenderant. Thyni, quum de monte prospectantes, magnas grauis

411 armaturæ, magnas cetratorum, & equitum copias viderent: descendunt, ac supplices pacem poscunt, policiti omnia se facturos, eiusque rei pignora vt accipiantur, petunt. Seuthes vocato ad se Xenophonte, quid illi dicerent, demonstrabat. Addebat, nullas se pacis condiciones admissurum, si vellet in eos animaduertere Xenophon propterea, quod ipsum adorti fuissent. Ego vero, subiecit Xenophon, satis eos magno malo multatos arbitror, si pro liberis serui fiant. Hoc se tamen Seuthæ cõsilij dare, vt deinceps obsidum loco illos acciperet, quibus ad lædendum plurimum esset virium: senes autem domi esse relinquendos. Ita tunc omnes eius loci Thraces imperata se facturos receperunt. Postea profecti altius ad illos sunt Thraces, qui supra Byzantium in loco, cui Delta nomen, sedes habent. Non hi ad † Mesadæ regnum pertinebant, sed olim sub Terei ditione fuerant, prisci cuiusdam apud Odrysas principis. Venit huc cum pecunia coacta de manubiis Heraclides. Et Seuthes, cum mulorum iuga tria produxisset, (nec enim habebat plu-

† Lectio marginis.

† Supra, Mæsadæ.

plura) reliqua boum: Xenophontem arcessit, eaque vt acciperet hortatur, cetera in duces & præfectos cohortium distribueret. Tum Xenophon: Mihi vero satis est, inquit, vt deinceps aliquid accipiam. Tantum his ea ducibus & cohortiũ præfectis largire, qui me sequuti sunt. Ita Dardanensis Timasio iugum vnum accepit, alterum Cleanor Orchomenius, tertium Phryniscus Achæus. Boum iuga in cohortium ductores est partitus. Militi tantum xx dierum stipendium numerari potuit, tametsi iam mensis exiisset. Negabat enim Heraclides, pluris se manubias vendere potuisse. Quod grauiter Xenophõ, molesteque ferẽs: Videris, inquit, Heraclides, non ita vti debebas, Seuthæ commoda procurare. Nam ea si tibi cordi essent, stipendium integrum adtulisses, vel fœnori accepta præter hanc pecunia, si alia ratione non potuisses, tuisque vestibus distractis. Ex eo grauiter commotus Heraclides, ne amicitia Seuthæ excideret, verebatur. Quare ab illo die, quacumque ratione poterat, Xenophontem apud Seuthen criminabatur. At vero milites in Xenophontem culpam conferebant, quod stipendium non accepissent. Eidem Xenophonti Seuthes etiam succensebat, quod enixe stipendium pro milite posceret, atque vt ante illum diẽ semper dictitauerat, se postea, quam ad mare peruenisset, Bisanthen, Ganum, castellum nouum ei traditurum: ita ex eo tempore nullius horum mentionem faciebat. Nam & hac in parte 412
calumniis vsus Heraclides fuerat, tutum non esse, castella illi tradere, cui ad manum exercitus esset. Deliberabat hinc Xenophõ, an esset vlterius hac in expeditione cum Seuthe progrediendũ. Heraclides introductis ad Seuthẽ ducib. ceteris, monebat, vt dicerẽt, nihilo se minus posse copias ducere, quã posset Xenophõ. Addebat, policeri se, stipendiũ integrum duũ mẽsium paucos intra dies adfuturũ: tantũ hortabatur, vt expeditioni se socios adiũgerent. Ibi Timasio: Equidẽ, ait, non si vel quinq; mẽsium stipendiũ mihi numeretur, absq; Xenophõte bello huic interfuero. Idem & Phryniscus & Cleanor aiebant. Quo factum, vt quum Heraclidem Seuthes obiurgaret, quod non etiam Xenophontem aduocasset, solus deinde Xenophon arcesseretur, Verum ille, animaduersa Heracli-

Xenophõtis exspectationem Seuthes fallit.

dæ vafriciç, quod hoc modo vellet ipsum apud duces reliquos suspectum & inuisum reddere: Seuthen vna cum aliis ducibus ac præfectis cohortium conuenit. Quos vbi suam in sententiam Seuthes adduxisset, expeditio cõiunctis copiis est suscepta. Quumque sic proficisceretur, vt Pontum ad dextram haberent: per Thraces, qui † Melinophagi vocantur, Salmidessum peruenerunt. Hoc loco pleræque naues in Pontum profecturæ adliduntur, & in litus eiiciuntur. Nam vadosum istic magna ex parte mare est, ac Thraces iis in locis habitantes, limitibus per cippos distinctis, ea rapiũt singuli. quæ in litora singulorum eiiciuntur. Prius sane quam limites illi constituti fuissent, captatores illos prædæ mutuis se vulnerib. cõfecisse proditum est. Inuenitur heic magna spondarum, arcularum, librorum, aliarumque rerum copia, quæ res a nauiculatoribus in vasis ligneis vehuntur. Posteaquam hæc loca in potestatem Seuthæ redacta fuissent, abductus est inde exercitus. Habebat iã Seuthes maiores copias, quam essent Græcæ. Nam & multo plures ex Odrysarum natione descenderant, & omnes, qui in fidem recipiebantur, vna cũ aliis arma coniungebant. Castra in campo supra † Selymbriam habebantur, a mari prope L. stadiorum interuallo. Stipẽdium nullum vsquam adparebat, & Xenophonti non solum milites succensebant: sed etiam Seuthes alieno erat in ipsum animo. Quoties hunc conuenire cuperet Xenophon, multis occupationibus distineri se simulabat. Duo iam prope menses elapsi fuerãt, quũ Charminus Laco, & Polynicus a Thimbrone missi in castra veniunt. Exponunt, decreuisse Lacedæmonios bellum Tissapherni facere. Eius belli caussa iam Thimbronem cum classe profectum esse, qui exercitus huius opera egeat: ac policeatur, se cuius militi singulos in menses Daricum nummum daturum in stipendium, præfectis cohortium binos, ducibus quaternos. Posteaquam Lacedæmonij venissent, mox Heraclides, qui eos ad exercitum missos audiisset, melius rem succedere Seuthæ narrat. Lacedæmonios enim copiis Græcis egere, quibus ipse non amplius egeat. Quare si exercitum ipsis trades, simul & gratiam inibis, & milites stipendium abs te non petent amplius, sed finibus tuis exce-

Marginalia: † *Id est, panico vescentes.* — † *Selybriã* — 413

excedēt. Quæ quum Seuthes audiisset, deduci eos ad se iubet. Vbi exposuissent, ad exercitum se venisse: concedere se ipsis hasce copias ait, ac Lacedæmoniorum amicitiam societatemque expetere. Deinde hospitaliter inuitatos magnifice excipit. Neque tamen aut Xenophōtem, aut quemquam alium ex ducibus vocat. interrogātibus de Xenophonte Lacedæmoniis, cuiusmodi vir esset: ceteroqui non instrenuum esse respondit, tantum militum per esse studiosum, quæ res ipsius etiam commodis plurimū officiat. Tum illi: Num milites, inquiūt, gratia & auctoritate sibi deuinctos habet? Omnino subiecit Heraclides. Num igitur, aiunt illi, nobis etiam aduersabitur, quo minus exercitum abducamus? Si vos, respondit Heraclides, vocatis ad concionem militibus stipendium promiseritis, neque magnopere, quid ille faciat, curaueritis: vobiscum hinc vel currentes abibunt. At qui fieri poterit, aiunt Lacedæmonij, vt nostra caussa conueniant? Nos, inquit, cras mane vos ad illos deducemus. Sat scio, quamprimum vos viderint, libenter cōcurrent. In hunc modum is tum dies exactus fuit. Postridie Seuthes & Heraclides Lacedæmonios ad exercitum deducunt. Milites ad concionem veniunt. Exponunt illi duo, decreuisse Lacedæmonios bellum aduersus Tissaphernem gerere: qui vos inquiunt, adfecit iniuria. Quare si nobis vosmet adiunxeritis, non solum hostem vlciscemini: sed etiam singuli in stipendium menstruum habebitis nummum Daricum vnum, præfecti cohortium binos, duces quaternos. Eam orationem milites perlubenter audiere, statimque surrexit Arcadum quidam, vt Xenophontem accusaret. Aderat & Seuthes, qui euentū rei scire cuperet. Stabat autem in loco, de quo audire omnia posset, ac secum habebat interpretem: quamquā & ipse per se pleraque intelligeret, quæ Græce dicerentur. Arcadis illius hæc fuit oratio: Iamdudum vobis nosmet adiunxissemus, Lacedæmonij, si non huc nos Xenophon in sententiam suam pertractos abduxisset: quo loco tametsi nos & sæuæ hyemis tempore, & noctu atq; interdiu labores militares pertulerimus: minime tamen rem fecimus, quum ille nostrorum laborum pręmia tulerit. Nam Seuthes ipsum quidem ditauit, at nos stipen-

Heraclides contra Xenophōtē omnia molitur.

Militum quorundā erga Xenophontē ingratitudo.

414

diis nostris fraudat. Quo fit, vt ego, qui primus senten-
tiam dico, si lapidibus hunc obrutum videam, & pœnas
dantem pro eo, quod nos hinc inde traxit: nõ solum me
accepisse mercedem meam sim existimaturus, sed etiam
illa me pertulisse, quæ tuli, susque deque laturus. Post
hunc surrexit alius quidam, itidemq; adhuc alius. Tam-
» dem Xenophon in hanc sententiam verba fecit: Nimi-
» rum homini nihil non expectãdum est, quum in eo vos
» me reum peragatis, in quo beneuolentiæ summæ vobis
» præstitæ mihi sum conscius. Domum profecto quũ pro-
» ficiscerer, non quod fortuna vos vti prospera, sed potius
» quod in angustias maximas adductos intelligerem: re-
» uersus ad vos sum ex itinere, nonnihil opis pro virili mea
» rebus vestris adlaturus. Posteaquam veni, Seuthes hic
» multos ad me mittebat nuntios, multa mihi pollicеba-
» tur, si vos persuasissem, vt ad ipsum veniretis. Verum ego
» hac in parte nihil tentaui, quemadmodum ipsi nostis:
» sed eo vos duxi, vnde putabam celerrime in Asiam traii-
» ci posse. Nam id plurimum rebus vestris commodaturũ
» existimabam, & vos non nolle sciebam. Verum vbi cum
» triremibus Aristarchus venit, ac nos in Asiam traiicere
» nauigiis vetuit: vocaui vos ego ad concionẽ, vt quid es-
» set agendum, deliberaremus. Vos quum audiretis Ari-
» starchum mandantem, vt in Cherronesum proficiscere-
» mini, & Seuthen simul audiretis suadentem vobis, vt si-
» gna sua sequeremini: vos omnes Seuthen sequuturos di-
» xistis, eamque sententiam decreto vestro sanxistis. Quã-
» obrem exponite quæso, num quid a me factum iniuste
» fuerit, qui vos eo duxerim, quo duci omnes volueritis.
» Enimuero si Seuthes a me laudatur, posteaquam datam
» de stipendio fidem fallere cœpit: iure culpam in me con-
» fertis, iure apud vos in odio sum. Sin autem modo ma-
» xime ab eo dissideo, quo vno inter omnes hactenus ille
» amicissimo vsus est: quo iure a vobis eas ob caussas accu-
» sor, propter quas ipsas ab eo dissideo, quum vos Seuthæ
» prætulerim? Fortasse dicetis fieri posse, vt impetratis iis
» a Seuthe, quæ vobis debebantur, artificiosa dissimula-
415 tione vtar. At vero manifestum est, si quid mihi pendit
» Seuthes, id eum non sic pendisse, vt simul illa, quæ mihi
» daret, amitteret: & vobis alia persolueret. Nimirum ita

statuo

ſtatuo,ſi quid ille mihi dediſſet, ea cauſſa daturum fuiſſe:vt mihi numerata minore ſumma, vobis maiorẽ non daret. Quod ſi rem hoc pacto ſe habere exiſtimatis,faciliime id,quod geſtum a me atque ipſo eſt, irritum reddetis,ſi pecuniã ab ipſo exegeritis. Nam Seuthes haud dubie quod ab ipſo accepi,repetet, & quidem merito: ſi id non præſtitero,quod vt illi effectum darem, muneribus corrumpi me paſſus fueram. Enimuero multum abeſt, vt ego ſtipendia vobis debita interceperim. Nam per omnes Deos Deaſque iuro,me ne illa quidẽ habere, quæ mihi priuatim Seuthes promittebat. Adeſt heic ipſus, audit hæc,nouit an modo peierem. Atque vti magis etiam quod admiremini,habeatis:hoc quoque iureiurando confirmo,me non illa, quæ acceperunt duces ceteri, accepiſſe:immo ne quidem ea, quæ nonnulli cohortiũ præfecti acceperunt. Et quamobrem tamdem illud feci? Exiſtimabam,milites, me quanto æquiore animo paupertatem,qua tum premebatur,vna cum Seuthe perferrem:tanto amiciorem homini fore, poſteaquã nanctus aliquam potentiam eſſet. Nunc & ſecundis eum rebus frui video,& animum cognoſco. Fortaſſis obiecerit heic aliquis mihi:An non igitur erubeſcis, adeo te ſtulte circumuentum eſſe? Ego vero erubeſcerem, ſi ab hoſte in hunc modum circumſcriptus eſſem. At homini amico turpius eſſe duco,ſi amicum ipſe decipiat, quam ſi decipiatur. Quod ſi aliqua eſt aduerſus amicos cautio, eam vos omnino adhibuiſſe ſcio, ne huic vllam occaſionem iuſtam præberetis,quo minus id præſtaret,quod ſe præſtaturum receperat. Non vlla ipſum adfecimus iniuria,non per inertiam rebus ipſius quidquam detrimenti adtulimus, non metu deterriti ſumus, quo minus id faceremus,ad quod nos hortaretur. Forte dixeritis,pignera tunc fuiſſe capienda: ne nos, etiamſi maxime vellet, poſſet decipere. Ad ea velim audiatis, quæ contra ipſum numquam ego proferrem: niſi mihi vel omnino iniqui homines, vel admodum erga me ingrati videremini. Recordamini, quo res veſtræ loco fuerint, quum vos ad Seuthen duxi. An non vos ad Perinthi muros accedentes Ariſtarchus Lacedæmonius occluſis portis arcebat, quo minus oppidum ingrederemini? non ca-

stra sub dio foris habebatis? non media hyems erat?
Non foro vtebamini, in quo magnam rerum venalium
penuriam videbatis, quum vobis ne quidem pecunia
416 suppeteret, qua necessaria coemeretis? Taceo, quod ne-
cessario manendum in Thracia fuerit. Nam triremes in
statione nos obseruantes, quo minus traiiceremus, im-
pediebant. Iam si in Thracia subsisteremus, necesse erat
hostium in solo versari, vbi magnus nobis equitatus op-
ponebatur, magnæ cetratorum copiæ. Nobis autē gra-
uis sane armatura non deerat, qua cum vniuersa vicos
licuisset inuadere, frumentique capere non magnā pro-
fecto copiam: verum quo agmine persequi hostem de-
bebamus, ac vel mancipia vel oues rapere, nullum nobis
erat. Nec enim hactenus ego, dum vobiscum sum, vel e-
quitum vel cetratorum frequentes copias apud vos re-
peri. Si ergo, quum tali necessitate premeremini, nullū
ipse stipendium postulans, Seuthen vobis socium conci-
liarem, cui & equites erant, & cetrati, quibus vos egeba-
tis: malene consuluisse commodis vestris videbar? Nimi-
rum posteaquam his sociis vsi estis, non solum maiore
copia frumentum in vicis reperistis, quod Thraces fuge-
re maiore festinatione cogerentur: sed etiam pecudum
mancipiorumque participes facti estis. Præterea nullum
amplius hostem vidimus, posteaquam equestribus co-
piis aucti sumus. At vero prius fidentibus animis hostes a
tergo nos cum equitum & cetratorum agmine vrgebāt,
planeque impediebant, quo minus hinc inde parua ma-
nu palantes commeatum largiorem pararemus. Qui er-
go securitatem hanc vobis peperit, si præter eam nō ad-
modum ampla stipendia vobis præbuit, ideo ne vos in-
dignam in calamitatem coniecit, ac mortem vestra sen-
tentia meruit? At qui iam quæso disceditis? an non hye-
mem in magna commeatus copia exegistis, ac præter
hoc, illud etiam habetis, quod a Seuthe consequuti e-
stis? Quæ hostium erant, a vobis absumta sunt: & interea
neque vestro ex agmine trucidari vidistis vllos, nec vi-
uos amisistis. Quod si quid a vobis præclare aduersus
barbaras in Asia nationes gestum, an non id vobis inte-
grum manet, ac præterea nunc aliam nancti gloriam
estis, victis etiam Thracibus iis, qui in Europa sedes ha-
bent,

bent, ac bello a vobis lacessiti sunt? Equidem aio Diis
habendam merito a vobis gratiam pro iis ipsis, tamquã
pro beneficiis, quorum caussa mihi succenseris. Atque
hæc iam rerum vestrarum est condicio. Nunc quo loco
meæ sint, per Deos quæso consideretis. Ego quum in pa-
triam primum nauigaturus soluerem, sic discedebam:
vt & magnam a vobis laudem reportarem, & propter
vos a Græcis etiam ceteris insigni ornarer gloria. Quin
& Lacedæmonij mihi fidem habebant. Nam absque eo 417
fuisset, numquam me rursus ad vos ablegassent. Iam ita
discedo, vt & Lacedæmoniis fides mea suspecta per vos
reddita sit, & apud Seuthen vestra sim caussa in odio: de
quo si vobis adiuuantibus bene meritus essem, fore spe-
raram, vt apud ipsum ego cum liberis meis, si quos habi-
turus essem, honestissimum perfugium haberem. Inte-
rim vos, quorum ego caussa maximo sum in odio etiam
apud multo me potentiores: vos, quibus ne nunc quidẽ
studio, quantum possum maximo, commodare desino:
vos inquam ita de me statuitis. Enimuero habetis iam
me neque retractum ex fuga, neque cupientem se sub-
ducere. Quod si ea, quæ minamini, feceritis: scitote vos
illum hominem peremturos, qui non parum pro salute
vestra vigilauerit, multos vobiscum labores exanclaue-
rit, pericula multa tum suo, tum aliorum loco adierit,
atque etiam Diis fauentibus multa de barbaris tropæa
vobiscum excitarit, omni denique studio contenderit,
ne cum vllo Græci nominis inimicitias susciperetis. Ita-
que iam nemine de vobis querente, quocumque lubet,
terra marique proficisci potestis. Et vero quia se magna
vobis offert rerum omnium copia, & quo iam dudum
cupiebatis, nauigandi potestatem nancti estis: egent o-
pera vestra potentissimi homines: stipendium promitti-
tur: Lacedæmonij duces adsunt, vni omnium opinione
maximæ auctoritatis: idcirco iam vobis opportunum
esse videtur, vt me quamprimum e medio tollatis. Non
is erat animus in me vester summis in rerum angustiis, o
maxime omnium memores: sed me parentem adpella-
batis, & mei vos ita semper recordaturos policebamini,
vt qui præclare de vobis esset promeritus. Equidem hos
etiam homines, qui modo ad vos venerunt, minime ini-

" quos iudices esse arbitror. Quo fiet, vt mea sane senten-
" tia nihilo vos existimaturi sint esse meliores, quod hoc
" modo vosmet erga me geratis. Hęc proloquutus, finē dicendi fecit. Tum Charminus Lacedæmonius surgens, in hanc sententiam verba fecit: Mihi sane, milites, non iure videmini huic viro succensere. Nam & ipse illi esse testimonio possum. Quum enim Polynicus & ego apud Seuthen de Xenophonte sciscitaremur, qui vir esset: nihil ille, quod in eo reprehenderet aliud habebat, quam quod eum per esse militum studiosum diceret. Eadem de caussa fieri, vt minorem tam apud nos Lacedæmonios, quam ipsum, sit in gratia. Post hunc surgens Eurylochus Lusiensis, natione Arcas ait: Mea vero, Lacedæmonij, hæc sentētia est, vt primum hac in parte munere
418 imperatorio fungamini nostra caussa: nimirū vt nobis a Seuthe vel volente, vel inuito, stipendium impetretis: neque prius, quā id effeceritis, nos hinc abducatis. Surrexit & Polycrates Atheniensis, proque Xenophonte in hanc sententiam loquutus est: Video, milites, Heraclidem heic adesse, qui res nostro labore partas quum vendidisset, coactam ex iis pecuniam neque Seuthæ, neque nobis tradidit: sed ea interuersa, seipsum ditauit. Quare si sapimus, ab ipso, quod debetur, postulabimus. Non enim natione Thrax est, sed Græcus ipse, nos itidem Gręcos homines iniuria adficit. Ea quum Heraclides audiisset, exterritus admodum Seuthen adit, & ad eum conuersus: si sapimus, ait, hinc nos ex horum potestate subducimus. Itaque conscensis equis, in sua castra reuersi sunt. Inde Seuthes † Ebozelmium interpretem suum ad Xenophontem mittit, eumque hortatur, vt apud se cum CIↃ grauis armaturæ peditibus maneat: policetur etiam se tam sita ad mare castella daturum, quam alia, quæ promisisset. Secreto etiam renuntiat, audiisse se de Polynico, futurum: vt si Lacedæmoniorum in potestatem veniat, certum ipsi a Thimbrone exitium immineat. Idem & alij non pauci hospites Xenophonti significabant, esse nimirum grauatum calumniis, omninoque cautione ipsi opus esse. Quæ quum audiret, duabus mactatis hostiis, Iouem regem consuluit: vtrum magis ex ipsius re foret, si condicionibus iis, quas Seuthes obtulisset,

† *al. Abrazelmen.*

fisset, maneret: an vero si vna cum exercitu discederet. Significatum a Ioue, vt discederet. Post hæc Seuthes longius a Græcis castra mouet, illi vero sua in vicis locant, vnde commeatus quammaxima copia conquisita, mare versus tenderent. Eos vicos Seuthes Medosade donauerat. Itaque quum Medosades absumi a Græcis ea, quæ in vicis essent, videret: grauiter id ferebat, adsumtoque præter L plus minus equites Odrysa quodam, eorum omnium potentissimo, qui e superiore Thracia descenderant: Græcorum ad castra pergit, deque his Xenophontem ad se arcessit. Ille cum nonnullis præfectis cohortium, & aliis hominibus idoneis ad eum propius accedit. Tum Medosades dicere cœpit: Iniurij, Xenophō, in nos estis, qui vicos nostros depopulamini. Quare vobis ego Seuthæ nomine, hic Medoci superioris Thraciæ regis edicimus: vt finibus his excedatis. Id nisi feceritis, 419
haud impune feretis. Nam si agrum nostrum infestabitis, vicissim nos de vobis vt hostibus vlciscemur. Quum hæc audisset Xenophon: Equidem, ait, hæc tibi dicenti non sine animi molestia respondere possum. Sed tamen huius adulescentis caussa aliquid dicam, vt quales vos sitis, & quales item nos, * cognoscat. Nos prius, quam vobis amici facti sumus, per hanc regionem quacumque lubebat, iter faciebamus: & partim eam pro lubitu nostro populabamur, partim incēdiis vastabamus. Tu ipse, quoties ad nos legatus veniebas, nobiscum in castris pernoctabas, neque hostium quemquam metuebas. Vos e contrario in hanc regionem non veniebatis, aut si aliquando veniretis, non nisi frænatis equis pernoctabatis, ac si eorum essetis in agro, quos viribus esse superiores fateremini. Postea vero quam nobis amici facti estis, opera nostra regionem hāc possidetis. Ex ea nos iam eiicitis, quum vos illam a nobis adsentientibus vi captam acceperitis. Nosti enim ipse, non potuisse hostes hinc nos pellere. Tuque adeo tantum abest, vt nos pro nostris in te meritis muneribus donatos, & adfectos beneficiis, ablegare velis: vt etiam, quod in te quidem est, potestatem non facias nobis hac proficiscentibus castra in hac regione habendi. Atque hæc dum profers, neque Deos revereris, neque hunc hominem: qui modo te

* Lectio marginis

» ditatum videt, quum prius, quam nostræ te amicitię ad-
» iunxisses, ex latrocinio, quemadmodum aiebas ipse, vi-
» ctitares. At enim cur hæc mihi dicis? Non enim penes
» me rerum summa est, quum vos homines maxime suspi-
» ciendi Lacedæmoniis copias abducendas tradideritis,
» me non monito, vt eas tradendo gratiam apud ipsos ini-
» rem, qui id temporis in illorum odium incurri, quo ex-
» ercitum ad vos adduxi. Hæc quum alter ille Odryses au-
diuisset: Ego vero mi Medosades, inquit, dum hæc audio, præ pudore sub terrã mergor. Quod si ea prius sciuissem, non te fuissem huc sequutus, atque adeo nunc discedo. Nec enim Medocus rex vmquam me bene de nobis promeritos homines eiicientem laudauerit. Quæ quum dixisset, equo consensu discessit: sequẽtibus ipsum equitibus ceteris, extra solos quatuor aut quinque. Tũ Medosades, cui doleret agrum illum direptionibus vexari, Xenophontem hortatur, vt duos illos Lacedæmonios aduocaret. Xenophon sumtis secũ hominibus maxime idoneis, Charminum ac Polynicum accedit, vocari eos a Medosade ait, qui significare velit ipsis, vt hac regione excedant, de quo secum etiam egisset. Atque equi-
420 dem arbitror, inquit, impetraturos vos stipendium exercitui debitum: si dixeritis, vos a militibus rogatos esse, vt ipsos in extorquendis a Seuthe vel volente, vel inuito, stipendiis adiuuetis. Ea si impetretis, policeri milites, se libenter vos sequuturos. Addite, videri vobis hæc optimo iure peti: vosque policitos esse, non prius, hinc abituros, quam sit exercitui satisfactum. His auditis, Lacedæmonij respondent, ea se dicturos, & alia, quæ proferri ab ipsis possent adpositissima. Statimque cum hominibus maxime idoneis pergunt. Quum ad Medosadẽ venissent, Charminus: Dicito, inquit, si quid habes, quod nobis dicas, Medosades. Sin autem, est quod tibi nos dicamus. Tum perquam demisse Medosades: Dicimus, ait, Seuthes & ego, rogare nos, vt ab illis lædendis vos abstineatis, quos in amicitiam nostram nos recepimus. Nam quidquid horum rebus detrimenti adfertur, id totũ in nos redundat, quos illi dominos adgnoscunt. Ad ea Lacedæmonij: Discedemus, aiunt, posteaquam illis stipendium numeratum fuerit: qui, vt horum domini essetis,
effece-

effecerũt. Id nisi fiat, adsumus iam laturi eis opem, & in illos animaduersuri, qui in eos contra iurisiurandi religionem iniurij fuerunt. Quod si vos huiusmodi homines estis, a vobis primis ius nostrũ obtinebimus. Et Xenophon: Velitisne, inquit, Medosades, his ipsis permittere, in quorum regione sumus, & quos amicos esse vestros dicitis: vt vtrũ voluerint decernat, vosne his finibus †ęquũ sit excedere, an vero nos? Ei cõdicioni Medosades † *Lectio marginis.*
nõ adsentiebatur, sed hortabatur, vt ipsi potissimum Lacedæmonij Seuthen stipendij nomine conuenirent: existimare se futurum, †vt illi eum suam in sententiam adducant. Sin minus id videretur, Xenophontem secum mitterent. Simul policebatur, se negotio conficiundo non defuturum. Rogare tamen, vt ab exurendis vicis abstinerent. Missus deinde Xenophon est, & adiuncti huic, qui maxime viderentur idonei. Quum is ad Seuthen venisset, hac vsus est oratione: Adsum, Seuthes, non petiturus abs te quidquam: sed demonstraturus pro mea virili, non iure te mihi succensuisse, quod abs te militũ nomine peterem, quę tu eis alacriter policitus fueras. Nam ego non minus existimabam e re tua fore, si promissis stares: quam illis expediret accipere. Primum hos scio post Deos te illustri constituisse loco, qui te regionis amplæ, multorumque hominum regem fecerint. Quo fit, 421
vt occultum esse nequeat, siue aliquod honestũ, seu turpe facinus admittis. Magnum autem quiddam ego in eiusmodi viro esse statuo, non videri bene promeritos homines, nulla relata gratia, ablegasse: magnum etiam, a sex millibus hominum prædicari: maximum omnium, nequaquam committere, vt in iis, quæ dixeris, parum fidei mereare. Video enim orationem hominum, promissa non seruantium, vanam & imbellem esse, ac sine honore hinc inde vagari: atqui palam se veritatis studiosos declarant, eorum verba petentium aliquid, non minus possunt, quam vis aliorum. Si quem castigare velint, non minus hos minis castigando efficere animaduerto, quam alios puniendo. Si cui quid policeantur, nihilo minus aliquid impetrant, quam alij statim largiẽdo. Tu ipse tibi in mentem reuocato, quid prius nobis dederis, quam societatem tecum coiremus. Nihil pro-

† Lectio marginis.

Xenophon Seuthæ persuadet, vt stipendia numeret.

» fecto, sed creditus fore verax in iis, quæ dicebas, tot ho-
» mines excitasti ad militandum tecum, & ad occupan-
» dum regnum, quod non solum L talentis, quę hi sibi de-
» beri abs te putant: sed multo pluris est æstimandum. Er-
go† primum hominis fide digni existimatio, quæ qui-
† *Vide notas.*
dem etiam regnum tibi peperit, abs tę hac pecunia ven-
» ditur. Iam vero memoria velim repetas, quanti æstima-
» ris, vt iis potirere, quæ iam tuam in potestatem redacta
» possides. Noui ego te optaturum potius fuisse, vt ea cō-
» sequereris, quæ nos effecta tibi dedimus: quam vt pecu-
» nias multo maiores iis, quæ nobis debentur, compara-
» res. Arbitror autem tanto maius damnum, atque etiam
» turpius esse, non iam illa possidere, quam tum non oc-
» cupasse: quanto e diuite pauperem fieri grauius est, quā
» ab initio diuitias nullas habuisse: quantoque de rege ad
» priuati hominis fortunam redigi acerbius est, quam ab
» initio non regnasse. Tu vero non ignoras, eos, qui se nūc
» imperio tuo subiecere, non adductos amicitia fuisse, vt
» tibi parerent, sed necessitate: eosdem libenter in liberta-
» tem se vindicaturos, nisi quis eos metus contineret. Vtrū
» igitur magis eos arbitraris in metu futuros, teque non
» deserturos, si milites erga te sic adfectos viderint, vt &
» iam te iubente maneant, & quamprimum, si sit opus, re-
» uertantur: atque etiam alij præclara de te multa ex his
» audientes, celeriter ad te pro lubitu tuo confluant: an
422 vero si opinionem conceperint, neque venturos ad te a-
„ lios ob diffidentiam ex iis ortam, quæ modo fiūt: & hos
„ amiciore in ipsos esse animo, quam in te? Enimuero nō
„ illi, quod numero superarentur, idcirco tibi cessere: sed
„ ducum inopia. Quapropter hac etiam in parte pericu-
„ lum est, ne vel sibi præficiant eos, qui se per iniuriā frau-
„ datos abs te putant, vel etiam Lacedæmonios longe his
„ potentiores: nimirum si milites alacrius se cum illis ex-
„ peditionem suscepturos policeantur, extortis abs te per
„ ipsos stipendiis: Lacedæmonij vero condicionem acci-
„ piant, quum exercitus opera indigeant. Obscurum qui-
„ dem certe non est, eos Thraces, quos imperio tuo subie-
„ cisti, multo alacrius aduersus te, quam tecum militatu-
„ ros. Etenim quamdiu tu cum potestate es, seruitutem
„ seruiunt: te superato, libertate fruuntur. Quod si etiam

regioni consulendum est, quippe quæ iam tua sit: vtro
modo minus eam detrimenti accepturam existimas,
si milites hi receptis iis, de quibus queruntur, pace post
se relicta discedant: an vero si & ipsi maneant tamquam
in hostico, & tu des operam, vt cum maioribus, quam
illorum sint copiis aduersus eos arma sumas, quæ ta-
men & ipsæ commeatu carere non possint? Vtro iti-
dem modo plus expendetur pecuniæ, si his debitum
stipendium persoluatur: an vero si & illud debeatur,
& maioribus copiis stipendium numerandum sit? At
enim Heraclidæ, sicut & ipse mihi narrabat, hæc pe-
cunia per esse magna videbatur. Profecto multo faci-
lius est iam tibi pecuniam hanc aliunde sumere atque
expendere: quam partem eius decimam id temporis,
quum necdum ad te venissemus. Non enim numero
multum ac parum definiuntur, sed illius potestate, qui
vel dat, vel accipit. Tibi vero iam maior est in annos
singulos prouentus, quam prius id totum esset, quod
possidebas. In his ego, mi Seuthes, tuis tamquam a-
mici rebus prospiciebam, vt & tu dignus iis bonis vi-
dereris, quæ Dij tibi largiti sunt, & ego in exercitu
non opprimerer. Nam scire te volo, me iam harum
copiarum ope, si ita velim, neque hostem adficere da-
mno posse, neque tibi auxilio esse. Eo scilicet erga me
animo est exercitus. At qui teipso præter Deos, qui o-
mnia norunt, teste vtar: me neque huius exercitus caus-
sa quidquam abs te habere, neque vmquam ad vsum 423
priuatum ea petiisse, quæ ipsis debebantur: denique
ne illa quidem postulasse, quæ mihi es policitus. Im-
mo sacramento tibi confirmo, me non accepturum
ea fuisse, nisi etiam milites simul acciperent stipendium
ipsis debitum. Nam turpe mihi fuisset, rem meam con-
fectam esse, ipsorum caussa neglecta, præsertim quum
ab illis magno fuerim honore adfectus. At enim nu-
gas esse putabat Heraclides omnia, præ studio ar-
genti, quauis ratione cogendi. Ego vero, mi Seu-
thes, nullam arbitror esse homini, ac præsertim ei,
qui cum imperio sit, possessionem vel pulchriorem,
vel splendidiorem virtute, iustitia, generositate animi:
quæ cui adsunt, non potest non diues esse, quum mul-

tos amicos habeat, atque etiam alij se ad ipsius amicitiã adiũgere cupiant. Quod si fortuna prospera vtitur, habet qui vna gaudeant: sin aduersi quid accidat, non desunt qui opitulentur. Enimuero si neque de factis meis perspexisti, me amicum tibi ex animo fuisse, neque idẽ ex oratione mea cognoscere potes: saltim militum verba considerato. Etenim aderas, & quæ illi dicerent, qui vituperare me volebant, audiebas. Nam ita me coram Lacedæmoniis accusabant, quasi te pluris, quam Lacedæmonios facerem. Reprehendebant, quod tuis consultum mallem, quam ipsorum rebus. Etiã munera me aiebant abs te cepisse. Num igitur existimas eos, animaduersa in me quadam erga te maleuolentia, captorũ munerum me insimulasse: an vero, quod insigne studiũ erga te meum perspicerent? Equidem statuo, neminem non debere animi sui beneuolentiam erga illum declarare, a quo munera accipit. Tu vero me prius, quam vlla in te officia mea extarent, perhumaniter & vultu, & voce, & donis hospitalibus excepisti: quum quidem promittendi finem nullum faceres. Posteaquam perfecisti, quæ volebas, & opera mea, quãtum quidem in me fuit, maximus euasisti: nunc tandem me apud milites honore spoliatum pristino, etiam ipse contemnere audes. At enim confido, tempus ipsum te docturum, vt statuas, pecuniam hanc numerandam esse: neque teipsum laturũ amplius, vt eos, qui sua profuderũt in te beneficia, queri de te videas. Te quidem oro, vt numerata pecunia in eũ me apud milites locum, † in quem accepisti, restituere studeas. Hæc quum Seuthes audiisset, exsecrabatur eum, per quem stetisset, quo minus iamdudum stipendiũ persolutum fuisset. Eum suspicabantur omnes Heraclidem esse. Equidem, ait Seuthes, stipendium numerabo, neq; vnquam in animo habui, vt vos illo fraudarem. Tũ Xenophon: Si omnino, inquit, persoluere statuisti: rogo te, vt per me id fiat, neq; committas, vt propter te alio nũc sim apud exercitum loco, quam id temporis fuerim, quum ad te veniremus. Et Seuthes: Per me, ait, contemtui militibus non eris, & si vel cum solis CIↃ grauis armaturæ peditibus manseris, dabo castella tibi cum aliis omnibus, quæ promisi. Atenim, subiecit Xenophon, id fieri

† Fortasse scriptũ erat in manuscripto codice, in quo accepisti, vt videtur dicendũ, nisi aliquid subaudiatur. Æ. P.

424 *Seuthes Xenophõtis consilio paret.*

fieri nequaquam poteſt. Tantum nos abs te dimittito. Atqui,ait Seuthes, noui ego tutius futurum tibi, ſi mecum maneas,quam ſi diſcedas. Cui Xenophon: Laudo, inquit,ſollicitudinem de me tuam. Mihi tamen nequaquam integrum eſt heic manere. Tu velim exiſtimes, e re tua futurum, vbicumque tamdem dignitate auctus fuero. Poſt hęc Seuthes: Argenti,ait,copiam hoc tempore non magnam habeo, vnum videlicet talentum, quod tibi do. Boues mihi ſunt IↃ C, ouium plus minus IIIICIↃ, mancipia CXX. Hæc tu accipe, vna cum illorum, qui te læſerunt, obſidibus: atque ita diſcedito. Ibi ſubridens Xenophon: Quod ſi hæc, ait, non ſuffecerint ad ſtipendij perſolutionem, cuius talentum habere me dicam? an non magis expediet, a lapidibus vt mihi caueam, quum iter hoc periculo non careat? Audiſti certe ipſorum minas. Ita tum iſtic manſit. Poſtridie Seuthes, quę policitus eis fuerat, tradit: ſimul adiungit ſuos, qui ea abigerent. Interea milites aiebant, Xenophontem profectum eſſe ad Seuthen, vt apud ipſum maneret, eaq; reciperet, quæ ipſi Seuthes promiſiſſet. Verum vbi redeuntem videre, magnopere gaudebant, & ad ipſum accurrebāt. Poſteaquam Charminum, & Polynicum vidit: Hæc, inquit, per vos exercitui conſeruata ſunt, quæ quidem ego vobis trado. Vos arbitratu veſtro ea diſtribuite inter milites. Illi receptis omnibus, & manubiarum venditoribus conſtitutis, ea diſtrahebant, & magnopere accuſabātur. Xenophon minime accedebat, ſed palam ſe ad iter in patriam comparabat. Necdum enim ſuffragiis damnatus erat, vt Athenis exſularet. Veniunt heic ad eum homines e toto exercitu lectiſſimi, atque orant, ne prius diſcedat, quam copias abduxiſſet, ac Thimbroni tradidiſſet. Hinc Lampſacum nauigio traiecerunt, vbi Euclides Phliaſius vates in Xenophontē incidit, eius Cleagoræ filius, qui ſomnia in Lyceo pinxit. Is Xenophonti, quod ſaluus rediiſſet, gratulabatur: eumque interrogabat, quantum auri haberet. Cui Xenophon iureiurando ſancte confirmat, ne quidem redituro domum viatici ſatis fore: niſi & equum venderet, & quæ circa ſe haberet. Non habebat ei fidem Euclides. Poſtea quum Lampſaceni hoſpitalia munera Xenophonti miſiſſent, atque

425

Xenophōtis paupertas.

ille sacrum Apollini faciens, Euclidem iuxta se sisteret: visis extis Euclides habere se fidem ipsi aiebat, quod a pecunia non esset instructus. Atque equidem animaduerto, inquit, etiamsi quas opes olim sis consequuturus, quoddam impedimentum adparere: ac si nullum aliud fuerit, ipsemet tibi eris impedimento. Fatebatur hoc verum esse Xenophon, & Euclides porro: impedimento tibi est, inquit, Iupiter † Milichius. Simul interrogat, anne rem sacram fecisset, quemadmodum in patria, inquit, ego vobis sacrificare, totasque victimas exurere solebã. Negabat ille, se interea, dum patria abfuisset, huic Deo sacrificasse. Quare suadebat Euclides, vt in hunc modũ rem sacram faceret, idque ipsi profuturum aiebat. Postridie Xenophon Ophrynium progressus sacrificabat, & porcos integros ritu patrio exurebat, estque tum perlitatum. Venit eodem die Bito cum Euclide, qui pecuniam exercitui daturi erant. Hi cum Xenophonte hospitij necessitudine inita, gratis ei restituunt equum ab se redemtum, quem Lampsaci L. nummis Daricis vendiderat, quod suspicarentur illum propter inopiam fuisse venditum, quum Xenophon eo mirifice delectaretur, vt ab aliis acceperant. Hinc per † Troiam profecti, superata Ida, primo Antandrum perueniunt, deinde propter orã maris * Asiæ, ad Thebes campum. Illinc per Attramyttiũ & Certonium haud procul ab Atarnis ad Caici campũ delati, Pergamum † Lydiæ ciuitatem adtigerunt. Heic Xenophon hospitio excipitur ab Hellade Gongyli Eretriensis vxore, quæ Gorgionis & Gongyli mater erat. Significat hæc ipsi, Asidaten in illa esse planicie campestri, hominem natione Persam. Quod si noctu cum ccc aduersus hunc pergeret, posse & ipsum, & vxorem eius, & liberos, & opes, quæ quidem magnæ sint, capi. Addit etiam, qui duces itineris essent, consobrinum suum, &
426 Daphnagoram, quem maximi faciebat. Quos vbi secum habebat Xenophon, exta consulit. Tum Eleus * Agasias hariolus perpulchra esse dixit exta, & posse omnino hominem capi. Quare quum cœnasset, sumtis secum præfectis cohortium amicissimis sibi, & quorum semper ei perspecta fuerat fides, vt aliquo eos beneficio adficeret, proficiscitur. Egrediuntur & alij cum eo quidam, id ferre coa-

† Cognomentũ hoc Iouis apud Athenienses, quasi dicas mitis. Idem Baccho tributũ. Athẽ. in III.

† al. Troadem.

** al. Lydiæ. male.*

† Mysiæ rectius.

** al. Basias*

re coacto, plus minus ɪↄ c. Verum ab eis præfecti cohortium discedunt, ne pars pecuniæ, quam paratam fore putabant, ipsis cederet. Quum ad locum nocte media peruenissent, mancipia, quæ circum turrim erant, aliasque res plurimas dilabi sinunt: vt ipso, cum suis, Asidate potirentur. Quumque turrim oppugnando capere non possent, quod esset alta, & ampla, neque propugnacula & homines complures ad pugnandum idonei desiderarentur: conati sunt eam perfodere. Habebat murus VIII laterculorum fictilium latitudinem. Quamprimũ illucesceret, iam perfossus erat & peruius: quum quidam eorum, qui erant intus, veru pungẽdis bobus facto femur eius, qui ad turrim proxime accesserat, ictu transfodit. Deinde sagittas excutiendo efficiebant, vt amplius aliquis accedere tuto non posset. Simul clamantibus ipsis, & per ignes signum dantibus, Itabelius cum copiis suis, itemque ex Comania grauis armaturæ † præsidiarij, cum equitibus Hyrcanis, regis stipendiariis, plus minus LXXX, & aliis cetratis prope ɪↄ CCC, opis ferendæ caussa accurrunt. Idem alij faciunt equites e locis vicinis, * Parthenio, Apollonia, ceteris. Iam tempus erat, vt quomodo discedendum esset, consideraretur. Quare bobus, quotquot istic erãt, & ouibus, & mancipiis intra quadratum agmẽ receptis, abigebant omnia: nec iam de pecunia cogitabãt, sed ne discessus fugæ similis esset, si relictis rebus iam partis abscederent, ac non solum hostes audaciores euaderẽt, sed etiam milites animis deiectiores. Ita tamen discessum, vt pugnaturi pro præda viderentur. Quum autem Gongylus Græcos numero paucos esse videret, ac multos a quibus vrgerentur, inuita matre cum copiis suis egreditur, vt huius facti particeps esset. Ferebat & Procles ex Elisarne ac Teuthrania nostris opem, qui genus a Damarato ducebat. Milites Xenophontis, quum iam sagittis & fundis grauiter premerentur, agmine in orbẽ conuerso, vt haberent arma telis opposita, difficulter * Caicum amnem transeunt, pæne dimidia parte saucij. Fuit & Agasias Stymphalius, cohortis ductor, vulneratus: qui perpetuo aduersus hostes dimicabat. Ita salui se recipiunt, quũ mancipia CC plus minus haberẽt, & oues, quę

† al. Assyrij.

* al. Parthenico.

* al. Cancasum.

427

ad sacrificia sufficerent. Postridie Xenophon, facta re sacra, copias omnes noctu educit, vt quã longissime progrederetur in Lydiam, ne propter viciniam metueretur, ac negligentius hostes sibi cauerent. Asidates posteaquã intellexit, Xenophontem iterum de copiis aduersus se ducendis exta consuluisse, totoque cum exercitu venturum: castra mouet in vicos, sub oppidum Parthenicum pertinentes. Heic in eum Xenophontis milites incidũt, & ipsum cum vxore, liberis, equis, fortunis omnibus capiunt. Ita priori sacrificio tum respondit euentus. Redeunt deinde Pergamum. Ibi vero Xenophon non iam de illo † Deo querebatur amplius. Nã & Lacedæmoniis & cohortium præfectis, & ceteris ducibus, ipsisque militibus adiuuantibus impetrarat, vt & equos, & iuga, & alia quædam eximia acciperet: quo factum est, vt iam ei facultas etiam benefaciendi aliis non deesset. Secundum hæc quum Thimbro venisset, exercitus ei traditus est: isque copias has cum reliquo agmine Græco coniungens, bellum Tissapherni & Pharnabazo intulit. Præerant autem hi ditioni regiæ, quam nos ingressi peragrauimus: Lydiæ, Artimas: Phrygiæ, Artacamas: Lycaoniæ & Cappadocię, Mithradates: Ciliciæ, Syennesis: Phœniciæ & Arabiæ, Dernes: Syriæ & Assyriæ, Belesis: Babyloni, Roparas: Mediæ, Arbacas: Phasianis & Hesperitis, Teribazus. Carduchi, Chalybes, Chaldæi, Macrones, Colchi, Mosynœci, † Cœti, Tibareni, sui iuris erant. Paphlagoniæ cum imperio præerat Corylas: Bithynis, Pharnabazus: Thracibus, qui in Europa sedes habent, Seuthes. Totum iter quum in ascendendo, tum descendendo, castris CCXV confectum, parasangas habuit CIↃCL, stadia vero XXXIIII CIↃ & CCLV. Temporis interuallum, quo adscendimus & descendimus, annus vnus, ac tres menses.

† *Ioue Milichio, vt paullo ante.*

† *al. Cœtæ.*

XENO-

XENOPHONTIS †HISTORIARVM GRÆCARVM LIBER I.

† Hunc titulũ quibusdã in libris inuentũ retinere libuit.

Argvmentvm.

1. *Xenophon huius historiæ initium inde ducit, vbi Thucydides desinit, videlicet a rebus, quæ* XXI *belli Peloponnesiaci anno sunt gestæ.* 2. *Athenienses a Lacedæmoniis vincuntur.* 3. *Lacedæmonij ab Atheniensibus superantur.* 4. *Lacedæmoniorum clades.* 5. *Syracusani duces exilio multantur.* 6. *Hermocratis encomium.* 7. *Tassus insula a Lacedæmonijs deficit.* 8. *Agis, Lacedæmoniorum Rex, ad Athenarum muros excurrit: sed inde repellitur.* 9. *Annibal Siciliam quando, quibus copiis inuaserit, & quid in ea fecerit.* 10. *Milesiorum clades.* 11. *Thrasylus Atheniensis Ephesum irrito conatu aggreditur.* 12. *Atheniensium strages.* 13. *Militum Alcibiadis arrogãtia.* 14. *Alcibiades Chalcedonẽ obsidet.* 15. *Induciæ inter Pharnabazũ, & Athenienses factæ.* 16. *Alcibiades Selymbriam capit.* 17. *Græci Legatos ad Persarum Regem mittunt.* 18. *Byzantium ab Atheniensibus acriter obsidetur.* 19. *Anaxilaus quomodo fuerit absolutus.* 20. *Byzantium ab Atheniensibus recuperatur.* 21. *Cyrus iunior Asiæ minori præficitur.* 22. *Alcibiades in patriam quando, & quomodo redierit.* 23. *Varia hominum de Alcibiade iudicia.* 24. *Res ab Alcibiade, post reditum in patriam, gestæ.* 25. *Lysander classis Laconicæ Prætor creatur.* 26. *Cyrus Lacedæmonijs auxilium pollicetur.* 27. *Lysandri erga Cyrum astutia.* 28. *Improbum Alcibiadis consilium.* 29. *Inclinatio fortunæ Alcibiadis.* 30. *Antiochi temeritas.* 31. *Lysandri victoria, quam ab Atheniensibus reportauit.* 32. *Alcibiadi quando, & cur imperium ab Atheniensibus abrogatum.* 33. *Cononis imperium nauale.* 34. *Arrogans Lysandri oratio.* 35. *Callicratidas ab amicis Lysandri*

oppugnatur. 36. Callicratidæ mores, ac ingenium minime aulicum. 37. Callicratidas Methymnam capit. 38. Cononem vincit, victum obsidet. 39. Cononis stratagema. 40. Atheniensium alia clades. 41. Prælium ad Arginusas inter Athenienses, & Lacedæmonios commissum, in quo Lacedæmonij ab Atheniensib. victi. 42. Eteonici stratagema. 43. Duces Athenienses Athenis cur in vincula coniecti. 44. Theramenes duces accusat iniuste: sed illi se purgant, & iustam excusationem afferunt. 45. Senatusconsultum de ducibus, quod Socrates nullo modo probare, suaque sententia ratum facere voluit. quo facto suam constantiam in legibus accurate seruandis indicauit. 46. Euryptolemi pro ducibus oratio. 47. Duces iniquis populi suffragijs damnati, capitali supplicio plectuntur.

428 *Incipit Xenophon vbi desinit Thucydides: videlicet a gestis anno XXI belli Peloponesiaci.*

Athenienses superantur.



ON multis post hæc diebus interiectis, Thymochares Athenis cum paucis nauibus venit: ac statim Lacedæmonij & Athenienses prœlio nauali rursum congressi sunt, in quo Lacedæmonij ductu Hegesandridæ victores euaserunt. Paullo post Dorieus, Diagoræ filius, hyemis initio cum XIV nauibus Rhodo profectus, prima luce Hellespontum ingreditur. Eum posteaquam speculator Atheniensium diurnus conspexisset, prætoribus signum dedit: atque ita illis aduersus eum prouectis cũ viginti nauibus, arrepta fuga Dorieus, ad terram triremes suas subducit, quum circa Rhœteum in mare largius prodiisset. Vbi vero propius ad eum delati essent Athenienses, de nauibus ac terra pugnatum est eo vsque: donec infecta re ad reliquas copias suas Atheniẽses Madytum discederẽt. Hac pugna conspecta Mindarus, qui apud Ilium Mineruæ sacrificabat, vt subsidium mari suis ferret, nauesque Doriei reciperet: deductis triremibus e portu soluit. Tum Athenienses aduersus eos prouecti. propter lytus ad Abydum prœlio nauali decernũt, quod quum a matutino tempore ad vesperam vsque perdurasset, ac partim vincerent: partim vincerentur: cum nauibus XVIII Alcibiades superuenit. Ex eo Peloponesij

versus

versus Abydum fugere, Pharnabazus e proximo illis opē ferre, qui quidem ingressus equo mare, quousque poterat, dimicabat: idemque vt facerent, equites, peditesque suos hortabatur. Peloponesij nauibus constipatis, & opposita hostibus acie, non procul a littore pugnabant. Tamdem Athenienses cum XXX vacuis hostium nauibus, quas ceperant, ac suis in prœlio corruptis, discedūt, easque Sestum perducunt. Inde naues aliæ alio, exceptis XL, pecuniæ cogendæ caussa extra Hellespontum proficiscuntur: vnus e ducibus* Thrasylus Athenas nauigat, vt partim hæc suis renunciaret, partim alias copias & naues peteret. Post illa venit in Hellespōtum Tissaphernes, & Alcibiadem cum triremi ad se profectum, hospitaliaque & alia munera ferentem comprehendit, ac Sardibus in vincula coniicit: quod mandasse regem diceret, vt Athenienses hostium loco haberentur. Verum triginta secūdum illa diebus elapsis nancti equos Alcibiades & Mantitheus, qui captus in Caria fuerat, noctu Clazomenas aufugiunt. Interea qui apud Sestum erant Athenienses, quum animaduerterent aduersus se Mindarum cum LX nauibus adfuturum: noctu Cardiam profugiunt. Eodem & Alcibiades Clazomenis cum quinque triremibus & vna naui actuaria venit. Quumque Peloponesiorum naues Abydo deductas Cyzicum audiisset: pedes ipse Sestum accessit, naues vt ambitu facto, mari eo tenderent, iussit. Eæ posteaquam venissent, & ipse iamiam soluturus esset, ac nauali prœlio cum hoste congressurus: superuenit e Macedonia cum nauibus XX, Theramenes, & Trasybulus e* Thaso cum aliis XX, quorum vterque pecuniam coegerat. Iubet hos se subsequi, detractis velis maioribus, Alcibiades: ipse Parium nauigat. vbi quum naues vniuersæ in vnum conuenissent, numero LXXXVI, nocte sequenti soluunt, ac die post eam proximo sub prandij tempus ad Prœconesum adpellunt. Intelligunt heic, Mindarum, itemque Pharnabazum cum pedestribus copiis apud Cyzicum esse. Quapropter istic eo die subsistunt. Postridie vocato ad concionem milite Alcibiades, sic eos cohortabatur: vt simul & nauali, & pedestri prœlio decertandum, & muros oppugnandos diceret.

Athenienses vincūt.

429

*al. Thrasyllus.

Alcibiades a Tissapherne capitur.

*al. Tasso.

Desunt enim, ait, nobis pecuniæ, quarum hosti copiam rex abunde suppeditat. Die ante illum diem proximo, quum portum ingressi essent: naues vniuersas & in his etiam nauigia parua collegerat ad se, ne quis hostibus nauium numerum enuntiaret: simul per præconem edixerat, morte multatum iri, quicumque traiicere deprehenderetur. Posteaquam concionem habuisset, rebus vniuersis ad naualem pugnam comparatis, Cyzicum magna in pluuia pergit. Eo quum propius accessisset, & cælum esse sudum, sole iam fulgente, cœpisset: sexaginta Mindari naues, quæ se procul a portu exercerent, & iam interceptæ erant, conspicit. Peloponesij quum triremes Atheniẽsium & plures viderent esse, quam prius, & portui proximas: ad terram fuga se recipiunt, & nauibus simul ad stationem adpulsis, in hostes aduersus se tendentes dimicant. Interim Alcibiades nauibus xx circumuectus, in terram copias exponit. Hoc viso Mindarus & ipse in terram descendit, ac pugnans interficitur. Tum milites ipsius fugere, naues vniuersas Atheniẽses ad Prœconesum deducere, solis Syracusanis exceptis, quas ipsi Syracusani exusserunt. Inde Athenienses postridie Cyzycum nauigant. Tum Peloponesiis ac Pharnabazo vrbẽ deserentibus, Cyziceni Athenienses admittunt. Heic quum dies xx commoratus fuisset Alcibiades, grandi a Cyzicenis accepta pecunia, nullo præterea damno eis illato, in Prœconesum reuertitur. Inde Perinthum ac * Selymbriam nauigat, ac Perinthij quidem exercitum in vrbem admittunt: † Selymbrienses autem non illi quidem eos admisere, pecuniam tamen numerarunt. Inde Chrysopolim Chalcedoniæ delati, oppidũ illud muris cingunt, locumque in eo ad colligẽdas decumas cõstituunt. Decuma de venientibus e Ponto nauibus exigebatur. Relictum heic xxx nauium præsidium cũ duobus ducibus, Theramene ac Eubulo, qui & oppidum & naues e Ponto venientes obseruarent, aliisque damnis hostes, quibuscumque possent, adficerẽt. Reliqui duces in Hellespontum discedunt. Interceptæ sunt & litteræ, atque Athenas perlatæ, quæ ab Hippocrate Mindari † legato Lacedæmonem missæ fuerant. Earum hæc erat sententia. Actum de præclaris rebus nostris obiit Mindarus:

Margin: 430 (beside "gna in pluuia pergit")

Lacedæmoniorũ clades.

Cyzicum Atheniẽses occupant.

** Selybriã.*

† Selybrienses.

Iidẽ Chrysopolim capiunt.

† hoc significat ἐπιστολεύς. Pollux lib. 1 cap. 9.

darus: esuriunt milites: quid agendum sit, ex inopia cōsilij nescimus. At Pharnabazus vniuersas Peloponesiorū copias, & † Syracusanos cohortatus, vt saluis adhuc corporibus, lignorū caussa minime deiectis animis essent, quorum vim magnam ditio regis haberet: vestem singulis, cum viatico duum mensium donat. Præterea nautas armat, & regionem suam maritimā præsidiis munit. Conuocatis etiam prætoribus vrbium, & triremiū præfectis, apud Antandrum triremes tot ædificare iubet, quot ipsorum quisque amisisset: simul & pecunia subleuat eos, & materiam ex Ida sumendam indicari iubet. Dum hæc classis ædificatur, Antandrij Syracusanorum ope muri partem quamdam absoluūt, & in præsidio eorumdem opera mirifice probata fuit. Eas ob caussas factum, vt Syracusani & bene de Antandro promeriti dicantur, & eius ciuitatis ius etiam nunc habeant. His ita constitutis, Pharnabazus mox Chalcedonem, vt opem ei ferret, contendit. Accepere nuntium hoc tempore Syracusanorum duces exsilij sui, quod eis plebis scito fuerat irrogatum. Quapropter conuocatis militibus, Hermocrate ceterorum nomine verba faciente, calamitatē suam deplorant: qui per iniuriam, & præter leges vniuersi exsulare iuberentur. Hortantur inde, vt etiam deinceps ad imperata facienda promte fortiterque se gererent, quemadmodum fecissent hactenus: & magistratus legerent, donec adessent ij, qui iam suo essent loco designati. Milites clamore sublato, ipsi vt cum imperio essent, iubent: inprimisque volebant hoc triremiū præfecti, & † epibatæ, & gubernatores. Duces contra monēt, aduersus rempublicam seditionem mouendam non esse. Si vero accusationes in se ab aliquo instituerentur, suā vt caussam agerent, hortantur: in memoriam reuocantes, quot naualibus prœliis victores ipsi nullis adiutoribus fuissent, quot cepissent naues, quoties cum aliis inuicti ductu suo extitissent. Etiam locum, inquiunt, honestissimum in acie, quum propter virtutem nostram, tū alacritatem vestram habuistis, siue quid terra, siue mari gereretur. Quum neque quisquam in eos quidquā culpę conferret, & ab omnibus rogarentur: mansere, donec qui eis succederent, duces aduenirent. Erant hi Demar-

† eorum socios.

431

Syracusani duces exilio multantur.

† Vtitur hac voce etiā Hirtius. Significat autē classiariū militem.

chus Pidoci, Musco Menecratis, Potamis Gnosiæ, filij.
Quumque maxima pars præfectorum triremibus iure-
iurando confirmasset, se illos, posteaquam Syracusas re-
diissent, in patriam reducturos: etiam laudibus prose-
quentes ita dimiserunt omnes, vt quo visum esset, con-
cederent. Inprimis diligentiam Hermocratis, & alacri-
tatem, & popularitatem desiderabant, quo priuatim fa-
miliariter vtebatur. Nam de triremium præfectis, & gu-
bernatoribus, & epibatis optimum quemque sibi co-
gnitum singulis diebus ad contubernium in taberna-
culum suum mane ac vespere inuitabat, & cũ eis quid-
432 quid vel dicturus, vel facturus esset, communicabat.
Docebat etiam eos; & quædam non meditata extem-
plo proferre iubebat, quædam non nisi re deliberata.
Ob has res magna erat Hermocratis in consessu publi-
co gloria, quod optima quæque tum dicere, tum consu-
lere existimaretur. Idem quum Tissaphernem Lacedæ-
mone accusasset, ac nõ solum Astyochi testimonio sub-
leuaretur, sed etiam ipse verũ dicere visus esset: ad Phar-
nabazum se conferens, pecuniam prius, quam peteret,
impetrabat: eaque comparata stipendiariorum militũ
& triremium copia, reditum in patriam moliebatur. In-
terea Syracusanorum [ducum] successores Miletum ve-
niunt, eisque copiæ cum nauibus exercitus traditę sunt.
Eodem tempore coorta in Thasso seditione, omnes qui
a Lacedæmoniorum partibus stabant, vna cum Lacedæ-
monio præfecto Eteonico pelluntur. Id quia Tissapher-
ne iuuante, Pasippidas Lacedæmonius perfecisse crede-
retur: Sparta exsulare iussus est. Eius loco ad nauales
copias, quas ipse de sociis coegerat, Cratesippidas mis-
sus: in Chio suam eas in potestatem accepit. Accidit hoc
etiam tempore, dum Athenis Thrasylus ageret; vt Agis
Decelea prædatum egressus, ad ipsos vsq; muros Athe-
niensium accederet. Ibi Thrasylus & Athenienses, & a-
lios omnes, qui erant in vrbe, educit: propterque gym-
nasium Lyceum aciem opponit hostibus, manum con-
serturus, si accederent. Quod quum vidisset Agis, celeri-
ter abduxit suos, amissis paucis extremo in agmine, quos
velites interemere. Accedit hoc Atheniensiũ erga Thra-
sylum studia, vt alacrius ei concederent, cuius ipse rei
caussa

Hermocratis laudes.

Thassus insula a Lacedæmoniis deficit.

Agis rex Lacedæmonius ad Athenarum muros excurrit.

Agis repellitur.

caussa venerat. Nam decretum, vt delectu habito, CIↃ grauis armaturæ pedites, equites C, triremes L sumeret. Agis autem, quum e Decelea frumento onusta complura nauigia ferri cursu in Piræeum cerneret: frustra suos aiebat lõgo iam temporis spatio terra prohibere Athenienses, nisi quis eos ab illis etiam locis excluderet, vnde mari frumentum veheretur. Adeoque optimum fore, si Clearchus Ramphij filius, qui publicus esset Byzantiorum hospes, Chalcedonem Byzantiumque mitteretur. Hac sententia comprobata, discessit is, explentibus XV nauium numerum Megarensibus ac reliquis sociis, quæ ipsæ magis essent militi vehendo idoneæ, quam celeres. Harum tres in Hellesponto a IX Atticis nauibus demersæ sunt, quæ perpetuo in iis locis naues obseruabat. 433
Ceteræ Sestum fuga se recipiunt, ac saluæ Byzantium inde perueniunt. Atque hic eius anni finis fuit, quo Karthaginienses Hannibale duce cum CCCIↃↃ hominũ in Siciliam profecti, trium mensium spatio Greci nominis oppida duo, Selinuntem & Himeram ceperunt. Anno sequente, in quem olympias XCIII incidit, qua Elei Euagoræ adiuncta biga victoriam consequuta est, vincente in stadio Eubota Cyrenensi, quum apud Spartanos Ephori magistratum Euarchippus gereret, Athenis Euctemon † Archontis officio fungeretur: Thoricum Athenienses muniuerunt, & Thrasylus sumtis nauibus sibi decretis, & nautis IↃↃ cetratorum instar armatis, vt iis simul tamquam cetratis vteretur, æstate ineunte ad insulam Samum nauigauit. Vbi quum triduum mansisset, Pygela discedit. Heic & agros populatur, & ad oppidi murum copias admouet. Tum Milesij quidam Pygelensibus opem ferentes, palatos hinc inde velites Atheniensium persequuntur. At vero cetrati, & grauis armaturæ peditum cohortes duæ, velitibus suis ope lata, illos omnes, qui Mileto venerant, extra paucos quosdam, occidunt: scutis, plus minus, CC potiuntur: tropæum statuunt. Postridie Notium nauigant. Inde paratis ad iter rebus omnibus, Colophonem pergunt. Transeunt in eorum partes Colophonij. Nocte proxima Lydiam ingrediuntur, matura iam segete, multosque vicos exurunt: pecuniã, mancipia, prędam aliam ingentẽ rapiunt.

Hannibal Siciliam inuadit.

† Vide Suidam in voce ἄρχων.

Milesiorũ clades.

Tum Persa quidam Stages, qui his in locis ageret, quo tempore Athenienses hinc inde sparsi, ac prædæ separatim intenti erant, equitum subsidio viuum vnum capit, & septem interficit. Post hæc ad mare Thrasylus copias ducit, quasi Ephesum nauigaturus. Eo conatu hominis animaduerso Tissaphernes, magnas cogebat copias, equitibusque dimissis imperabat omnibus, vt Dianæ latum opem Ephesum accurrerent. Thrasylus die, postquam inuasisset Lydiam, XVII Ephesum nauigat: grauem armaturam ad Coressum exponit: equites, cetratos, epibatas, ceteros omnes propter paludem, ex oppidi parte altera: quumque iam illuxisset, bipertitum exercitum admouet. Contra oppidani, auxiliares a Tissapherne adducti, Syracusani tam illi, qui XX nauibus primi venerant, quam qui nauibus V aliis, quæ recens cum Eucleo Hipponis, & Heraclide Aristogenis filiis, prætoribus, adpulerant, itemque Selinuntiæ duæ naues: omnes inquam hi opis ferendæ caussa se coniungunt, ac primum grauis armaturæ pedites, qui erant Coressi, adgrediuntur. Eos posteaquam in fugam vertissent, & interfectis plus minus C, reliquos vsque ad mare persequuti fuissent: ad eos, qui propter paludem erant, se conuertunt. Coniecerunt & illic se Athenienses in fugam, CCC eorum interfectis. Statuerunt hoc loco tropæum Ephesij, & alterum apud Coressum. Syracusanis & Selinuntiis permultis, qui præclarissime se gesserant, præmia fortissimo cuique debita, publice priuatimque data: concessa & immunitas perpetua, si quis esse ciuis cuperet: Selinūtiis etiam hoc, vt quando patriam illi amisissent, Ephesi ius ciuitatis haberent. Athenienses receptis per inducias mortuis, Notium discedunt. Heic quum illos humassent, Lesbum versus & Hellespontum nauigant. Ingressi Methymnensem in Lesbo portum, naues illas XXV Syracusanas ex Epheso præteruehi conspiciunt. Itaque aduersus eas in altum prouecti, quatuor vna cum ipsis vectoribus capiunt, reliquas Ephesum vsque persequuntur. Captiuos ceteros Athenas Thrasylus omnes mittit, vnum Alcibiadem Atheniensem, consobrinum Alcibiadis, exsiliique socium, lapidibus obrui iussit. Hinc Sestū ad exercitum nauigat, vnde copiæ vniuersæ Lampsacum tra-

Thrasylus Ephesum adgreditur irrito conatu.

434

Atheniēsium strages.

traiiciunt. Aderat iam hyems, qua captiui Syracusani, qui in Pyræeo lapicidinis inclusi erãt, saxo perfosso, noctu partim fuga Deceleam, partim Megara dilapsi sunt. Ceterum quum vellet apud Lampsacum Alcibiades vniuersas copias in eosdem ordines redigere, nolebant milites illi, quib. ante hac vsus erat, in eosdem cũ Thrasyli militibus ordines collocari: quod se pro inuictis ducerent, illi victi venirent. Omnes heic tamen in hibernis habiti, quum Lampsacum muniissent: expeditionẽ aduersus Abydum suscepere. Ferebat his opem magna cum equitum manu Pharnabazus. Sed prœlio superatus, terga dedit. Hunc cum equitatu suo, & CXX grauis armaturæ peditibus, quibus Menander præerat, persequi nõ destitit Alcibiades, donec tenebræ ipsum eriperent. Post hanc pugnam milites inter se sponte sua permisti, complectebãtur eos, qui cum Thrasylo fuerant. Eadem hyeme diuersis aliis vicibus egressi, ditionem regis populationibus vexabant. Hoc etiam tempore Lacedæmonij quosdam Helotas, qui e Malea in Coryphasium secesserant, fide data dimiserunt. Et Heracleæ Trachiniæ aduenas Achæi, quum omnes aduersus Oetæos hostes publicos in acie starent, deseruere: quo factum, vt eorum ad IↃCC vna cum Labota, qui missus eis erat Lacedæmone præfectus, interficerentur. Hic eius anni fuit exitus, quo etiam Medi, qui a Dario Persarum rege defecerant, rursus ei se dediderunt. Anno sequente Mineruæ fanum apud Phocæenses, delapso in id † prestere, succensum fuit. Hyeme iam exacta, quum Pantacles Ephori, Antigenes Archontis munere fungeretur, essent autem elapsi anni ab initio belli † XXII: primo vere cum vniuersis copiis Athenienses in Prœconesum nauigant. Inde Chalcedonem versus ac Byzantium profecti, castra Chalcedoni admouerunt. Chalcedonenses, posteaquam de Atheniensium aduentu cognouere: fortunas suas omnes apud Thraces, qui Bithyni erant, oppidoque ipsorum finitimi, deposuere. Tum Alcibiades sumtis secum, præter equites, grauis armaturæ peditibus non multis, ac mandans, vt oram maris naues legerent: in Bithynorum fines pergit, & Chalcedonensium fortunas repetit: ni pareãt, bello se ipsos adgressurum minatur. At illi eas

Militum Alcibiadis arrogantia.

435

† q. d. ardente turbine. Vide Plin. lib. II. cap. 48. & sequẽte.

† XXV.

Alcibiades Chalcedonem obsidet.

tradidere. Posteaquam in castra reuersus Alcibiades esset, iam spoliis auctus, & constituta cum Bithynis pace: Chalcedonem cum copiis vniuersis ab vna maris parte ad alteram ligneo muro cinxit, intercluso etiam flumine, † quantum eius fieri poterat. Tum præfectus Lacedæmonius Hippocrates oppido militem suum prœlio cum hoste cogressurus, educit. Instruitur aduersus eum ab Atheniensibus acies. Interea Pharnabazus extra murum, quo vrbs cingebatur, cum copiis suis & magno equitatu opem obsessis ferebat. Itaq; Thrasylus & Hippocrates, vterque grauis armaturæ peditibus instructus, inter se diu dimicarunt: donec cum nonnullis armaturę grauis peditibus, & equitatu, suis Alcibiades opem ferret. Tunc & interfectus fuit Hippocrates, & milites ipsius fuga se in oppidum receperunt. Pharnabazus etiam

† Lectio marginis.

436 quum partim propter fluminis † angustiam, partim quod murus ille ligneus, quo cingebatur vrbs, abesset prope, coniungere se cum Hippocrate non posset: suos ad Fanum Herculis, quod est in agro Chalcedonensium, & quo loco castra habebat, abduxit. Posthæc Alcibiades, pecuniæ cogendæ caussa, in Hellespontum & Cherronesum profectus est: ceteri duces in has condiciones de Chalcedone cum Pharnabazo pacti sunt: Daret Atheniensibus Pharnabazus talenta xx, & ad regem legatos Atheniensium deduceret. Tum iusiurandum vltro citroque præstitum, Atheniensibus tantum tributi soluturos Chalcedonenses, quantum antehac consueuissent: daturos item pecuniam debitam: contra, nõ facturos Chalcedonensibus bellum Athenienses, donec legati a rege adessent. Quum hoc iusiurandum præstaretur, non aderat Alcibiades: quippe qui tunc ad † Selymbriam esset. Ea capta, Byzantium cum Cherronesiis vniuersis, militibus item e Thracia, & equitibus supra ccc, accessit. Exspectabat Chalcedone Pharnabazus, dũ Byzantio veniret Alcibiades: quem ipsum quoque præstare iusiurandum illud, æquum censeret. Quum is venisset, iuraturum se negabat, ni & ille sibi iuramentum præstitisset. Ita deinde Chrysopoli Alcibiades Metrobati & Arnapi, Pharnabazi legatis: Pharnabazus Chalcedone legatis Alcibiadis, Euryptolemo & Diotimo, non solum

† In marg. στενοπορίαν, id est, transitus in amne angustiã.

Inter Pharnabazum & Athenienses induciæ.

Alcybiades Selymbriam capit.

† al. Selybriam.

ſolum iuſiurandum publicum præſtiterunt: ſed priuatim etiam ipſi fœderibus ſe deuinxerunt. Quo facto, recta Pharnabazus diſcedit, ac legatos ad regem proficiſcentes occurrere ſibi apud Cyzicum iuſſit. Miſſi fuere Athenienſiũ nomine Dorotheus, Philodices, Theogenes, Euryptolemus, Mantitheus: & cũ his Argiui, Cleoſtratus & Pyrrholochus. Etiam Lacedæmoniorum legati, Paſippidas, cum ceteris, ad regem perrexere: quibus ſe coniunxit Hermocrates, qui iam Syracuſis exſulabat, eiuſque frater Proxenus.

Græcorũ ad Perſarum regẽ legati.

Byzantij obſidio.

Interea dum hos Pharnabazus deducit, Athenienſes Byzantium vallo cinctum obſident, & velitando atque excurrendo ad ipſos vſq; muros procedunt. Erat in vrbe Clearchus Lacedæmonius præfectus, & cum eo nonnulli ex vicinis, itemque † noui populares pauci, & Megarenſes cum Helixo Megarenſe duce ſuo, & Bœoti cum Cyratada duce. Athenienſes quum nihil efficere vi poſſent, Byzantiis quibuſdam 437
perſuadent, vt vrbem proderent. At Clearchus præfectus, qui neminem hoc moliri putaret, rebus omnibus pro virili egregie conſtitutis, atque oppido Cyratadæ & Helixi fidei commiſſo: ad Pharnabazum in litus oppoſitum traiicit, partim vt ab eo ſtipendium pro milite ſumeret, partim vt naues cogeret, quæ & in Helleſponto erant, a Paſippida in excubiis relictæ, & apud Antandrum: & quas in Thracia Hegeſandrides habebat is, quem Mindarus illic præfecerat, vt etiam aliæ nouæ conſtruerentur, & vniuerſæ in vnum coactæ ſocios Athenienſium adfligerent, eaque ratione a Byzantij obſidione copias ipſorum abſtraherent.

† Neodamodes, vox Laconica, Latinis Liberti. Pollux in 3. cap. 8. Vide Notas.

Poſteaquam Clearchus ſoluiſſet, erant hi, qui Byzantium prodere volebant: Cydo, Ariſto, Anaxicrates, Lycurgus, Anaxilaus: qui deinceps quum ob hanc proditionem Lacedæmone capitis arceſſeretur, abſolutus fuit: quod vrbem ab ſe non proditam, ſed conſeruatam diceret: quum pueros ac mulieres fame pereuntes videret, præſertim ipſe non Lacedæmonius, ſed Byzantius. Nam quod in vrbe frumentum erat, Clearchus Lacedæmoniorum militibus dederat. Itaque ſe hoſtes intromiſiſſe aiebat, neque pecunia corruptum, neque Lacedæmoniorum odio. Poſtquã hi cum hoſte rẽ compoſuiſſent, noctu por-

Anaxilaus qua ratione abſolutus fuerit.

** Vide supra initiũ vij. ἀναβάσ.*

tis iis apertis, quæ ad * Thracium adpellantur, cum exercitu Alcibiadem introducunt. Tum Helixus & Cyratadas, qui horum nihil intellexerant, cum vniuersis ad forum opis ferendæ caussa concurrunt. Verum quia tenerent vbique hostes omnia, nec aliquid aliud facere

426

Byzantij recuperatio.

possent, hosti se dedunt. Missi sunt illi Athenas, vbi Cyratadas in hominum turba de nauibus descendentium in Piræeo, clam aufugit, ac saluus Deceleam peruenit. Interea Pharnabazus & legati, quum apud Phrygiæ Gordium hyemarent, quid esset actum de Byzantio, cognouerunt. Vere ineunte pergentibus ad regem Lacedęmoniorum legati occurrunt, nimirum Bœotius (hoc viro nomen erat) cum ceteris, itidemq; reliqui nuntij, qui

Cyrus iunior Asiæ minori præficitur.

ex Asia descendebant. Narrabant hi, Lacedæmonios ab rege omnia, quæ peterent, impetrasse: atque etiam Cyrum maritimis omnibus cum imperio præfuturum, &

438 in gerendo bello Lacedæmoniis adfuturum. Idem ad omnes Asiæ inferioris homines litteras sigillo regio munitas secum adferebat, quibus hæc etiam inter alia continebantur: Mitto ad inferiores illas partes Cyrum, Ca-

** Campus is, siue planicies. Supra, initio ἀναβάσ.*

ranum eorum, qui ad * Castolum conueniunt. Vox autem Caranus significat dominum & imperatorem. Hæc quum legati Atheniensium audiissent, & Cyrum ipsum iam vidissent, maxime quidem illi cupiebant ad regem adscendere: sin id non liceret, domum reuerti. At Cyrus Pharnabazo mandat, vt hos legatos vel sibi traderet, vel nullo modo domum reduceret. Volebat enim maxime Athenienses ignorare, quid rerum gereretur. Ac Pharnabazus quidem id temporis eos secum retinebat, quum nonnumquam diceret velle seipsos ad regem deducere: nonnumquam domum eos se remissurum, nec vllam in reprehensionem incurreret. Verum posteaquam anni tres elapsi essent, Cyrum obsecrare cœpit, vt homines dimitteret. Aiebat enim se iusiurandum præstitisse de reducendis ipsis ad mare, siquidem ad regem non deducerentur. Quamobrem ad Ariobarzanem ipsos mittũt,

Alcibiadis in patriam reditus.

ac mandant, vt suis eos restitueret. Ab hoc Cium vsque deducti, quod est Mysiæ oppidum, inde ad suorum castra nauigio vecti sunt. Ceterum quum vellet Alcibiades vna cum militibus in patriam nauigare, statim Samum

versus

versus soluit. Hinc sumtis secum x x nauibus, in Cera-
micum sinum Cariȩ nauigat: vnde quum talenta c coe-
gisset, Samum reuertitur. At Thrasybulus cum x x x na-
uibus Thraciam petit, atque inde quum alia, quæ ad La-
cedæmonios defecerant, oppida suam in potestatem re-
digit: tum vero Thasum, quæ & bellis, & seditionibus,
& fame adflicta miserabiliter erat. Cum reliquis copiis
Thrasylus Athenas nauigauit. Is priusquam adpelleret,
Athenienses iam duces legerant, Alcibiadem exsulem,
Thrasybulum absentem, Cononemque tertium ex iis,
qui domi degebant. Interea cum x x nauibus & pecunia
Alcibiades e Samo in Parũ nauigat. Inde recta Gytheum
versus vehitur, vt triremes specularetur, quas istic x x x
numero instruere Lacedæmonios audierat: atque etiã
vt exploraret de suo in patriam reditu, quo ciuitas in i-
psum esset animo. Quam vbi bene sibi velle animaduer-
tit, iamque se a suis ducem lectum esse, & priuatim a ne-
cessariis se suis arcessi: in Pirȩeum illo die nauigauit, quo
*Plynteria publice celebrabãtur, delubro Mineruæ ob-
uelato, quod nonnulli tam ipsi, quam patriæ infaustum 439
esse ominabantur. Nam eo die nemo Atheniensium ali-
quid rei seriæ suscipere ausit. Quum adpelleret, omnis
turba tum e Piræeo, tum ex vrbe ad naues confluere: ad-
miratione duci: Alcibiadem videre cupere: dicere par-
tim, ciuium hunc vnum esse præstantissimum, qui solus
se purgarit, quod inique eiectus in exsilium esset: circũ-
uentum insidiis illorum fuisse, qui & minus ipso potue-
rint, & inferiores dicendo fuerint, & rempublicam ges-
serint ex vtilitate lucroque suo. Hunc auxisse rempubli-
cam quum de facultatibus priuatim suis, tum etiam pu-
blicis patriæ. Voluisse id temporis de caussa sua sine dila-
tione cognosci, quum paullo ante tamquam mysteriorũ
violator delatus esset: verum aduersariis rem, quæ ȩquis-
sima videretur, in aliud tempus reiicientibus, absentem
patria multatum fuisse. Interim inopia coactum serui-
tutem seruiisse, homines infestissimos sibi coluisse, cot-
tidie de vita periclitatum esse. Non potuisse quidquam
ciuibus sibi coniunctissimis, propinquis, patriæ denique
toti prodesse, quantumuis illius errata animaduerteret:
idque propterea, quod ab hoc conatu exsilij nomine

Festum a lauacris dictum.

Varia de Alcibiade hominum iudicia.

† *Consule Notas.*

prohiberetur. Negabant eiusmodi †hominem, qualis esset ipse, quidquam egere nouis rebus, vel publici status immutatione. Posse hoc illum populi beneficio, vt & ipse sit æqualibus superior, grandioribus natu non inferior, & aduersariis suis talem se declaret, qualis olim fuerit. Posteaquam illi potentiam quamdam nancti ad extremum essent, optimos quosq; sublatos e medio fuisse: quumque soli in republica restarent, hanc vnam ob caussam ciuibus fuisse caros, quod vti meliorum hominum opera non possent. Alij contra dicebant, vnum hũc esse omnium calamitatum, quas antehac perpessi fuissent, auctorem, adeoque periculum esse, ne solus se ducem præbeat ad ea, quæ reipublicæ vt accidant, metuenda sint. Ceterum ad terram quum adpulisset Alcibiades, non statim de naui descendit, quod hostes suos metueret: sed stans in nauigij foris, num adessent necessarij sui, circumspiciebat. Posteaquã Euryptolemum Pisianactis filium, consobrinum suum, ceterosque propinquos, & eorum amicos vidit: tum relicta naue in vrbem cum iis adscendit, qui parati erant prohibere, ne quis eum adtingeret. Post in senatu, & pro concione, quum defensio-
440 nem sui pronuntiasset, qua se minime sacra violasse, sed iniuriam sibi factam ostendebat: prolatis in hanc sentẽtiam & aliis, ac nemine contradicente, quod id minime latura fuisset concio: dux omnium cum potestate amplissima declaratus, vt qui pristinam reipublicæ potentiam tueri & conseruare posset, primum eductis vniuersis militum copiis mysteria, quæ tum mari propter bellum deducebantur, terra celebrauit. Deinde conscripsit exercitum, CIↃ IↃ grauis armaturæ peditũm, CL equitum, nauium C. Ita mense post reditum tertio Andrum versus nauigat, quæ ab Atheniensibus defecerat. Adiuncti sunt ei Aristocrates, & Adimantus Leucorophidæ filius, qui lecti erant terrestrium copiarum duces. Exponit in terram copias Alcibiades ad Gauriũ, quod est in Andro insula. Quumque suis opem laturi Andrij exiissent, in fugam versi, & intra muros oppidi conclusi sunt: interfectis, præter alios paucos, Lacedæmoniis, qui istic erant. Statuit heic tropæum Alcibiades, neque multos dies commoratus, Samũ nauigat; inde facto initio bellũ gere-

Res gestæ Alcibiadis a reditu.

Lysander nauarchus creatur.

gerebat. At Lacedæmonij, quum non multo ante Cratesippidæ nauarcho magistratus sui tempus exiisset: Lysandrum eius loco mittunt. Is quum ad insulam Rhodū adpulisset, coactis nauibus, in Con insulam, Miletumq; nauigat: hinc Ephesum, vbi cum septuaginta nauibus substitit, dum Sardes Cyrus accederet. Posteaquam is illuc venisset, adscendit ad ipsum vna cum legatis, qui Lacedæmone aderant. Heic & Tissaphernis facta quædam accusant, & Cyrum rogant, vti alacriter in id bellum incumbat. Respondet Cyrus, & habere se id in mandatis a patre, nec aliam esse animi sui sententiam, quam vt hæc omnia præstet. Venire se cum talentis 10. Ea si deficiant, vsurum se facultatibus priuatim suis, quibus eum pater donasset. Quod si & illæ erogentur, id quoque solium in frusta se concisurum, quo sedere soleret, quodque totū ex argento & auro constaret. His illi collaudatis, hortātur, vt in nautas singulos Atticam drachmam vnam cōstitueret: quod futurum dicerent, vt si hoc stipendiū detur, Atheniensium nautæ relinquant naues suas, ac minorem ipse sumtum faciat. Ille recte quidem hæc dici aiebat, verum sibi fas non esse, vt aliter quid faciat, quam rex imperasset. Præterea sic esse in fœderum formula, vt in singulas naues, quotquot tamdem alere Lacedæmoniis libeat, minæ triginta stipendij mēstrui nomine numerentur. Subticuit tum Lysander. Verum a cœna, quū propinans ei Cyrus interrogaret, quam rem gratissimā ipsi facere posset: si ad stipendium, inquit, singulorum nautarum obolum adieceris. Ex eo tempore quatuor oboli stipendij nomine pendebātur, quum antehac tres tantum numerarentur. Præterea Cyrus & stipendium †prius illis debitum persoluit, & menstruum aliud ante tempus numerauit. Quo factum, vt longe iam alacriores essent milites. Hæc quū Athenienses magno cum animi mœrore audiissent, Tissaphernis opera legatos ad Cyrum mittunt. Eos ille non admittebat, quamquam rogaret Cyrum Tissaphernes, ac se diceret Alcibiadis consilio facere, quæ faceret: quod is esset auctor, vt hoc vnum spectaret, ne vlli Græcorum potentes essent: sed imbecilli potius omnes, suis ipsi dissidiis adtriti. Ceterū instructa classe Lysander, subductisque nauibus, quæ

Cyrus Lacedæmoniis opem policetur.

441

Lysandri vafricies.

† Lectio marginis.

Improbum Alcibiadis consilium.

Inclinatio fortunæ Alcibiadis.

Ephesi numero xc erant, quiescendo eas reficiebat. Interea quum accepisset Alcibiades, Thrasybulum extra Hellespontum progressum munire Phocæam: ad eum nauigat: relicto apud classem gubernatore suo Antiocho, cum mandatis, ne aduersus Lysandri classem proueheretur.

Antiochi temeritas.

Antiochus vero cum naui sua, & alia Notiana, in portum Ephesiorum inuectus ad ipsas Lysandri nauium proras præteruehi ausus est. Tum Lysander primo paucis nauibus deductis, hominem insequitur. At quum Athenienses Antiocho pluribus cum nauibus opem ferrent, vniuersa classe instructa in eos pergit. Itaq; & Athenienses reliquis triremibus e Notio deductis, in hostes prouecti sunt, vti quisque sibi viam in altum aperiisset. Secundũ hęc prœlium nauale committitur, quũ Lacedæmonij quidem seruarent ordines, Atheniensium vero naues sparsæ vagarentur: donec amissis xv triremibus, terga dederunt.

Lysandri victoria.

Ex iis maxima parte hominum fuga dilapsa, reliqui hostis in potestatem viui peruenerũt. His nauibus secum Lysander sumtis, & erecto ad Notiũ tropæo, Ephesum nauigando traiecit: Samum, Athenienses. Eo posteaquam Alcibiades rediit, vniuersa cum classe ad Ephesiorum portum prouectus, aciem ante ostium eius instruxit, si quis forte prœlio congredi vellet.
442 At quum Lysander classem suam nõ educeret, quod nauium numero longe inferior esset, Samum reuertitur. Paullo post Delphinium & Eionem Lacedæmonij occupant.

Alcibiadi abrogatur imperium

Athenienses, qui domi erant, perlata ad se de prœlio nauali fama: Alcibiadi indignantur, quem ex secordia & intemperantia naues has amisisse existimabãt. Simul x alios duces creant: Cononem, Diomedontem, Leontem, Periclem, Erasinidem, Aristocratem, Archestratũ, Protomachum, Thrasylum, Aristogenẽ. Quamobrem Alcibiades, cuius res etiam apud exercitum laborabant, in Cherronesum vna triremi ad castella sua discessit. Secundum hæc Cono cum xx nauibus, quas habebat, ex decreto Atheniensium, ab Andro Samum ad classem nauigat. Eius loco in Andrum Phanosthenes cũ quatuor nauibus missus, quũ in Thurias triremes duas incidisset: vtramque, cum ipsis vectoribus, cepit. Omnes hi captiui ab Atheniensibus in vincula coniecti fuere,

præter

præter vnum ipsorum ducem Dorieum: qui, quum patria Rhodius esset, ac iamdudum Athenis & Rhodo exsularet, metu Atheniẽsium (qui & ipsum, & propinquos ipsius, capitis damnauerant) apud Thurios, ius ciuitatis adeptus, viuebat. Hunc ne misericordia moti, ne pretio quidem postulato, dimisere. Cono posteaquam ad insulam Samum peruenit, copiasque nauales misere adfectas reperit, expleto tantum septuaginta triremium numero priorum loco, quæ plures, quàm centum, fuerant: prouectus his in altum cum ceteris ducibus, alias alibi exscendens in hostium ditionem, prædas agebat. Hic eius anni finis fuit, quo Karthaginienses cum centum & viginti triremibus, & cum CXXCIↃ terrestris exercitus, in Siciliam profecti, Agrigentum ad deditionem fame compulerunt: quum ipsi prœlio licet superati, totos tamen septem menses oppidum obsiderent. Anno sequẽti, quo luna vespere defecit, & priscum Mineruæ fanum Athenis deflagrauit: Pitya magistratum Ephori gerẽte, Archontis autem apud Athenienses Gallia: Lacedæmonij Lysandro, cuius iam annus exierat, qui erat annus belli *XXIV, successorem Callicratidam ad classem misere. Quum autẽ naues Lysander traderet, aiebat ad Callicratidam, ita se illas ei tradere: vt qui maris imperio potitus esset, ac prœlio nauali victor extitisset. At ille iubet, vt Epheso discedens, ac Samum ad sinistram præteruectus, quo loco naues Atheniensium erant, Mileti classem traderet. Ita se fassurum, quod maris imperio potiretur. Negante Lysandro, se alio imperium obtinente curiosum esse velle: Callicratidas ipse classem a Lysandro acceptam, coactis e Chio, Rhodo, atque ab aliis sociis quinquaginta nauibus adauxit. Collectis omnibus, quæ numero erant centum & quadraginta, ad occurrẽdum hosti se parat. Verum vbi se intellexit a Lysandri amicorum factione oppugnari, non solum segniter ipsi morem gerentium, sed etiam spargentium per vrbes, maxime in eo peccare Lacedæmonios, quod toties nauarchos mutarent: vnde fieret, vt sæpius inepti munus hoc obtinerent, & qui recẽs admodum rei naualis vsum percepissent, nec quo pacto cum hominibus agendum esset, nossent: adeoque periculum non omnino nullum

Cononis imperium nauale.

* *XXVI.*

Arrogans Lysandri oratio.

443

Lysandri amicorũ factio aduersus Callicratidã.

esse, ne eis, dum homines mitterent maris imperitos, & ignotos maritimis, detrimenti quid accideret: hæc inquam vbi accepit Callicratidas, omnibus, quotquot aderant, Lacedæmoniis conuocatis, in hac cum eis sententiam agit: Satis est mihi, domi manere: nec, quod in me est, prohibeo, quo minus vel Lysander, vel alius quispiam peritiorem se rerum nauticarum velit haberi. Ego vero iussu patriæ missus ad classem, aliud quod agam, non habeo: nisi vt quæ mihi mandata sunt, præclarissime pro mea virili exequar. † Vos autem hortor, vt in medium proferatis ea, quæ maxime vobis ex vsu videntur, & quę tum ipse mirifice cupio, tum patria postulat, (sunt autem illa perinde vobis nota, ac mihi) manendumne mihi sit heic, an domum nauigandum, vt qui rerũ heic status sit, exponam. Quum dicere aliquid aliud auderet nemo, quam patriæ magistratibus parendum esse, eaq; faciunda, quorum caussa adesset: ad Cyrum pergit, ac nautis stipendium poscit. Respondet ille, biduum exspectandum esse. Grauiter eam dilationem ferre Callicratidas, & frequentibus illis ad portas cursitationibus succensere. Quumque Græcos mortalium miserrimos esse diceret, qui pecuniæ caussa barbaris adularentur: atque etiam adderet se, si domum saluus rediret pro virili Athenienses ac Lacedæmonios reconciliaturum: Miletũ

444 discessit. Inde missis Lacedæmonem triremibus ad poscendam pecuniam, & conuocatis ad concionem Milesiis, hanc orationem habuit: Me quidem, Milesij patriæ magistratibus obtemperare necesse est: a vobis autem peto, vt inprimis strenue bello huic incumbatis. Nam quia medios inter barbaros habitatis, iampridem ab eis mala plurima perpessi estis. Æquum vero est, vos sociis reliquis in eo præire: vt interea, dum Lacedæmone redeunt, quos adferendæ pecuniæ caussa misi, summa celeritate hostes detrimento maximo adficiantur. Etenim quod heic erat pecuniæ, id discedens Lysander, tamquã superfluum, Cyro restituit. Cyrus autem, quũ ad ipsum venissem, moram semper interponebat, quo me minus ad colloquium admitteret. Ego vero persuadere mihi non poteram, vt frequenter ad ipsius portas accederem. Polliceor autem vobis, me pro illis commodis, quæ in-

† Consule Notas.

Callicratidas homo minime aulicus. Cic. 1. de Offic.

terea

terea nobis euenerint, dum pecuniam domo exspectamus, dignam vobis gratiam relaturum. Ostẽdamus barbaris tamdem, Diis bene iuuantibus, posse nos vlcisci hostes nostros, licet ipsos non suspiciamus. Hæc quum dixisset, surgunt multi, maximeque illi, qui quod Callicratidæ aduersarentur, insimulabantur: præque metu rationem pecuniæ conficiundæ primi ostendunt, & priuatim etiã de suo promittunt. Hac ille accepta pecunia, & e Chio præterea quinq; drachmarũ viatico in nautas singulos coacto: Methymnam Lesbi oppidum, quod ab hostium partibus stabat, proficiscitur. Quum Methymnæi transire ad ipsum nollent, quod Athenienses præsidiarios haberent, atque illi, qui rerum summæ præerãt, Athenienſium partes sequerentur: admotis copiis, oppidum vi capit. Itaque fortunæ eorum omnes a militibus direptæ sunt, mancipia vero in forum Callicratidas coegit. Quumque socij Methymnæos etiam distrahi vellent: respondit, se imperatore nequaquam futurum, vt Græcorum quisquam in seruitutem redigeretur, quãtum quidem in ipso esset. Postridie corpora libera dimittit, & præsidiarios Atheniensium: ac seruilis conditionis captiuos omnes vendit. Cononi etiam denuntiat, effecturum se, ne deinceps † maris mœchus esset. Quumque illum prima luce prouehi videret in altum, intercepto itinere, ne Samum se fuga recipere posset, hominem persequitur. At Cono fugam cum nauibus expeditis faciebat, quod de multis supplementis peritissimi remiges in paucas naues delecti fuerant: seq; cum duobus e x ducibus, Leonte ac Erasinide, Mitylenen oppidum Lesbi recipit. Eum cum CLXX nauibus Callicratidas persequens, in eumdem portum nauigat. Tum Cono, quem hostes anteuertẽdo interclusissent, ad portum nauali pugna decernere coactus fuit, & triginta naues amisit, hominibus ad terram fugiendo elapsis. Reliquas naues XL sub ipsum murum subduxit. At Callicratidas portum ingressus Cononem obsidebat, quum illic potestatem exeundi suis cum nauigiis haberet: atque etiam terra Methymnæorũ plebe omni arcessita, de Chio quoque copias traduxit. Adlata fuit tunc ipsi & a Cyro pecunia. Cono, quum terra marique obsideretur, ne-

Callicratidas Methymnam capit.

† h. e. turpiter & clam maris imperium sibi vindicaret. Plutarchus.

445

Cono vincitur a Callicratida.

Cononem Callicratidas obsidet.

que commeatus parare copiam alicunde posset, quum & magna esset hominum in oppido multitudo, & Athenienses opem non ferrent, quod horum nihil adhuc cõperissent: naues duas ex omni numero expeditissimas in mare deduxit, & ante diem instruxit, deque nauibus vniuersis remiges optimos delegit, in * nauim concauam milites classiarios imposuit, remis vsitatis alios adiecit. Ac die quidem illo ita se continebant. Sub vesperam, vbi primum tenebræ oborirentur, in terram eos exponebat, ne id ipsos agere hostibus innotesceret. Die quinto cibariis, quantum satis esset, instructi: ipso meridie, quũ speculatores partim negligenter hæc obseruarent, partim etiam quieti se dedissent, e portu nauigarunt, prouecta in altum naui vna, versus Hellespontum tendente altera. Tum illi, qui agebãt in excubiis, vti quisque sibi viam aperiebat, ancoras abrumpere, excitari, cum tumultu accurrere. Nam forte tunc in litore prandebant. Quumque conscendissent naues, illam quæ in altum se proripuerat, insequuntur: quumque sole iam occidente ad eã peruenissent, prœlio commisso, vi ea potiuntur, ac religatam cum ipsis vectoribus ad classem suam deducunt. At quæ versus Hellespontũ se contulerat, effugit: Athenasque delata, classem obsideri nuntiat. Tum ferens opem Cononi obsesso Diomedon, cum nauibus XII in Mitylenæorum fretum se contulit. Aduersus hunc, re improuisa, Callicratidas nauigans, decem naues capit: Diomedonte cum sua, & quadam alia, sibi fuga consulente.

Margin: * *hoc est, in carinã.* — *Cononis strategema.* — *Aliæ clades Atheniensium.*

446 Hoc vbi accidisse, nihiloque minus obsideri suos Athenienses accepere: centum ac decẽ nauibus his succurrendum esse decernunt, in quas vniuersi, qui adoleuissent, serui ac liberi, imponerentur. Classe CX nauium intra diem trigesimum instructa, soluunt: magna etiam equitum parte naues ingressa. Secundum hæc Samum perueniunt, vbi quum naues Samias X sibi adiunxissent: etiam alias a sociis aliis collegerunt, plures quam XXX, coactis omnibus, vt eas conscenderẽt. Idem de nauibus illis factum, quæ forte tunc aberãt. Vniuersæ plures fuere, quam CL. Posteaquam accepisset Callicratidas, iam apud Samum Atheniensium classem esse, quæ suis opẽ ferret: naues ad obsidionem quinquaginta relinquit, eisque

eisque præficit Eteonicum: cum ceteris cxx prouectus in altum, ad Maleam Lesbi promontorium, e regione Mitylenæ, cœna suorum corpora curat. Eodem die forte fortuna etiam Athenienses ad Arginusas cœnabant, quæ & ipsæ e regione Lesbi ad Maleam promontorium Mitylenæ oppositæ sunt. Noctu Callicratidas conspectis hostium ignibus, ac nonnullis renuntiantibus, esse hos Athenienses: circiter noctem mediam soluit, vt eos subito nec opinantes inuaderet. Verum ab imbribus copiosis, ac tonitruis impeditus, progredi non potuit. Vt primum tempestas cessauit, prima luce nauigat versus Arginusas. Ei læua parte occurrunt in alto Athenienses, in hunc modum acie instructa. Prima in fronte ad læuam cum xv nauibus Aristocrates erat, deinde cum aliis xv Diomedon. Post Aristocratem Pericles, post Diomedontem Erasinides collocati erant. Propter Diomedontem Samij cum x nauibus singillatim instructi erant, quorũ dux erat Samius quidam Hippeus. His proximæ tribunorum decem naues erant, & ipsæ singillatim instructæ. Secundum has, tres classi præfectorum, & si quæ aliæ sociorum naues erant. Dextrum cornu cum nauibus xv Protomachus tenebat, & iuxta eum Thrasylus cum aliis xv nauibus. Post Protomachum Lysias cum nauibus totidem, post Thrasylum Aristogenes collocatus erat. Atque hoc modo aciem instruxerant, ne perrumpendi classem suam hosti facultatem concederent. Erant enim ipsorum naues minus ad nauigandum expeditæ. At Lacedæmoniorum naues vniuersæ singillatim instructæ, & ad perruptionem classis hostilis, & circumuentionem comparatæ erant propterea, quod expeditius proueherentur. Cornu dextrum Callicratidas ipse tenebat. Atq; 447 heic Hermo Megarensis Callicratidæ gubernator, eum monet, recte sibi consulturum, si discederet. Nam triremium numero longe superiores erant Athenienses. Ei respondit Callicratidas: †Spartam, se moriente, nihilo peius habituram: se fugere sine dedecore non posse. Post hæc diu certatum, primo cõfertis nauibus, deinde sparsim. Verum posteaquam & Callicratidas irruptione cum naui sua in hostium classem facta, in mare delapsus nusquam adparuit: & Protomachus, atque illi, qui aderant

Atheniẽsiũ naualis acies.

† M. Tullius lib. de Offic. 1.

ei, cornu dextro læuum hostile vicerunt: tum scilicet Peloponesij fuga se in Chium, maximaque ex parte Phocæam recipere. Athenienses ad Arginusas redeunt. Amiserunt hi naues * xxv hoc prœlio, vna cum vectoribus: paucis exceptis, qui ad litus euasere. Peloponesij, quum omnino Lacedæmoniorum naues x essent, ex his ix: ex reliquorum sociorum nauibus supra lx desiderarunt. Secundum hæc statuunt Atheniensium duces, vt cum * xlvi nauibus triremium præfecti Theramenes & Thrasybulus, ac tribuni quidam, ad demersas naues ac naufragos pergerent, ceteræ aduersus illas, quæ cum Eteonico apud Mitylenen stationem habebant, nauigarent. Hæc quum facere vellent, a vento & tempestate, quæ tunc ingens cooriebatur, sunt impediti. Quamobrem eo loci manent, ac tropæum statuerunt. Interea celox actuaria rem omnem Eteonico de nauali prœlio exponit. Ille rursus ablegat eam, quũ vectoribus edixisset, vt taciti nemine compellato discederent, statimque in hæc castra sua coronati reuerterentur: simul Callicratidam prœlio nauali vicisse clamarent, vniuersamque classem Atheniensium esse deletam. Dum illi parent atque abeunt, ipse sacrum facit, ob rei feliciter gestæ nuntiũ. Mãdat etiam militibus, vt cœnarent: & mercatoribus, vt merces suas sine tumultu ac tacite nauigiis imponerent, & vna cum triremibus quamcelerrime, quod esset ventus secundus, in Chium discederent. Ipse castris succensis, pedestres copias Methymnam ducit. Tum Cono deductis nauibus suis, posteaquã & hostes propere discesserãt, & ventus spirabat lenior: Atheniensibus occurrẽs, qui iam ab Arginusis soluerant, quid de Eteonico accidisset, exponit. Illi Mitylenen nauigant, inde prouehuntur in Chium, infectaque re Samum discedunt. Interim Athenis hisce ducibus imperium abrogatur, excepto Conone: cui Adimantus, & Philocles tertius, adiunguntur. Ex ducibus autem, qui pugnam hanc naualem pugnarant, Protomachus & Aristogenes Athenas non sunt reuersi. Ceteri sex, Pericles, Diomedon, Lysias, Aristocrates, Thrasylus, Erasinides, quum domum nauigassent: Archedemus, qui tunc * populi princeps Athenis erat, & cui Deceleæ cura mandata fuerat, Erasinidem per insidias

Prœlium ad Arginusas.

** infra, xij. 487.*

** infra, xlvij. recte*

Eteonici strategema.

448

** Lectio marginis.*

dias adgressus, apud tribunal sic accusabat: vt eum pecunias publicas ex Hellesponto sibi seruasse diceret, atque etiã munus imperatorium male administrasse. Iudices Erasinidem in vincula ducendum esse decernunt. Post hæc duces in senatu de prœlio nauali, & magnitudine tempestatis rem omnem commemorãt. Verum referente Timocrate, ceteros etiam duces vinctos populo tradendos esse: senatus eos vinciri iussit. Secundum hæc concio cogitur, in qua duces inter alios etiam Theramenes inprimis accusabat: iure ab ipsis exigẽdam rationem dicens, quamobrem naufragos non sustulissent. Nã quod aliud nihil attigissent, epistolæ productæ testimonio docebat, quã duces ipsi ad senatũ & ad populũ misissent: in qua caussam aliam nullam adferrent, quam tempestatem. Post hæc duces singuli breuibus, quod eis secũdum legem dicere non liceret, sese purgant: & rem, vti erat gesta, commemorant: se quidem ipsos, aduersus hostes profectos fuisse: naufragos autem vt tollerẽt, triremium præfectis, hominibus ad res gerendas idoneis, atque etiam imperatorio munere functis imperasse: Therameni, Thrasybulo, aliis talibus. Quod si maxime sint hac in parte aliqui accusandi, neminem se scire, in quos ea culpa conferri possit: quam in illos, quibus ea res mandata fuerit. Neque tamen, aiebant, propterea mentiemur, quod hi modo nos accusant, atque in hos culpam cõferemus: quum tempestatis magnitudo, quo minus naufragi tolli potuerint, impediuerit. Atque harum rerum & gubernatores & multos alios, qui expeditionis socij fuerant, testes producebant. Hæc quũ dicerent, ita populo satisfaciebant: vt multi homines priuati surgerent, ac satisdare ipsorum nomine vellent. Verum ad proximæ concionis tempus rem extrahendam esse visum fuit, quod paullo iam serius esset, ac * manus haud cernerent: senatumque, re prius deliberata, referre ad populum debere, quo pacto de horum caussa in iudicio cognoscendum esset. Sequuta sunt Apaturia, quo festo inter se parentes & cognati conueniunt. Quapropter hisce feriis amici Theramenis homines complures, ad cutem vsque rasos, nigris vestibus induunt: vt ij tamquã eorum, qui periissent, propinqui hoc habitu ad populi

Duces Athenis in vincula coniiciuntur.

Theramenes duces accusat iniuste.

Ducũ iusta defensio.

449

** Quibus sublatis suffragia ferebãtur.*

conuentum accederent. Præterea Callixenum permo- uent, vt duces in senatu accusaret. Hinc ad concionem populum aduocant, in qua senatus ad populum, recitāte Callixeno, decretum huiusmodi retulit. Quia concione proxima tam illorum, qui duces accusarunt, quam ipsorum ducum se purgantium auditæ sunt orationes: Athenienses vniuersi tributim suffragia ferunto: in tribu qualibet vrnæ binæ collocantor: itidem qualibet in tribu caduceator proclamato, vt cuicumque videantur iniuste duces fecisse, qui ciues nauali prœlio victores non sustulerint, is priorem in vrnam calculum coniiciat: cui contra, in posteriorem. Quod si eos iniuste fecisse visum fuerit, morte multantor: † vndecim viris traduntor: bona publicantor: eorum decumæ Mineruę sunto. Prodiit & alius quidam in conuentum, qui se in vase farinario diceret incolumem euasisse: mandasse autem sibi eos, qui periissent, vt si quidem saluus euaderet, exponeret populo: non sustulisse duces eos ciues, qui pro patria fortissime se gessissent. Nonnulli Callixenum scripti cōtra leges decreti prouocando postulabant, id quod etiam Euryptolemus Pisianactis filius, & quidam alij e populo sentire se profitebantur. At plebs indignum esse clamitare, non concedi populo, vt quod ipse velit, agat. Quumque Lyciscus diceret, eodem modo de his etiam cognoscendum esse, quo iam de ducibus cognosceretur, ni cōcioni ius suum permitterent: rursus a plebe tumultuatum est, atque illi finem postulandi Callixenum facere coacti sunt. Quum vero † Prytanes se permissuros negarent, vt præter legem in suffragia iretur: rursus adscendens Callixenus, eamdem ob caussam eos accusābat. Tum clamare populus, vt arcesserentur, quotquot adsentiri nollent. Heic Prytanes omnes metu perculsi, permissuros se dicebant, vt suffragia ferrentur: extra vnū Socratem Sophronisci filium, qui aliud quidquā facturum se negabat, quam quod esset legi consentaneum. Secundum hæc, suggestu conscenso, hanc Euryptolemus pro ducibus orationem habuit: Equidem in hunc locum, Athenienses, partim Periclem necessarium & propinquum meum, & Diomedontem amicum accusaturus adscendi: partim eosdem defensurus: partim consultu-

Senatusc ōsultum de ducib.

† Scilicet rerum capitalium.

† Senatus Atheniēsis: Consule Suidā.

Socratis cōstantia.

Euryptolemi pro ducibus oratio.

sulturus vobis ea, quæ cōductura patriæ toti arbitror. In hoc igitur eos accuso, quod collegis suis, litteras ad Senatum populumque missuris, persuaserint: se Therameni, ac Thrasybulo, negotium tollendi naufragos cum XLVII nauibus dedisse, quod illi imperatum sibi nō fecerunt. Nunc enim communem culpam sustinent, quæ priuatim ex illorum delicto prouenit: & sua tum in eos vsurpata humanitate seipsos in discrimen mortis coniecerunt, horum ipsorum, & aliorum quorumdam insidiis petiti: quod tamen periculum vereri non debet, si quidem mihi vos parebitis, & iuste sancteque vosmet geretis. Hinc etiam vel maxime rei veritatem intelligetis, neque metuendum vobis erit, vt posthac pænitentia ducti, in duo vos omnium maxima, nimirum in Deos, & in vosmetipsos, deliquisse deprehendatis. Consulo autē vobis illa, in quibus nec a me, nec abs quoquam alio circumueniri dolo poteritis: & in eos, quos deliquisse cognoueritis, non solum vniuersos, sed etiā singulos, quacumque voletis pæna, animaduertetis: tantum vno eis die concesso, si quidem amplius impetrari non potest, quo sese defendant: ne plus aliis fidei, quam vobis ipsis habeatis. Vestrum vero, Athenienses, nemo non nouit, †Canoni decretum grauissimum esse, quod mandat, vt † *al. Canobi.*
si quis populum Atheniensem læserit, in vinculis apud populum caussam dicat: & si damnatus illatæ iniuriæ fuerit, necatus in † Barathrum abiiciatur, bonis publicatis, & eorum decuma Mineruæ consecrata. Ex huius decreti formula cum ducibus agi volo, ac profecto, si quidem ita vobis videbitur, primum omnium cum Pericle necessario meo. Nam maximo mihi dedecori fuerit, pluris hunc a me, quam rempublicam fieri. Sin hoc † *Locus Athenis. Interpr. Aristoph. in Pluto.*
maletis, ex ea lege de his cognoscite, quæ de sacrilegis ac proditoribus lata est: vt si quis vel hanc vrbem prodiderit, vel res sacras furto subtraxerit, caussa pro tribunali cognita .. mnetur: in Attica non sepeliatur: fisco bona ipsius addicantur. Harum legum vtram maletis, Athenienses, secundum eam de his hominibus singulis iudicate, diuisis diei tribus partibus: quarum vna vos cō- 451
ueniatis, perque calculos indagetis, sintne sontes hi viri, nec ne: altera vero accusentur: tertia sese defendant. Id si

» fiat, homines iniurij supplicium grauissimum incurrẽt: » & extra culpam positi, a vobis, Athenienses, liberati per » iniuriam non opprimentur. Vos etiam ex legis sentẽtia » religiose agetis, atque in hoc iudicio sacramento vestro » satisfacietis, neque cum Lacedæmoniis patriam oppu- » gnabitis: quod omnino caderet in vos, si hos duces, qui » eis prœlio victis LXX naues ademerunt, indemnatos cõ- » tra legem de medio tolleretis. At quid tãdem illud est, » quod dum tantopere veremini, tanta cum festinatione » properatis? an hoc, ne liceat vobis, quemcumq; volueri- » tis, vel interficere, vel liberare, si secundum legem, ac nõ » præter legem iudicaueritis? quemadmodum Callixe- » nus senatui persuasit, vt ad populum de iudicandis om- » nibus eodem suffragio, referretur. At enim si quem in- » nocentem interfeceritis, cuius deinde vos pœniteat: ve- » lim in mentem vobis veniat, quam id triste futurum sit, » & inutile: ac præterea, si capitis sententia tot in homi- » nes lata, recto a iudicio aberraueritis. Indignum vero fuerit * Aristarcho, qui ante hac statum popularem euertere voluit, ac deinde Thebanis hostibus nostris Oenoen prodidit, diem ad defendendũ se arbitratu suo cõ- » cessum a vobis fuisse, atque alia secundum legem per- » missa: nunc ducibus illis ea denegari, qui omnia ex sen- » tentia vestra gesserunt, ac victoria de hoste potiti sunt. » Ne hoc feceritis, ciues, sed legibus vestris obseruatis, per » quas in primis ad maximam hanc potentiam perueni- » stis, nihil absque his faciundum existimate. Ad res ipsas » vos conuertite, in quibus deliquisse duces videantur. » Posteaquã nauali prœlio victores ad litus classem sub- » duxere, censuit Diomedon, vt vniuersis copiis in cornu » ductis nauium fragmina cum naufragis tollerentur: » Erasinides autem, vt vniuersa cum classe quam celerri- » me aduersus illos hostes, qui erant apud Mitylenen, na- » uigarent: tertius Thrasylus aiebat, vtrumque fieri posse, » si naues partim istic relinquerent, partim in hostem du- » cerent. Hac sententia comprobata visum, vt quoniam » VIII essent duces, quisque de classe sua naues tres relin- » queret, vna cum X tribunorum nauibus, X Samiorum, » tribus nauarchorum. Hæ omnes XLVII nauium nume- » rum explent. Itaque futurum erat, vt naues quatuor cir-

* Consule Thucydidem in 8.

ca v-

ea vnam ex iis, quæ naufragium fecerant, occuparentur. “
Erant enim illæ omnino XII. Ex iis autem triremiũ præ- 452
fectis, qui relicti fuere, Thrasybulus & Theramenes e- “
rant, is qui concione proxima duces accusauit. Cum re- “
liquis nauibus duces aduersus classem hostilem perrexe- “
re. Quid horum non recte atque ordine gestum? Quam- “
obrem æquum est, vt eorum, quæ aduersus hostem non “
satis bene gesta sunt, ij rationem reddant, qui hostibus “
oppositi fuerunt: itidemque de illis, qui quum naufra- “
gorum tollendorum curam mandatam sibi esse scirent, “
imperata ducum non fecerunt, iudicium institui, cur id “
facere neglexerint. Equidem pro vtrisque tantum dice- “
re possum, impediuisse tempestatem, quo minus ea fa- “
cerent, quæ duces mandarãt. Atque huius rei testes sunt “
illi, qui fortuito salui euaserunt: quorum e numero est “
vnus ex ducibus nostris, in naui demersa conseruatus: de “
quo nunc eosdem calculos ferri volunt, quos de iis, qui “
imperata non fecerunt: quum tamen id temporis etiam “
ipse tollentium ope indiguerit. Quamobrem nolite, ci- “
ues, in victoria secundoque rerum successu ita vosmet “
gerere, quemadmodum victi & aduersa vsi fortuna so- “
lent. Nolite committere, vt iniqui rerum æstimatores “
videamini, quũ hæc diuinitus profecta necessitate qua- “
dam acciderint: neque proditionis eos condemnate, qui “
per tempestatem imperata facere non potuerunt, quum “
fuerit ea potius quædam facultatis inopia. Multo age- “
tis æquius, si hos victoria potitos coronis ornabitis, quã “
si quorumdam improborũ in gratiam eos morte mul- “
taueritis. Hac oratione habita, Euryptolemus rogatio- “
nem tulit: vt ex Canoni decreto seorsum de quolibet
ducum cognosceretur. Senatus autem sententia erat, vt
vno suffragio de omnibus iudicaretur, De his quum cal-
culi ferrentur, primum in Euryptolemi sententiam itũ
est. Verum interposito iureiurando petente dilationem
Menecle, quum iterum suffragia colligerentur, senatus
est probata sententia. Secundum hæc duces VIII, qui pu-
gnam illam naualem pugnauerant, damnati sunt. Ex iis
VI qui aderant, interemti. Neque multo post, quum A-
thenienses facti pœniteret, decretum est promulgatum:
vt eos de calumnia liceret accusare, qui populum de-

Duces iniuste damnantur & interficiuntur.

cepissent: atque vt iidem in ius vocati, dum cognitio facta esset, vadimonium præstarent. Ex his vnum esse Callixenum. Sunt & alij quatuor delati, & ab iis vincti, qui nomine ipsorum satisdederant. Sed quum deinceps seditio quædam coorta esset, in qua Cleophon est interfectus: hi quatuor aufugere prius, quam iudicium de ipsis factum esset. Callixenus id temporis in vrbem quũ rediisset, quo & alij de Piræeo: exosus vniuersis, fame periit.

XENOPHONTIS HISTORIARVM GRÆCARVM LIBER II.

ARGVMENTVM.

1. Eteonici prudentia in opprimenda suorum coniuratione. 2. Lysander Laconicæ classis Prætor iterum creatur. 3. Cyrus a patre quando, & cur domum reuocatus. 4. Lampsacum a Lysandro capitur. 5. Insigne Lysandri stratagema, quo bello Peloponnesiaco aduersus Athenienses suscepto, hostibus ad Ægospotamos superatis, finem imposuit. 6. Lysander pulcherrimam victoriam adeptus, conuocatis socijs, de captiuis consultat, & omnes Athenienses, quotquot accusati fuerunt, propter ipsorum scelera partim perpetrata, partim perpetranda, capitali supplicio multat. 7. Lysandri astutia. 8. Athenarum obsidio. 9. Theramenis astutia in frangenda Atheniensium pertinacia. 10. Corinthiorum, & Thebanorum de Atheniensibus sententia minime clemens. 11. Lacedæmoniorum moderatio, quam in pacis condicionibus ostenderunt. 12. Atheniẽses quãdo, cur, & quibus condicionib. vrbem, ac se ipsos Lacedæmonijs dediderint. 13. Triginta tyrannorum Athenis constitutorum nomina. 14. Samiorum deditio, tempus, caussæ, deditionis condiciones. 15. Belli Peloponnesiaci finis. 16. Triginta tyranni quomodo

modo in suo dominatu se gesserint. 17. Theramenis moderatio. 18. Triginta tyrannorum tyrannica facinora, & nefaria aduersus Theramenem conspiratio. Tempus, caussæ, modus. 19. Theramenis aduersus Critiam oratio, qua se purgat. 20. Theramenis damnati mors, & morituri apophthegmata. 21. Thrasybulus quomodo Phylam occuparit. 22. Thrasybuli stratagema. 23. Nouum triginta tyrannorum facinus. 24. Thrasybulus Piræeum occupat. 25. Vaticinium de felici rerum successu, euentu comprobatum. 26. Triginta viris magistratus abrogatur. 27. Lysander in Atticam redit: sed a Rege Pausania per inuidiam impeditur ne maiorē gloriam re prospere gesta consequatur. 28. Pausanias, & Ephori duo, pacis autores contra Lysandrum. 29. Pax, & ἀμνηςία Athenis constituta, qua ciues policiti sunt se omnem iniuriarum præteritarum memoriam deposituros.



ILITES autem, qui cum Eteonico in Chio degebant, quam quidem diu erat æstas, partim maturis fructibus vitam sustentabant, partim per agros insulæ mercenarias operas faciendo victum parabāt. Verum posteaquam aduenisset hyems, nec vnde se alerent, restaret quidquam: atque etiam nudi essent, ac discalceati: coeunt inter se, deque occupanda Chio conspirant. Id consilij quibus placuisset, hi vt calamum gestarent, visum fuit: quo se mutuo, quot essent ipsorum, nossent. Hanc vbi tesseram comperit Eteonicus, quo pacto se in huiusmodi negotio gereret, anceps animi erat: præsertim quum tanta esset calamiferorum copia. Nam aperta vi obuiam illis ire, periculosum esse videbatur: ne correptis armis, ciuitate occupata hostes facti, victoria denique potiti, cuncta euerterent. Ab altera parte dirum putabat esse facinus, si tot interimerentur socij: ne forte sui ceterorum Græcorum odiis exponerentur, ac militum animi ad res gerendas hebetes redderētur. Quamobrem xv alios adiungit sibi, pugionibus instructos, ac per oppidum obambulans, quum in hominem ex lippitudine laborantem, qui de medici officina exibat, & calamū gestabat,

453

Eteonici prudentia in opprimēda suorum coniuratione.

incidiſſet: eum interficit. Oborto tumultu, & quærentibus nonnullis, quamobrem is interemtus eſſet: nuntiari Eteonicus iubet, eo factum, quod calamum habuiſſet. Id vbi fuiſſet denuntiatum, calamos vniuerſi abiiciunt: ſemperque metuebat is, qui hæc audiebat, ne & ipſe calamum geſtare animaduerteretur. Deinde conuocatis Chiis Eteonicus, pecunias vti conferrent, edixit: vt accepto ſtipendio, res nouas nautæ non molirentur. Illi quũ eas contuliſſent, imperat ſuis Eteonicus, vti naues conſcenderent: ac viciſſim modo hanc, modo illam nauem ſingillatim adiens, animum eis addebat, & quaſi nihil eius ſciret, quod acciderat, multis eos verbis cohortaba-
454 tur, menſtruo ſingulis ſtipendio numerato. Secundum hæc Chij, reliquique ſocij, quum Epheſi conueniſſent: de mittendis Lacedæmonẽ legatis conſultant, qui præſentem rerum ſtatum exponerent, Lyſandrumque nauibus præfectum poſcerent: quod is in præfectura ſuperiore magna fuiſſet vſus ſociorum gratia, quo etiã tempore in commiſſo ad Notium nauali prœlio victor extitiſſet. Itaque miſſi ſunt legati,* & eis adiuncti a Cyro nuntij, qui eadem dicerent. Lacedæmonij Lyſandrum eis concedũt, ſed vt legatum Araco claſſi præfecto. Nec enim apud ipſos in more eſt, vt idem claſſis præfecturam bis obtineat. Sunt autẽ ei naues traditæ, quum iam anni,* ex quo bellum ceperat,* xxv elapſi eſſent. Eodẽ anno Cyrus Autobœſacem ac Mitræum interfecit, ſororis Darij filios: quæ itidem, vt Darius,* Xerxe patre nata fuerat. Eius cædis cauſſa fuit, quod quum occurriſſent ei, manus per* coren cinctas non inuoluiſſent, id quod ſoli regi Perſæ deferunt. Eſt autem core quiddam manu longius, intra quam ſi manum quis contineat, nihil omnino facere poſſit. Monuere tũc Hieramenes & ipſius vxor Darium, indignum eſſe, ad tantam Cyri petulantiam ipſum conniuere. Quapropter eum Darius, ęgritudinem prætexens, miſſis nuntiis ad ſe arceſſit. Anno ſequente, quum Ephori munere fungeretur Archytas, & Archon Athenis eſſet Alexius: Lyſander Epheſum venit, & e Chio cum nauibus Eteonicum arceſſit: coactis etiã aliunde nauibus vniuerſis, vbicumque eſſent. Ac non ſolum has reficiebat, ſed etiam alias apud Antandrum ædifi-

*Lectio marginis.

*Lectio marginis. xxvij.

*al. Artaxerxe, videlicet Longimano.

*Arbitror eſſe Perſicam vocẽ, qua manica ſignificetur.

Lyſander iterũ claſſi præfect.

dificabat. Deinde profectus ad Cyrum, pecuniam ab eo petebat. Is vero tametsi iam expensas esse pecunias a rege sibi datas diceret, ac præter has etiam longe plures, indicatis iis, quas singuli classis præfecti acceperant: nihilo tamen minus ei, quod petebat, largiebatur. Hoc argentum Lysander quum accepisset, triremium præfectos constituit, ac nautis stipendium debitum persoluit. Itidem & duces Atheniensium classem apud Samum instruebant. Secundum hæc Lysandrum ad se Cyrus arcessit, posteaquam nuntius ad ipsum a patre venisset, qui narrabat, eum ab ægro patre vocari, qui apud Thāneria Medorum ageret, haud procul a Cadusiis, aduersus quos defectionem molitos bellum suscepisset. Quū venisset Lysander, ne cum Atheniensibus prœlio nauali decerneret, vetuit: nisi multo maiorem nauium numerum haberet. Satis esse tum regi, tum sibi pecuniarum: 455 quibus expleri magnus hoc nomine nauium numerus possit. Deinde tributa ei de vrbib. adsignat omnia, quæ ipsi peculiariter pendebantur: & pecuniam, quæ superabat, ei donat. Quumque commemorasset, quo & Lacedæmoniorum rempublicam, & priuatim Lysandrum ipsum amore complecteretur: ad patrem adscendit. Lysander, quū Cyrus traditis ipsi suis omnib. ad patrem aduersa valetudine laborantem profectus esset, qui eum arcessiuerat: diuiso in militem stipendio, in Cerameum Cariæ sinum cum classe pergit: & admotis ad Cedreas (nomen hoc oppidi, quod erat in Atheniensium fœdere) castris, postridie captas expugnando diripit. Et erant ij, qui oppidum inhabitabant, semibarbari. Hinc Rhodum nauigat. Athenienses autem, quum e Samo soluissent, regis fines depopulati, Chium & Ephesum versus nauigabant, & ad nauale prœlium sese parabant. Lecti etiam duces ab eis præter priores, Menander, Tydeus, Cephisodotus. Interim Lysander e Rhodo propter Ioniam versus Hellespontum, ad obseruandum nauium per Hellespontum iter, & ad oppida, quæ ab ipsis defecerant, pergit. Itidem Athenienses in alto Chium versus prouehuntur. Etenim Asiam infestam sibi habebant. Lysander Abydo relicta Lampsacum contendit, quod erat Atheniensium in societate oppidum. Aderant ei cū aliis

Cyri ad patrem iter. Vide lib. Αναβάσ. primi initium.

Lampsacũ Lysander capit.

Abydeni, terrestri eo profecti itinere, quorum dux erat Thorax Lacedæmonius. Adorti ciuitatem, vi eam capiunt, captamque diripiunt milites: quum quidem & opulenta esset, & vino, frumento, commeatu reliquo referta. Ingenuorum hominum corpora Lysander omnia libera dimisit. Sequuti Athenienses eius vestigia, apud Eleuntem in Cherroneso portum cum CLXXX nauibus ingrediuntur. Heic eis, quum pranderent, quid accidisset Lampsaco, narratur. Itaque statim Sestum pergunt. Inde commeatu secum sumto recta nauigant ad *Ægospotamos, qui locus est e regione Lampsaci. Erat heic in Hellesponto stadiorum XV interuallum. Atque heic illi tum cœnabant. Lysander nocte proxima quamprimum illuxisset, imperat suis, vt pransi naues conscenderent.

** Latine dixeris Capræ flumina.*

456 Simul ad pugnam naualem instructis rebus omnibus, & adhibitis vtrimque ad naues pluteis: ne quis suo se loco moueret, vel in altum proueheretur, edixit. Athenienses vt primum sol exortus fuit, ad portum aciei suę frontem obuertunt, quasi qui prœlio congredi vellent. Verum vbi classem suam Lysander aduersus eos non eduxit, iamque aduesperasceret: ad Ægospotamos redeunt. Tũ Lysander naues omniũ expeditissimas subsequi eos iussit, ac posteaquam speculatæ essent, quid rerum hostes in littus egressi agerent, recta discedere, vt id sibi renuntiarent. Prius, quam hæ aduenissent, militem suum e nauibus egredi non patiebatur. Atque hæc per dies quatuor agebat, quum interim Athenienses aduersus eum in altum proueherentur. Alcibiades autem, qui de castellis suis conspexisset, Athenienses in litore stationem habere, non apud oppidum aliquod: & commeatum Sesto petere, quæ stadiis XV a nauibus abesset: hostes vero in portu & vrbi vicinos esse, ac rerum omnium abundare copia: loco ipsos haudquaquam opportuno stationem habere aiebat. Itaque monere, Sestum vti repeterent: vbi & portum, & oppidum habituri ad manum essent. Istic, inquit, si fueritis: decernere prœlio cum hoste, vbi vobis libuerit, licebit. Eum duces, inprimis Tydeus & Menander abire iusserunt. Se iam imperatorio munere fungi, non ipsum. Itaque tunc ille discessit. Lysander die quinto, ex quo cottidie classis Atheniensium aduersus eum pro-

Lysandri insigne strategema.

Ducũ arrogans ad Alcibiadẽ responsio.

prouecta fuerat, mandat illis, qui iussu suo sequi eos solebant, vt posteaquam ipsos de nauibus egressos, ac per Cherronesum palatos vidissent: (faciebant autem hoc de die in diem magis: quum & cibaria procul emerent, & Lysandrum præ se contemnerent, qui classem aduersus ipsos non educeret) ad se conuersis nauibus scutum inter nauigandum in altum tollerent. Faciunt illi, quod imperatum erat. Itaque Lysander suis dat signum, vti quamcelerrime nauigent. Hos Thorax in terra cum peditatu comitabatur. Posteaquam hos cum classe irruentes Cono vidit, signa dat suis, vt totis viribus ad naues opis ferendæ caussa concurrerent. Verum quia vectores hinc inde palati vagabantur, naues aliæ binos habebant remiges, aliæ vnum, nonnullis omnino vacuis. Sola Cononis nauis, & aliæ circum ipsum septem, cum *Paralo, vectoribus instructæ, atque in altum prouectæ discesserunt. Reliquas Lysander vniuersas in litore capit. Hominum copiam maximam in terra coegit, nonnullis intra *oppidula se fuga recipientibus. Cono cum nauibus illis nouem fugiens, posteaquam esse perditas Atheniensium res animaduertit: ad Abarnidẽ Lampsaci promontorium adpulit, & magna inde nauium Lysandri vela sustulit, & cum nauibus VIII ad Euagoram in Cyprum nauigauit: naui Paralo Athenas contendente, vt ea, quę accidissent, renuntiaret. At Lysander naues, captiuos, cetera Lampsacum abducit. Præter alios duces etiam Philoclem & Adimantũ cepit. Quo hęc die gesta fuere, Theopompum Milesium prædonem ablegat Lacędæmonẽ, qui rerum euentum exponeret. Id ab hoc factum, quum iter illud triduo confecisset. Secundum hæc sociis Lysander conuocatis, vti de captiuis consultent, hortatur. Ibi tum multæ sunt Atheniensium accusationes institutæ de iis, quæ iam ante contra ius & fas improbe commisissent: & de aliis, quæ patrare decreuissent, nimirum vt si nauali pugna superiores euaderent, omnibus illis dextra manus amputaretur, qui eorũ in potestatẽ viui peruenissent. Præterea quod captis duabus triremibus, quarum vna fuisset Corinthia, altera ex Andro, vectores omnes de rupe præcipites egissent. Erat autẽ dux Atheniensium Philocles, qui hoc modo animos eorum de-

Nomen nauis Atheniensium publicæ. Consule Suidã.

457

** Sequor lectionem marginis.*

Lysander bello finẽ imponit: Victis ad Ægospotamos hostibus.

Atheniẽses accusati interficiuntur.

prauarat. Posteaquam & alia multa in medium adlata fuissent, visum est, vt captiui omnes, quotquot Atheniẽses essent, vno Adimanto excepto, interficerentur. Nam is solus decreto concionis de amputandis manibus intercesserat, atque etiam a nonnullis insimulatus fuit, quasi naues hostibus prodidisset. Lysander Philoclem, qui Andrios & Corinthios pręcipitio interemerat, prius interrogatum, quid supplicij meritus esset, qui primus auctor violatarum aduersus Græcos æquitatis legũ extitisset, morte multauit. Rebus deinde Lampsaci cõstitutis, Byzantium & Chalcedonem nauigat. Ab iis admissus est, impetrato, vt Atheniensium præsidiarij fide data dimitterentur. Tum illi, qui Byzantium Alcibiadi prodiderant, in Pontum se fuga recepere: postea vero Athenas, vbi ciues facti sunt. Lysander autem præsidiarios Atheniensium, atque alios, quoscumque alicubi reperiret Athenienses, Athenas ablegabat: illuc tantum nauigandi securitate concessa, nõ vsquam alio. Norat enim, tanto citius commeatu carituros, quanto plures & in vrbem & in Piræeum confluerent. Byzantij & Chalcedone relicto Sthenelao Lacedæmonio præfecto, Lampsacum ipse nauigat, & classem reficit. Interea quum nauis Paralus noctu Athenas adpulisset, & accepta clades atque calamitas ab ea nuntiaretur: vlulatus hominum de Piræeo per muros longos in vrbem ipsam penetrauit, vno rem gestam alteri nuntiante. Atque adeo nocte illa somnum cepit nemo, quum non solum eos, qui perierant, lugerent: sed multo magis ipsi se perpessuros existimarent ea, quæ prius in Melios, Lacedæmoniorum coloniam, quam obsessam vi ceperant, & in Histienses, Scionæos, Toronenses, Æginetas, aliosque Gręci nominis permultos perpetrauerant. Postridie concionem cogunt, in qua decretũ, vt excepto vno, portus omnes aggesta terra occluderentur, muri repararentur, constituerentur excubiæ, omnia denique ad sustinẽdam obsidionem in vrbe compararentur. Atque his rebus dum Athenienses occupati essent, Lysander ex Hellesponto CC nauibus in Lesbum vectus, quũ alia in ea oppida, tum Mitylenen instaurat. Ad Thraciæ oppida cum X triremibus Eteonicum mittit, qui locis illis omnia Lacedæmonio-

Lysandri astutia.

458

rum

rum partes sequi coegit. Neque multo post pugnam reliqua etiam Græcia, Samo excepta, ab Atheniēsibus defecit. Nam Samij cæsis hominibus apud se nobilibus, ciuitatem ipsi tenebant. Secundum hæc Lysander ad Agin, ac Deceleam, Lacedæmonemque mittit, qui nunciarent: aduentare se cum cc nauium classe. Tum Lacedæmonij, reliquique Peloponesij, cum copiis vniuersis prodierunt, exceptis Argiuis: denuntiante, vti conuenirent, Pausania, Lacedæmoniorum rege altero. Posteaquam vniuersi confluxissent, eis secum sumtis, ad vrbem Atheniensem in gymnasio, quod Academiam vocant, castra metatus est. Lysander autem profectus Æginam, oppidum Aegynetis restituit: collectis eorum, quam poterat, plurimis. Idem Meliis, ceterisque præstitit, quibus oppida patria fuerant adempta. Secundum hæc Selamine vastata, cl nauibus ad Piræeum adpellit: & aditum, ne qua nauis accederet, intercludit. Atheniēses terra marique obsessi, quum neque classem, neq; socios, neque frumentum haberent: quid facerent, ambigebant. Nullam sibi reliquam esse salutem arbitrabantur. Omninoque vicissim perpetienda, quæ ipsi non illatas iniurias puniendi studio, sed mera petulentia aduersus humilium oppidorum incolas, alia nulla de caussa designassent, quam quod Lacedæmoniorum societate continerentur. Quapropter in pristinum honoris statum repositis iis, qui notati ignominia fuerāt, obsidionem tolerabant. Quumque multi in vrbe fame perirēt, nulla tamen de compositione facta mentio. Posteaquā vero frumentum omne prorsus iam defecisset, ad Agin legatos mittunt, ac velle se Lacedæmoniorum socios esse significant, solosque muros vrbis cum Piræeo retinere, atque his condicionibus fœdus icere. Iubet ille legatos Lacedæmonem pergere. Nam esse sua rem in potestate negabat. Ea verba quum Atheniensibus legati renunciassent. Lacedæmonem eos misere. Sellasiam quū peruenissent, haud procul a Laconica, auditaque ab Ephoris ipsorum esset oratio, illi consentanea, qua prius apud Agin vsi fuerant: abire eos iusserunt, ac si quidem pacis egerent, re melius deliberata reuerti. Legati domum profecti, quum hæc suis exposuissent: mirifice o-

Athenarum obsidio.

459

mnes perturbari:putare futurum, vt in seruitutem redigerentur: ac si maxime legatos alios mitterent, multos ciues interea fame perituros. Qui ferendum suaderet, vt ab hoste muri diruerentur, erat nemo. Nam Archestratus, quum dixisset in senatu, e republicæ commodo maxime futurum, si cum Lacedæmoniis pacem facerent iis condicionibus, quas ipsi obtulissent: cõiectus in vincula fuerat. Volebant autem illi muros longos ad stadia decem vtrimque dirui. De quo ne cui deinceps in mediũ suadendi caussa quidquam adferre liceret, decreto sancitum erat. Hic quum rerum status esset, dixit in cócione Theramenes, si ablegare se ad Lysandrum & Lacedæmonios velint, reuersurum re explorata, num idcirco in sententia de murorum demolitione persistent, quod velint vrbem euertere: an vero fidei caussa. Missus a suis, vltra menses tres apud Lysandrum est commoratus, id tẽpus obseruans, quo Athenienses ob frumenti defectum iis adsensuri essent, quę dicerentur. Mense quarto quum

Theramenis astutia in frangenda suorũ pertinacia.

460 rediisset, in concione renuntiat, hactenus ab Lysandro detentum se fuisse: iam vero mandari sibi, vt Lacedęmonem proficisceretur. Non enim id, quod peteretur, in sua: sed Ephororum esse potestate. Post hæc ipse, cum x aliis, vt Lacedæmonem plena cum potestate legatus iret, deligitur. At Lysander ad Ephoros inter ceteros Lacedæmonios Aristotelem Atheniensem exsulem mittit, qui eos certiores faceret, se respondisse Therameni, Ephoros pacis ac belli arbitros esse. Posteaquam Theramenes ac legati reliqui Sellasiam venissent, interrogati, quibus cum mandatis adessent: plena se cum potestate missos aiunt, vt de pace agant. Tum arcessi eos Ephori iubent. Quum accessissent, concione coacta, præcipue Corinthij ac Thebani, ac præter hos alij Gręci non pauci, fœdus cum Atheniensibus ineundum negabant, sed funditus euertendos esse. Lacedæmonij respondebant, minime se Græci nominis vrbem euersuros, quæ in maximis Græciæ periculis operam inprimis vtilem nauasset. Itaque pacem faciebant iis condicionibus, vt muri longi, & Piræeus, diruerentur: naues, exceptis xii, omnes traderent: exsules reducerent: eumdem cum Lacedęmoniis amicum vel hostem existimarent: eosdem mari ac terra

Corinthiorum & Thebanorum sententia non satis clemens.

Lacedæmoniorũ moderatio.

Pacis conditiones.

terra sequerentur, quocumque tamdem ducerent. Has condiciones Theramenes cum iis, qui ipsi adiuncti in legatione fuerant, Athenas perfert. Vrbem quum ingrederentur, magna se hominum turba circumfundebat: metuentium, ne re infecta reuerterentur. Nec enim dilationem res patiebatur, propter eorum multitudinē, qui fame extinguebantur. Postridie legati exponunt, quibus condicionibus pax a Lacedæmoniis esset impetrata. Simul suadebat primus inter eos Theramenes, parendum Lacedæmoniis esse, murosque diruendos. Quū autem nonnulli quidem aduersarentur, sed multo plures sententiam ipsius comprobarent: decreto sancitur, pacem hanc accipiendam esse. Secundum hæc in Piræeum Lysander nauigat, & reducuntur exsules, murique ad tibicinarum cantum magno cum hominum studio diruuntur, qui hunc diem libertati Græciæ initium dedisse putarent. Hic fuit eius anni exitus, cuius in medio Dionysius, Hermocratis filius, Syracusanus, regnum arripuit: quum prius Karthaginienses prœlio quidem illi ab Syracusanis victi essent, sed Agrigentum tamen, annonæ inopia desertam a Siculis, cepissent. Anno sequēte, in quem incidit Olympias ea, qua Crocinas Thessalus in stadio victoriam adeptus est, Ephori magistratum apud Spartam Eudicus gerebat, Archontis apud Athenienses Pythodorus, quem illi, quod lectus tempore dominatus paucorum fuerit, plane non recensent: sed annum illum † Anarchiam vocant. Ceterum paucorum ille dominatus hunc ortum habuit. Visum fuit populo, deligendos esse viros XXX, qui leges patrias conscriberent, secundum quas in republica viuendum deinceps esset. Delecti fuere Polyarches, Critias, Melobius, Hippolochus, Euclides, Hiero, Mnesilochus, Chremo, Theramenes, Aresias, Diocles, Phædria, Chærelaus, Anætius, Pison, Sophocles, Eratosthenes, Charicles, Onomacles, Theognis, Aeschines, Theogenes, Cleomedes, Erasistratus, Phidon, Dracontides, Eumathes, Aristoteles, Hippomachus, Mnesithides. Hæc quum acta fuissent, Samum Lysander cum classe discedit: Agis autem pedestres copias abductas Decelea dimisit, facta potestatē singulis ad suos reuertendi. Eodem tempore circa dese-

Athenarū deditio, & murorum euersio.

461

† Hoc est, statū talem reip. in quo nulli magistratus fuerint.

Triginta tyrannorum nomina.

ctum solis Lycophron Pheræus, quum Thessaliæ totius adfectaret imperiū: aduersantes conatui suo Thessalos quosdam, in quibus & Larissæi, & alij nonnulli erant, multis interfectis prœlio vicit. Præterea Dionysius tyrannus Syracusanus a Karthaginiēsibus pugna victus, Gelam & Camarinam amisit. Neque multo post Leontini, qui Syracusis habitabant, defectione a Dionysio & Syracusanis facta, suum in oppidum recesserunt: & Syracusani equites confestim Catanā a Dionysio missi sunt.

Samiorū deditio. Samij vero, quum vndique a Lysandro obsidione premerentur, quod iam copias admoturus muris Lysander esset id temporis, quo primum de deditione consultabant: ita tamdem se dedunt, vt liberis hominibus singulis cum vna veste discedendi facultas esset, reliqua ipsi traderent. Atque ita illi tunc oppido excesserunt. Lysander ciuibus pristinis oppido, & vniuersis in eo rebus traditis, ac decem præfectis custodiæ caussa constitutis, sociorum nauales copias singulas ad suos remisit: Laconica vero cum classe Lacedæmonem nauigauit, quum &
462 detracta captis nauibus spolia secum aueheret, & abductas e Piræeo triremes, exceptis XII, & coronas, quibus ipse peculiariter a ciuitatibus donatus fuerat, & argenti talenta CCCCLXX, quæ superabant e tributis, quæ ad bellum hoc ei Cyrus adsignauerat: quidquid aliud denique bello adquisiuerat. Hæc vniuersa Lacedæmoniis tradidit sub æstatis finem, qua post XXVIII annum, sextumque mensem, bello finis est impositus.

Finis belli Peloponesiaci. *Nomina Ephororū tempore belli.* *† al. Charilas.*

His annis Ephori, qui quidem numerantur, hi fuere. Primus Ænesias, quo magistratum gerente bellum cepit, anno XV post pactas annorum XXX inducias, quum Eubœa capta fuisset. Eum hi sequuti sunt: Brasidas, Isanor, Sostratidas, Exarchus, Agesistratus, Angenidas, Onomacles, Zeuxippus, Pityas, Plistolas, Clinomachus, Ilarchus, Leon, † Chæridas, Patesiadas, Cleosthenes, Lycarius, Eperatus, Onomantius, Alexippidas, Misgolaidas, Isias, Aracus, Euarchippus, Pantacles, Pityas, Archytas, Eudicus: quo munus hoc gerente Lysander, rebus iis, quas diximus, gestis, in patriam cum classe rediit. Ceterūm Athenis Trigintauiri statim lecti fuere, posteaquam muri longi & Piræei mœnia fuissent diruta. Verum ad

hoc

hoc delecti, vt leges conscriberent, secundum quas administraretur respublica, dilata semper in aliud tempus earum promulgatione, senatum magistratusque ceteros arbitratu suo constituebant. Deinde ante omnia quos in statu reipublicæ populari ex iniustis aliorum accusationibus se aluisse constabat apud omnes, & qui optimo ac honestissimo cuique graues erant: eos comprehensos capitis arcessebant. Atque hos tum Senatus magna cum voluptate damnabat, tum alij, qui minime sibi flagitiorum eiusmodi conscij essent, id haudquaquam moleste ferebant. Verum postea, quam consultare ceperunt, quo pacto pro sua libidine gerere rempublicam possent: primum Æschine & Aristotele Lacedæmonem missis, Lysandro persuaserunt, daret ipsis operam vt præsidiarij mitterentur, donec improbis e republica sublatis ciuibus, eam recte constituere possent. Policentur etiam, se hos alere sumtu suo velle. Lysander eis adquiescens perfecit, vt Callibius præfectus cum præsidiariis ad eos mitteretur. Tum illi accepto præsidio Callibium omni cultu demulcebant, quo laudaret vniuersa, quæ ipsi agerent. Præterea mittente Callibio cum ipsis præsidiarios, quoscunque vellent comprehendebant, non iam tantum improbos, & nullius existimationis homines: sed illos etiam, quos minime laturos ipsorũ violentas contra se actiones, eisque obuiã ituros, & hominum ad se confluentium copias maximas habituros existimarent. Erat initio Critias in eadem cum Theramene sententia, & amicitiam inter se colebant. Sed postea, quam præceps ad complurium e populo cædes esse cœpit, quippe qui aliquando a populo multatus exsilio fuisset: opposuit ei se Theramenes, quum diceret, haudquaquam par esse illos interimi, qui apud populum in honore essent, & optimos quosque nulla re læderent. Nam & ego, ait, & tu multa tum diximus, tum fecimus, vt gratiam apud populum iniremus. At ille, dum adhuc Theramene familiariter vteretur, sic ei respondebat: vt fieri non posse diceret, quin illi, qui esse loco supra ceteros meliore velint, maxime tollant eos e medio, quotquot ad impediendam ipsorum potestatem plurimum viriũ haberent. Quod si propter-

Res a Triginta uiris gestæ, primum laudabiles.

Initium tyrãnidis Triginta uirorum. 463

Theramenis moderatio.

ea, quia non vnus, sed xxx numero ſimus, minus debere nos de hoc imperio ſollicitos eſſe arbitraris, atq; de tyrannide: ſtultus es. Denique quum multis, & iis iniuſte pereuntibus, multi palam ſe coniungerent, & quid de republica futurum eſſet, mirarentur: rurſus aiebat Theramenes, fieri non poſſe, vt hic paucorum dominatus perduraret, niſi ſi tot in ſocietatē adminiſtrationis rerū adſciſcerentur, quot ſatis eſſet. Tum vero Critias, & ceteri xxx, ab ipſo etiam Theramene non parum ſibi metuentes: ne ciues ad eum confluerent: ciuium IIICIↃ deligunt, qui gerendæ reipublicæ participes eſſent. Heic rurſus aiebat Theramenes, abſurdum ſibi videri, quod quum ab initio voluerint optimos quoſque ciuium in ſocietatem rerum adſciſcere, *nunc IIICIↃ legerint: quaſi numerus hic neceſſitatem quamdam habeat, vt hi viri boni & honeſti ſint: neque fieri poſſit, vt vel extra illos ſint vlli virtute præditi, vel in eorum numero improbi. Deinde, ait, duo vos facere video, maxime ſibi inuicem aduerſantia. Nam & violentum imperium conſtituitis, & ſubiectorum viribus impar. Atque hæc quidem tum a Theramene dicebantur. At illi quum tria, de quibus diximus, ciuium millia in foro, ceteros extra hunc numerum alibi recenſuiſſent, ac deinde vt arma caperent, im-
464 peraſſent, abeuntibus illis, mittunt præſidiarios cum ciuibus, qui ab ipſorum partibus ſtabant, & vniuerſis adimunt arma, exceptis illis IIICIↃ. Quumque in arcem ea deportaſſent, in fano deponunt. His geſtis, quaſi iam ipſis omnia pro libidine faciundi poteſtas eſſet, complures inimicitiarum cauſſa interimūt, nonnullos propter opes. Decreuerunt etiam, vt haberent, vnde præſidiariis ſtipendium ſoluerent, ſingulos ex ipſis comprehendere ſingulos ciues aduenas debere: atque illis interemtis, pecunias ipſorum indicandas eſſe. Theramenem etiam hortantur, vt quemcumque vellet, caperet. At ille: Non ſatis honeſtū, inquit, eſſe mihi videtur, eos, qui ſe optimates profiteantur, iniuſtiora deſignare, quam hactenus ſycophantæ conſueuerint. Nam illi vitam iis relinquebant, quibus extorquebant pecuniam: nos nihil cōmittentes † occidimus, vt opes eorum conſequamur. Quo pacto non hæc ipſorum facinoribus omnino impro-

Triginta virorum facinora.

† *occidemus. Æ.P.*

probiora sunt? Tum illi, qui esse Theramenem ipsis impedimento arbitrarentur, quo minus id, quod luberet, facerent: insidias homini struūt, ac priuatim alius apud alium senatorem illum criminatur, quasi reipublicæ statum conuelleret. Quumque nonnullis adulescentibus, qui præstare ipsis audacia viderentur, vt adessent cum sicis sub ala tectis, imperassent: Senatum cogūt. Vbi iam Theramenes accessisset, consurgens Critias, huiusmodi orationem habuit: Si quis vestrum, Senatores, interfici plures, quam expediat, arbitratur: is cogitet velim, vbicumque respublicę mutentur, huiusmodi accidere. Prę-

Aduersus Theramenē conspiratio.

“ terea quamplurimos esse infestos iis necesse est, qui ad
“ paucorum dominatum mutatione facta transierūt: par-
“ tim quod hæc vrbs vna omnium, quæ Græci nominis
“ sunt, populosissima existat: partim quod diutissime po-
“ pulus hic libertatis alumnus fuerit. Nos autem quū non
“ ignoremus, grauem nobis ac vobis esse ciuilis admini-
“ strationis formam popularem, atque etiam populum
“ Lacedæmoniis, qui nos conseruarunt numquam amicū
“ fore, ab solis vero optimatibus perpetuam fidem exspe-
“ ctandam esse: idcirco de Lacedæmoniorū consilio rem-
“ publicam hanc constituimus, & si quem animaduerti-
“ mus paucorum dominatui aduersantem, hunc quātum
“ possumus, e medio tollimus. Longe vero æquissimum
“ arbitramur, eum pœnas dare, qui de nobis ipsis statum
hunc labefactare conetur. At enim Theramenem hunc 465
“ persentiscimus, quacumque ratione possit, & nos & vos
“ perditum ire. Atque hoc verum vt esse intelligatis, repe-
“ rietis neminem hoc, si quidem animum libebit aduer-
“ tere, neque reprehendere acrius præsentem rerum sta-
“ tum, quam hic ipse Theramenes faciat: neque aduersari
“ magis: quum aliquem factionis popularis principē tol-
“ lere de medio volumus. Iam si ab initio hac in sententia
“ fuisset, hostis quidem ille, sed improbus iure putari ne-
“ quaquam potuisset. At princeps ipse fidei Lacedæmo-
“ niis datæ, & initæ amicitiæ, princeps status popularis
“ euersor exstitit: atque etiam inprimis nos impulit, vt in
“ eos, qui primi delati ad nos fuere, animaduerteremus.
“ Nunc tamen, posteaquam & vos & nos palam populi
“ hostes esse cœpimus, non amplius ei, quæ geruntur, pla-

cent:nimirum vt res suas rursus in tuto collocet, nos vero pœnas eorum, quę fecimus, luamus. Quamobrem eũ non solum vt hostem, sed etiam vt proditorem vestrum ac nostrum omnium, supplicio multari æquum fuerit. Atqui tanto grauius malum est proditio, quam bellum: quantò difficilius occulta caueri possunt, quam aperta. Itidem eo maius odium meretur, quod hostes fœdera rursus iciunt, fidemque datam inter se seruant: qui vero prodidisse aliquem deprehenditur, cum eo neque pacis ineuntur fœdera, neque quisquam ei deinceps fidẽ habet. Enimuero vt videatis, non hæc recens ab ipso fieri cœpta, sed esse hunc hominem a natura proditorem: ea, quæ fecit olim, vobis in memoriam redigam. Nam quũ esset initio magno apud populum in honore, quemadmodum & pater ipsius Hagno fuerat: admodum tamẽ in transferenda rerum summa a populo ad cccc præceps fuit, atque inter eos deinde locum facile principem obtinuit. Verum posteaquam animaduertit, quosdam aduersus horum dominatum coeuntes agitare consilia, vicissim primus populo ducem se aduersus cccc præbuit. Quæ quidem caussa est, quamobrem cothurnus adpelletur. Etenim cothurnus vtrique pedi congruere videtur, & ad vtrumque pertinet. At vero Theramenes, virum vita dignum non in hoc ingeniosum oportet esse, vt eos, quibuscum versatur, ad res capescendas impellat, ac si quid deinde sit impedimenti, statim mutetur: sed tamquam in naui laborando se exercere donec ventus secundus adspiret. Id nisi fiat, quo pacto peruenire homines eo possint, quo volunt: si statim atque aliquid impedimento fuerit, diuersam in partem nauigent? Ni-
466 mirum omnes rerum publicarum mutationes cædes secum ferunt. At tu quod admodum mutabilis esses, in caussa fuisti, quamobrem plurimi paucorum dominatui adhærentes, a populo: rursum plurimi status popularis studiosi, ab optimatibus interimerentur. Hic ille scilicet est, cui quum id negotij dedissent imperatores, vt Athenienses prope Lesbum nauali prœlio demersos tolleret: quamquam eos ipse non sustulisset, duces tamen accusatos morte multauit, vt ipse posset incolumis euadere. Enimuero si quis palam commodi sui rationem

habe-

habere semper nititur, ac neque ipsius honesti decus, neque amicos reueretur: quamobrem illi parcendum sit? quamobrem non cauebimus, ne idem in nos perpetrandi facultatem consequatur, quum in eo motus animi mutabiles esse non ignoremus? Itaque hunc deferimus, vt insidiatorem, & proditorẽ nostri ac vestri. Facere autem nos ab æquitate non abhorrentia, vt intelligatis: hoc etiam cogitetis velim. Longe nimirum pulcherrimus est Lacedæmoniorum reipublicæ status. At in eo si quis Ephororũ haudquaquam pluribus obtẽperare nitatur, sed imperij rationem carpere, atque iis, quæ agerentur, aduersari: an non illum existimatis reliquos Ephoros cum vniuersis ordinibus dignũ iudicaturos grauissimo supplicio? Et vos igitur, si quidem sapitis, non huic, sed vobismet ipsis parcetis. Nimirum si hic incolumis euaserit, multis eorũ animos addet, qui sententiis a nobis dissident: sin peribit, spes omnium, qui & in vrbe, & extra vrbem sunt, præcidet. His dictis Critias, cõsedit.

Tũ surgens Theramenes: Ego vero, inquit, primũ eius mentionem faciam, quod est in accusatione Critiæ postremum. Ait me duces accusatos necasse. At ego primus eos accusare non cœpi, sed commemorabant illi, me licet ab se iussum, tamen eos, qui naufragium in prœlio iuxta Lesbum nauali fecerant, non sustulisse. Tum equidem me defendens, ostendebam: per vim tempestatis ne nauigari quidem, ne dum naufragos tolli potuisse. Hæc a me vero consentanea dici iudicabant omnes. At illi se ipsos accusare videbãtur. Nã quũ seruari eos potuisse dicerẽt, nihilominus ipsi cũ classe discesserant, atq; illos extingui passi fuerãt. Neq; tamẽ miror, hæc Critiã iniuste mihi obiecisse. Nã quo hęc tẽpore gerebãtur, ipse non aderat: sed in Thessalia cũ Prometheo statũ popularẽ instituebat, ac †Penestas aduersus dominos suos armabat. Enimuero quę Critias istic egit, Dij, ne heic fiãt, auertãt. In hoc tamẽ ei adsentior, ęquũ esse, vti is, qui vos imperio deiicere velit, & illorũ, qui vobis insidiãtur, vires adaugere grauissimo supplicio multet. Quis sit aũt is, qui hoc faciat: existimaturos vos pulcherrime arbitror, si & ea, quæ facta sunt hactenus, & quæ abs quouis nostrũ modo fiũt, vobiscũ cõsideraueritis. Igitur quã quidẽ

Theramenis aduersus Critiam oratio.

467

†Peculiaris Thessalorũ vox, qua semiserui apud ipsos adpellabantur.

» diu vos in Senatum legeremini, & magistratus creban-
» tur, ac sycophantæ notorij deferebantur: omnes eadem
» eramus in sentẽtia. Verum posteaquam hi bonos & ho-
» nestos homines comprehendere cœperunt, ex eo tem-
» pore cœpi & ipse ab eis dissidere. Noram enim futurum,
» vt si Leon Salaminius interficeretur, qui & esse videba-
» tur, & erat vir egregius, neque quidquam deliquerat: ci-
» ues eius similes sibi metuerent, ac metu perculsi, huic
» reipublicæ administrationi aduersarentur. Animaduer-
» tebam quoque futurum, vt si Niceratus Niciæ filius,
» comprehenderetur: qui & diues esset, & nihil vmquam
» in populi gratiam fecisset, sicut nec ipsius pater: ciues i-
» psius similes infesti nobis redderentur. Itidem si Anti-
» phontem nos interficeremus, qui belli tempore trire-
mes duas reipublicæ suppeditasset † expeditas admodũ:
sciebam etiam illos omnes, qui cupide rempublicam
» iuuissent, nos suspectos habituros. Præterea tum quoq;
» sum aduersatus, quum dicerent, debere vnumquemque
» ciuem aduenam vnum comprehẽdere. Nam cuiuis per-
» spicuum erat, his interemtis, ciues aduenas omnes huic
» gubernationi infestos fore. Sum aduersatus id temporis,
» quum hi arma multitudini adimerent, quod existima-
» rem, patriam minime debilitandam esse. Nec enim La-
» cedæmonios idcirco nos seruare voluisse perspiciebam,
» vt ad paucos redacti, nihil ipsis commodare possemus.
» Nam hoc si spectassent, licuisset eis nos ad exiguum ad-
» huc tempus sic fame premere: vt nemo nostrum hodie
» superstes esset. Ne id quidem mihi cum aliis placuit, vt
» præsidiarij stipendio conducerentur: quum totidem ci-
» ues nobis adiungere potuissemus, tantisper dum nos,
» qui rerum summæ præeramus, subditis superiores eua-
» deremus. Enimuero quum multos in vrbe viderem im-
468 perio nostro infestos, multos in exsilium eiici: nequaquã
» arbitrabar vel Thrasybulum, vel Anytum, vel Alcibiadẽ
» proscribendum esse. Noram enim, hoc pacto vires ad-
» uersariis nostris accedere: si multitudo duces idoneos
» nancta esset, ac ducum munere fungi volentibus ma-
gnæ se copiæ sociorum offerrent. † Hæc qui aperte mo-
nebat, eumne pro beneuolo duci æquius est, an prodi-
» tore? Non illi, Critia, qui ne multos nobis hostes redda-
mus,

† Lectio marginis.

† Lectio marginis.

mus, prohibent: neque qui nos monent, vt socios nobis multos adiũgamus, hostium vires adaugent: sed multo magis, qui pecunias per iniuriã ciuibus auferũt, ac nihil delinquentes occidunt, hi inquã multo magis illi sunt, qui & aduersariorum numerum maiorem efficiunt, & non solum amicos turpis lucri caussa, sed etiam seipsos produnt. Quod si nõ aliunde verum me dicere animaduertitis, sic rem considerate. Vtrum existimatis Thrasybulum, Anytum, exsules ceteros malle heic ea fieri, quæ ego dico, quam quæ hi perpetrant? Equidem arbitror, illos hoc sibi tempore sociorum omnia plena esse putare. Verum si pars optima reipublicæ animi beneuolentia coniuncta nobis esset, difficulter se vel agrum nostrũ alicubi ingressuros existimarent. Quod vero talem me dixit esse, qui semper mutetur: de eo velim hoc animaduertatis. Quadringentorum administrationem populus ipse sciuit, quum edoctus esset, cuiuis potius reipublicæ formæ Lacedæmonios fidere, quã populari. Quũ autem illi nihil remitterent, & Aristoteles, Melanthius, Aristarchus duces, palam ad aggerem munitionem exstruerent, in quam receptis hostibus, sibi atque aliis vrbem subiicere volebant: id me sentientem prohibuisse, hoccine vero amicorum est proditorem esse? Adpellat etiam me Cothurnum, vt qui vtrisque congruere nitatur. At qui neutris placet, eum per Deos immortales quo tamdem nomine adpellabimus? Tu nimirum in populari statu, acerrimus populi hostis habitus es: & in optimatum dominatu, nemo te optimates odio magis capitali prosequebatur. Ego vero, Critia, quemadmodum illis semper aduersor, qui prius popularem statum recte se habere posse negant, quam & serui, & alij, qui ob inopiam drachma ciuitatem venderent, ob vnam drachmã participes eius fiant: ita me semper iis etiam oppono, 469
qui prius recte constitui posse dominatum paucorum haud putant, quam eo res deducta sit, vt a paucis respublica per tyrannidem opprimatur. Quod sane statũ reipublicæ prius optimum idcirco fuisse putauerim, quod essent, qui & cum equis, & cum scutis eam iuuare possent, in hoc ego sententiam meam minime muto. Tu si dicere potes, Critia, me vel popularibus, vel tyrannicis

» factionibus homines probos & honestos a republica
» depellere conatum fuisse: idipsum profer. Nam si conui-
» ctus fuero vel nunc illud moliri, vel vmquam antea fe-
» cisse: fatebor, me omnium extrema supplicia perferentē
» merito interfici. Hoc modo quum perorasset, ac senatus quadam cum indicatione beneuolentiæ admurmurasset: intelligens Critias, hominem euasurum, si senatui de ipso iudicandi potestatem concederet, quod quidem si eueniret, vitam sibi acerbam fore ducebat: accedit, & cum XXX nonnihil colloquutus exit, ac palam eos adsistere senatui ad cancellos iubet, qui pugiones gestabant.
» Deinde rursus ingressus: Equidem, ait, Senatores, eum
» præsidis optimi munere fungi arbitror, qui se vidente
» circumueniri amicos non patitur. Quamobrem & ipse
» hoc munere fungar. Nam qui heic nobis adstant, per-
» missuros se nobis negant, vt hominem palam hanc no-
» strum paucorùm potestatem euertentem dimittamus.
» Est autem perscriptum nouis in legibus, ne quis ex IIICIↃ
» numero sine decreto vestro interficiatur. Eos vero, qui
» hoc numero non contineantur, morte multandi pote-
» statem Trigintauiris summam esse. Quapropter hunc
» ego Theramenem cum vestrum omnium consensu ex
» hoc catalogo deleo, & in eum nos supplicio capitali a-
» nimaduertimus. His auditis, in aram Theramenes insi-
» liens: Ego vero, ait, rem omnium æquissimam supplici-
» ter postulo, ne sit in potestate Critiæ, vt vel me, vel ali-
» quem vestrum, quem quidem ipse velit, deleat: sed vt se-
» cundum eam legem, quæ lex ab his Trigintauiris lata,
» de illis est, qui catalogo continentur, tam de vobis, quā
» de me cognoscatur. Nec profecto equidem ignoro, ni-
» hil admodum aram hanc mihi profuturam. Nihilomi-
» nus ostendere volo, non hos tantum erga homines in-
» iustissimos esse: sed etiam erga Deos maxime impios.
470 De vobis quidem certe, viri optimi, non potest non mi-
» rum mihi videri, nolle vos opem vobismet ipsis ferre:
» præsertim quum intelligatis, nihilo magis esse meum
» delebile, quam vnius cuiusque vestrum nomen. Secundum hæc Trigintauirum præco ad Theramenem Vndecimuiros arcessiuit. Qui posteaquam ingressi cum apparitorib. duce Satyro fuissent, homine inter ipsos longe tum

ge tum audacissimo, tum impudentissimo: Tradimus vobis, ait Critias, Theramenem hunc secundum legem damnatum. Eum vos vndecimuiri arreptum, quo oportet, abducite: ac porro cum illo quod agendum erit, facite. Hæc quum dicta fuissent, non solum Satyrus, sed lictores etiam reliqui ab ara ipsum auellebant. At Theramenes, vti par erat, Deos & homines implorabat, vt quæ secum agerentur, adspicerent. Senatus vero tacitus nihil moliri, qui stantes ad cancellos homines Satyri similes, & ante curiam præsidiariis omnia plena conspiceret, nec ignoraret eos sicis instructos adesse. Theramenes quum per forum duceretur, voce admodum cõtenta, quo pacto secum ageretur, indicabat. Aiuntque tum hoc quoque verbum ab illo fuisse prolatum. Quũ Satyrus diceret, daturum pœnas, ni taceret, interrogabat: Quod si ergo tacuero, pœnas non dabo? Tamdem quum mortem obire cogeretur, & cicutã biberet: proditum est id, quod reliquũ erat in poculo, sic ipsum eiecisse, vt resonaret, simulque dixisse: Hoc pulchro illi Critiæ propinatum esto. Nec ignoro equidem, pretium operæ non esse, hæc ipsius dicta commemorari: sed illud tamen in eo dignum esse admiratione iudico, quod imminente morte, nihil ipsius animus neque de prudentia, neque de iocandi cõsuetudine remiserit. Hic vitæ Theramenis exitus fuit. Ceterum Trigintauiri, quasi iam metu soluti facultatem exercendæ tyrannnidis haberẽt: partim iis, qui catalogo non continebantur, denuntiabant, ne vrbem ingrederentur: partim eos e fundis suis abducebant, vt ipsi cum amicis agros illorum possiderẽt. Hi quum fuga se in Piræeum recepissent, atque etiã inde magno numero a Trigintauiris abducerentur: tum Megara, tum Thebæ cedentium turba repletæ sunt. Secundum hæc quum Thrasibulus Thebis, cum aliis plus minus LXX, mouisset: Phylam occupat, locum munitum. Aduersus hos Trigintauiri ex vrbe cum suis illis ⅠⅠⅭⅠↃ, & quum equitatu die perquam sereno pergunt. Phylam vbi ventum esset, mox audaculi quidam iuuenes locum adoriuntur, & re infecta vulnerati discedunt. Quum autem Trigintauiri muro eos cingere vellent, vt occlusis itineribus, per quæ commeatus deportaretur, tamdem

Mors Theramenis, & apophthegmata morituri.

Thrasybulus Phylam occupat. 471

eos expugnarent: accidit, vt noctu vis ingēs niuis decideret. Quamobrem postridie niuibus obruti ad vrbem redeunt, magna calonum parte ab iis, qui extra Phylam eruperant, nudati. Quumque futurum intelligerent, vt illi de agris quoque prædas agerent, si nulli excubitores constituerentur: ad extremos limites, plus minus xv stadiis a Phyla distantes, concessos a Lacedæmoniis præsidiarios paucis exceptis omnes, cum duabus equitū turmis mittunt. Hi castris loco arboribus denso metatis, excubias agebant. At Thrasybulus collectis iam ad oppidū †Phylam plus minus ıɔcc, eisque secum sumtis, noctu descendit. Quumquē trium vel quatuor fere stadiorum ex interuallo subsistere suos in armis a præsidiariis iussisset, quiescebat. Posteaquam propius iam dies adesse cœpisset, & hostium quilibet a castris, quo forte cuique opus esset, discederet: equisones etiam tergendis equis strepitum excitarent: tum vero Thrasybuli milites sumtis armis cursu in hostes feruntur, eorumque nonnullos adsequuntur, vniuersis autem in fugam coniectis a tergo ad stadia sex aut septem inhærent. E grauis armaturæ peditum numero, supra cxx occidunt: ex equitibus Nicostratum cognomēto Pulchrum, & alios duos, quos adhuc in cubilibus deprehenderant. Postea recedentes constituto tropæo, & armis ac sarcinis, quibus potiti erant, collectis: Phylam redeunt. Interim qui in vrbe erāt equites, quum opis ferendæ caussa excurrissent: nemine hostium conspecto, tantisper manent, donec interfecti a propinquis tollerentur, ac deinde in vrbem se recipiūt. Post hæc Trigintauiri, qui rerum suarum statum non amplius in tuto esse arbitrarentur, Eleusinem suam priuatim in potestatem redigere cogitant, vt illam refugij loco haberent, si quidem ita necessitas posceret. Quamobrem & Critias & ceteri Trigintauiri iussis equitibus secum ire, Eleusinem proficiscuntur. Quumque lustrationem inter equites instituissent, quod scire se velle dicerent, quantus esset Eleusiniorum numerus, & quanto eis præsidio foret opus: vniuersos nomina sua profiteri iubent. Qui professus esset, eum per ostiolum egredi ad
472 mare iubent. At in littore collocati ex vtraque parte equites erant, & lictores quemlibet exeuntem vinculis con-

† Lectio marginis.

Thrasybuli strategema.

Nouum Trigintavirorum facinus.

constringebant. Posteaquam omnes comprehensi fuissent, dāt hoc Lysimacho equitū præfecto negotij, vt abductos Vndecimuiris traderet. Postridie quotquot erāt in catalogo grauis armaturæ milites, & equestres item copias, in † Odeum conuocant. Tum Critias surgens: Nos, inquit, non minus vobis, quam nobis ipsis hac republica constituēda consulimus. Quamobrem æquum est vos itidem, vt honorum participes eritis, sic etiam in periculorum societatem venire. Vt igitur eadem vtamini fiducia, qua nos, & eadem metuatis: damnandi nobis erunt Eleusinij, quos collectos habemus. Quumque locum quemdam demonstrasset, in eo iussit vt palam calculi ferrentur. Interea præsidiarij Laconici dimidiam Odei partem armati occupauerant. Atque hæc nonnulli etiam ciues probabant, quotquot commodorum priuatim suorum dumtaxat rationem habebant. Secūdum hæc Thrasybulus sumtis secum illis, qui apud Phylam prope iam CIↃ numero conuenerant, noctu in Piræeum venit. Id posteaquam Trigintauiri animaduertissent, statim cum præsidiariis Laconicis, & equitum peditumque grauis armaturæ copiis, ad ferendum suis opē concurrunt. Deinde via, qua Piræeum versus agi plaustra possunt, progrediuntur. At qui Phyla venerant, primum eos impedire conantur. Verum quia ingens esset ambitus, magnaque præsidiariorum copia requiri videretur, quum ipsi necdum multi essent: in Munychiam per cohortes se conferri recipiūt. Vrbani vero quum in forum Hippodameum venissent, primum sic instruunt aciem, vt viam omnem complerent, quæ ad Munychiæ Dianę templum, & ad † Bendideum ducit. Aciei densitas non pauciores L scutatis cōtinebat. Ita illi acie sua instructa, sursum pergebant. At qui Phyla eruperant, & ipsi viam complebant: ita tamen, vt aciei densitas vltra pedites armaturæ grauis decem non haberet. Post eos & cetrati, & iaculatores inermes collocati erant, quibus illi succedebant, qui saxa in hostem contorquerent, & eorum sane magna erat copia. Nam horum numerus per ciues ex illo ipso loco ad eos accedentes augebatur. Interea dum ad hos progrediuntur aduersarij, Thrasybulus suis imperat, vt scuta ponerēt. Ipse etiam scuto suo posito, cum

† Interpres Aristophanis: Odeū, inquit, locus theatro similis, in quo poemata recitabātur, priusquā in Theatrum producerentur. Etiā Cic. hac voce ad Attic. vsus est.

Thrasybulus Piræeum occupat.

† Etiā hoc templi nomē Athenis.

armis ceteris stans in agmine medio, hanc orationem habuit: Volo ego, ciues, partim vos docere, partim commonefacere, ex hostibus aduersum nos contendentibus illos, qui cornu dextrum obtinent, eosdem esse, quos die ab hoc quinto in fugam actos persequuti sitis: alios vero, qui ad læuam vltimi sunt, Trigintauiros esse, qui nos per iniuriam patria spoliarunt, ædibus nostris eiecerũt, amicissimos nobis eorum in numerum retulerũt, quorum bona publicarentur. Enimuero nunc eo loci peruenere, quo illi nunquam se peruenturos existimabãt: nos autem semper, vt deuenirẽt, optabamus. Nam & aduersus eos heic armati consistimus, & Dij modo nobis palam opitulantur, qui norunt, quod & inter cœnandum aliquando comprehendebamur, & inter dormiendum, ac mercandum: immo nonnulli nostrum non dicam nihil delinquentes, sed etiam peregre domo profecti, exsilio multabamur. Nimirum Dij cælo sereno tempestatem nuper concitabant, quum ita nobis expediret: & quum hostes adgrederemur, tametsi aduersus nos magnis illi cum copiis consisterent, nihilo minus nobis numero paucis hoc tribuerunt, vt tropæa constitueremus. Nunc quoque nos in eum locum deduxerunt, in quo illi neque telis neque iaculis supra suos ante se collocatos emissis petere nos possunt, quod necesse sit, vt locum accliuem subeãt: nos contra deiectis per decliuia saxis, iaculis, hastis, & pertingemus ad ipsos, & multos vulnerabimus. Etiã existimasset aliquis, necessario nobis pugnandum in hostem ex æquo loco fuisse, præsertim iis, qui prima in acie consisterent. Nunc vero, si quidem vos, vti conuenit, alacriter in hostem tela conieceritis, nemo ab iis aberrabit, quibus via tota referta est: & si cauere sibi voluerint, perpetuo sub clupeis latitabunt: quo quidem fiet, vt facultatem habiturissimus feriendi eos tamquam cæcos, vbi libitum fuerit, & irruentes aduersum nos in fugam vertendi. Nimirum sic gerenda res erit, ciues, vt vnusquisque nostrum non aliter sibi conscius sit, ac si auctor inprimis ipse victoriæ partæ foret: quæ quidem nobis, Deo propitio, nunc & patriã, & domos, & libertatẽ, & honores, & liberos, quibus quidem liberi sunt, & vxores restituet. Felices illos, qui e nobis

bis

bis victoria parta diem hunc vnum omnium iucũdissi-
mum adspicient. Nec minus beatus erit, quicumque
hic in prœlio cadet. Nemo enim, quantumuis opulen-
tus, tam præclarum monumentum consequetur. Equi- 474
dem vbi opportunum fuerit, pæanem exordiar: quumq;
Martẽ implorauerimus, omnes vno animo iniurias ab
hostibus acceptas vindicemus. Hæc vbi dixisset, in hostẽ
conuersus, se tamẽ à prœlio continebat. Edixerat enim
hariolus, ne prius hostẽ inuaderent, quã aliquis ex ipso-
rum acie vel caderet, vel vulneraretur. Id vbi euenerit,
inquit, nos præibimus: sequet᷑ victoria: me quidẽ mors,
vt arbitror. Neq; falsum hoc vaticinium fuit, sed quam-
primum arma cepissent, ipse tamquam fato quodã du-
ctus, primus in aduersos insiliit, & medios inter hostes
occisus est: sepultus eo loci, vbi Cephissus amnis vado
transitur. Ceteri victoria potiebantur, & hostẽ in plani-
ciem vsq; persequebantur. Occisi sunt hoc in prœlio de
Trigintavirũ numero Critias & Hippomachus, ex decẽ
in Piræeo primoribus Charmides Glauconis filius: cete-
rorum plus minus LXX. Interfecti ciues non vestibus, sed
armis spoliati sunt. Quo facto, per inducias mortuorum
cadauera reddita: multi quoq; congressi inter se collo-
quebãtur. Et Cleocritus Mystarũ præco, cui vox erat ad-
modũ clara, indicto silentio, in hanc sententiã loquutus
est: Quamobrẽ nos expellitis, ciues? quamobrẽ nos in-
terficere vultis? Nihil nos damni vobis vmquã intuli-
mus, sed eorumdẽ vobiscum longe augustissimorum sa-
crorum, victimarum, feriarum pulcherrimarũ partici-
pes fuimus: eosdẽ choros celebrauimus, cõdiscipuli fui-
mus, & commilitones, & multa vobiscũ terra marique
pro cõmuni vtrorumq; salute ac libertate, pericula adi-
uimus. Per Deos patrios ac maternos, per cognationem,
adfinitatem, sodalitatẽ, quæ quidem vniuersa inter nos
plerosq; communia sunt, Deos & homines reueriti, tã-
dem in ipsam patriam delinquẽdi finem facite, nec sce-
lestissimis Trigintauiris obtemperate, qui sui priuati lu-
cri gratia prope plures Athenienses sustulerunt, octo
mensium spatio: quam vniuersi Peloponesij, totos decẽ
annos bellum aduersus nos gerentes, interfecissent.
Quumque liceret nobis in republica pacate viuere, bel-

Vaticiniũ euentu cõprobatũ.

» lum hi longe omnium fœdissimum, grauissimum, maxime nefarium, denique diis & hominibus plane detestandum inter nos excitarunt. Scire quidem certe debe-
475 tis, nonnullos eorum, qui modo interfecti a nobis sunt,
» non tam a vobis, quam nobis ipsis deploratos esse. Hæc ille quum dixisset, magistratus ceteri etiam hanc ipsam ob caussam, quod verba huiusmodi post cladem acceptam audirent, suos in vrbem abducunt. Postridie Trigintauiri deiectis admodum animis, ac deserti, in concilio sedebant: & ciues illi numero ter mille, vbicumq; collocati fuerant, nusquam non inter se dissentiebant. Nam qui violentius aliquid designauerant, ac sibi metuebant: enixe negabant, quidquam iis cedendum esse, qui essent in Piræeo. Quotquot autem nihil se iniuste perpetrasse confidebant, non solum sanam ad mentem redibant: sed alios etiam docebant, nihil esse, quamobrem his malis premerentur. Negabant etiam Trigintauiris parendum esse, minimeque committendum aiebant, vt patria periret. Tamdem decretum, vt Trigintauiris imperium abrogaretur, & alij eorum loco legerẽtur. Itaque x lecti, vnus ex quauis tribu. Tunc & Trigintauiri Eleusinem se recipiebant, & Decemuiri plebis vrbanæ curam, omnibus maxime perturbatis, ac sibi inuicem diffidentibus, vna cum equitum præfectis gerebant. Equites ipsi cum equis & scutis in Odeo pernoctabant. Et quia nemini fidebant, a vespera cum scutis propter muros vigilias obibant: matutino autem tempore conscendebant equos, semper solliciti, ne qui e Piræeo ipsos inuaderent. Illi contra, quod & multos, & omnis generis homines secum haberent, arma partim lignea, partim viminea fabricabant, eaque dealbabant. Prius vero, quam dies x præteriissent, fide omnibus data, qui hoc ipsis in bello se vellent adiungere, promissaque rerum omnium æqualitate iis etiam, qui peregrini essent: multi tum grauis armaturæ, tum expediti milites exibant. Accedebant præterea plus minus LXX equites. Quoties pabulatum ibant, lignis ac fructibus acceptis, rursum in Piræeo pernoctabant. At eorum, qui erant in vrbe, armatus prodibat nemo: tantum vrbani equites interdũ prædatum egressus e Piræeo capiebant, & phalan-

Trigintauiris magistratus abrogatur

langem ipsorum infestabant. Accidit autem aliquando, vt in quosdam iuuenes ex iis, qui extra vrbem erant, & commeatus caussa suos in agros exierant, inciderent: quos Lysimachus equitum præfectus multum deprecãtes, atque etiam non paucis equitibus moleste ferentibus, iugulauit. Contra, qui erant in Piræeo, quum ex e- 476
quitum numero Callistratum de Leontide tribu in agro cepissent, vicissim occiderunt. Nam ita magnos iam gerebant animos, vt ipsum quoque murum vrbis adgrederentur. Quod si hoc quoque narrãdum, erat in vrbe quidam machinarum artifex: qui vbi futurum intellexisset, vt hostes iuxta curriculi locum, qui se porrigit e Lyceo, machinas admouerent: iussit, vt omnibus iumentorum iugis saxa, quæ vel singula plaustris onerandis sufficerẽt, comportarentur: atque in curriculo, vbicumque visum alicubi esset, abiicerentur. Id vbi fieret, saxum quodlibet multum negotij exhibebat. Quum autem legati Lacedæmonem mitterentur a Trigintauiris Eleusine, ab aliis, qui erant in catalogo, ex vrbe: qui Lacedæmonios ad ferendum suppetias hortarentur, quasi iam populus a Lacedæmoniis defecisset. Lysander secum ipse cogitãs, fieri posse, vt qui erant in Piræeo, terra & mari celeriter expugnarentur, si commeatu prohibiti fuissent: impetrat a suis, vt talenta centum illis mutuo darentur, & vt ipse copiarum terrestrium prætor: Libys frater præfectus classis ad hoc bellum ablegaretur. Ipse profectus Eleusinem versus, Peloponesios multos cogebat: classis vero præfectus in mari obseruabat, ne quid commeatus ad hostes nauigiis importaretur. Quo factum, vt rursus breui momento magna rerum esset apud illos difficultas, qui erant in Piræeo: vrbani contra propter Lysandrũ animos sumerent. Quum hic rerum successus esset, rex Pausanias, qui Lysandro inuideret, quod partim re bene gesta gloriam consequuturus esset, partim Athenas suas effecturus: tribus Ephoris in sententiam suam traductis, præsidiarios educit. Eum socij vniuersi sequebãtur, Bœotis & Corinthiis exceptis. Nam illi se aiebant existimare, contra iurisiurandi religionem futurum, si aduersus Athenienses bellum susciperent, qui contra formulam fœderis nihil admisissent. Atque hoc propterea facie-

Lysander in Atticã redit.

Lysander a rege Pausania impeditur.

bant,quod putarent,velle Lacedæmonios agrum Athe-
niensem suam in potestatem & obœdientiam redigere.
Habebat castra Pausanias in loco, cui nomen Halipedi,
non procul a Piræeo, ac dextrum cornu ipse obtinebat:
Lysander cum stipendiariis copiis læuum. Quumq; Pau-
sanias ad obsessos mitteret. Qui eos ad sua discedere iu-
477 berent,atque illi non parerent: militem muris admouit
rumoris caussa, ne palam fieret, ipsum obsessis fauere.
Posteaquam ab hac oppugnatione nulla re effecta dis-
cessisset, postridie sumtis secum duabus Lacedemonio-
rum cohortibus,& turmis equitum Atheniēsium tribus,
ad portum † Mutum se confert,vt quo loco Piræeus mu-
nitione obuallari commode posset, consideraret. Hinc
eo discedente,quia nonnulli accurrebant, & negotium
ipsi facessebāt:cōmotus imperat, vt equites pleno cursu
in eos impetū facerent,quibus se illi adiungerent, quot-
quot annis x pubertatem excessissent: cum reliquis ipse
subsequebatur.Ab his prope xxx velites sunt occisi. reli-
qui terga dabant, quos Pausaniæ milites ad Theatrum
vsque,quod est in Piræeo,persequuti sunt.Ibi se tum for-
te cetrati omnes,ac grauis armaturę pedites eorum,qui
erant in Piræeo, armabant: statimque velites facta ex-
cursione iacula vibrabant,feriebant,sagittis & fundis v-
tebantur.Lacedæmonij,quorum permulti vulneraban-
tur, grauiter pressi pedem paullatim referebant. Tum
illi multo magis eos vrgere,quo quidem factum,vt istic
occumberent Chærōn & Thibrachus,ambo † Polemar-
chi,cum Lacrate certaminis Olympici victore,atque a-
liis Lacedæmoniis, qui ante portas, in Ceramico sepulti
sunt. Hæc quum Thrasybulus,alique grauis armaturæ
milites cernerent: suis opem ferebant, & celeriter ante
alios aciem in octonos instruebant. Pausanias quum ad-
modum vrgeretur, ac stadia quatuor aut quinque ver-
sus tumulum quemdā cessisset:Lacedæmoniis, reliquis-
que sociis mādat,vt ad se concederēt. Atq; heic phalāgē
instructa,eaq; perquam densa,aduersus Athenienses du-
cit.Excipiūt illi primo Lacedęmonios comminus,dein-
de partim in lutum,quod est propter † Halas, protrudū-
tur:partim fugam arripiunt.Interfecti ex eis plus minus
CL. Pausanias excitato tropæo discessit, ac ne tum quidē
offen-

† Fortasse sic dictum, quod trāquillus esset, quemadmodū Homerus κῦμα κωφὸν dixit pro fluctu sine strepitu.

† Ad verbum, Belli præfecti. Magistratus apud Spartanos.

† Loci nomen. Vide Stephanū περὶ πόλεων in Αλαεφλωίδες.

offensus, clam ad ipsos mittit, qui Piræenses docerent.
quibus cum mandatis ad se, atque ad Ephoros præsentes,
mittere legatos deberent. Parent illi Pausaniæ, qui
quidem & vrbanos a se inuicem dirimit, eisque mandat,
vt collecti quamplurimi se atque Ephoros adirẽt, ac nihil
esse caussæ dicerent, quamobrẽ Piræenses oppugnarent.
Malle se, vt pace facta, pariter vtrique Lacedæmoniis
amici sint. Erant hæc etiam Nauclidæ Ephoro per- 478
quam auditu iucunda. Nam vti positum est in more at-
que instituto Lacedæmoniorum, Ephoros regi duos in
expeditionibus adiungi: ita tum quoque Nauclidas, &
alius quidam, aderãt: quorum vterque magis Pausaniæ,
quam Lysandro adsentiebatur. Quapropter cupide La-
cedæmonem, non solum missos, e Piræeo nuntios, qui
secum fœderis ineundi cum Lacedæmoniis formulam
ferrent: verum etiam nonnullos ex vrbe priuatos homi-
nes, vna cum Cephisophonte ac Melito, ablegãt. Hi po-
steaquam Lacedæmonem abire cœpissent, etiã publico
nomine missi sunt ex vrbe, qui dicerẽt: se & muros suos,
& seipsos Lacedæmoniorum arbitrio permisisse: ac pro-
pterea æquũ censere, vt etiam illi, qui se in Piræeo con-
tinerent, siquidẽ Lacedæmoniis amicos se profiterẽtur,
Piræei ac Munychiæ deditionem facerẽt. Quũ auditi ab
Ephoris & † euocatis omnes essent, missi sunt Athenas
viri quindecim: eisq; mandatum, vt vna cũ Pausania, quã
possent æquissime, rem componerent. Facta condicio-
nibus huiusmodi transactio, vt pacem inter se mutuo
colerent, & singuli ad sua se conferrent, exceptis Trigin-
tauiris, & Vndecimuiris, & Decemuiris, qui imperium in
Piræeo obtinuissent. Quod si qui ciues vrbani sibi me-
tuerent, iis esse migrandum Eleusinem statuunt. His ita
transactis, Pausanias ad suos exercitum traducit. At ve-
ro qui erant in Piræeo, cum armis in arcem adscenden-
tes, Mineruæ sacrum faciunt. Post vbi duces descendis-
sent, Thrasybulus hac oratione vsus est: Equidem vobis,
ciues in vrbe qui mansistis, hoc do consilij: vt vosmet i- “
psos noscatis. Egregie vero vosmet noscetis, si vobiscum “
ipsi perpendere volueritis: quamobrem tanti vobis a- “
nimi gerendi sint, vt in nos imperium ipsi vsurpetis. “
An iustiores nobis estis? Atqui populus longe, quam “

Pausanias & Ephori duo, pacis auctores contra Lysandrum.

† ἔκκλητοι sunt ij, qui euocantur ad conuentũ publicũ, hoc est, ἐκκλησίαν. Sic infra 529 ἔδοξε τοῖς ἐφόροις καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ.

» vos, pauperior, opum caussa nihil in vos vmquam iniqui
» designauit: quum vos ditissimi omnium, multa, eaque
» fœda, lucri caussa perpetraueritis. Iam quum nomine iu-
» stitiæ, quamobrem vosmet efferatis, caussa nulla sit: cō-
» sidereris velim, sintne propter fortitudinē vobis sumen-
» di animi. At quinā de hoc fieri iudicium rectius posset,
» quam ex eo, quod inter nos gestum est, bello? Num con-
» silio præstare vos diceris, quum instructi a muris, armis,
479 opibus, Peloponesiis etiam societate deuincti, nihilo-
» minus per eos ad hunc statum rerum vestrarum perue-
» neritis, qui ab his omnibus imparati erant? Num Lace-
» dæmoniis fretos efferri vos animis æquum putatis? At
» quomodo? quum vos illi, quemadmodum solent, qui
canes mordaces † numella constrictos admorsis tradūt, huic populo tradiderint, quem vos iniuriis adfecistis, ac deinde discedentes nusquam adpareant. Enimuero nōlim vos, ciues, quidquam eorum violare, quæ sacramēto sunt cōfirmata: sed auctor sum, vt prçter reliqua decora vestra demonstretis, etiā præstiti iurisiurandi, ac pietatis laudem vobis deberi. His atque aliis talibus in mediū prolatis, nimirum non esse, cur perturbentur, sed priscis tantum legibus viuendum esse: concionem dimisit. Ac tum quidem creatis magistratibus, rempublicam administrabant. Ceterum aliquanto post, quum ab iis, qui Eleusine agebant, externum militem stipendio conduci accepissent: suscepta totius concursu populi aduersus eos expeditione, duces ipsorum in colloquium venientes interfecerunt: missisque amicis ac necessariis ad reliquos, vti secum in gratiam redirent, persuaserunt. Quūque sacramenta sancte præstitissent, iniuriarum se nequaquam fore memores: etiam adhuc populo iis inhærente, quæ tunc iureiurando sancita sunt, in eadem coniuncti republica viuunt.

† Græce κλοιός, proprie lignum, cui sontes illigati: collo deorsum compresso, suspicere nō possunt. Lex hæc Solonis de canibus apud Plutarch.

Pax & ἀμνηστία constituta Athenis.

XENO-

XENOPHONTIS HISTORIARVM GRÆCARVM LIBER III.

Argumentum.

1. *Lacedæmonij Cyrum vicißim adiuuant.* 2. *Belli inter Græcos, & Persas moti caussæ.* 3. *Dercyllidas Thimbroni succedit.* 4. *Caussæ cur Dercyllidas Pharnabazũ bello petierit.* 5. *Mania Zenis vxor, marito mortuo sufficitur.* 6. *Maniæ virtus.* 7. *Mania cum filio per generi fraudem, ac insidias perit.* 8. *Res a Dercyllida gestæ.* 9. *Athenadæ temeritas.* 10. *Midias res iniuste partas amittit.* 11. *Dercyllidæ prudentia.* 12. *Odrysarum temeritas.* 13. *Dercyllidæ imperium prorogatur.* 14. *Dercyllidæ celeritas in munienda Cherroneso.* 15. *Tissaphernis timiditas.* 16. *Belli inter Eleos, Lacedæmoniosq; gesti caussæ.* 17 *Huius belli quis fuerit exitus.* 18. *Agidis mortem sequuta est. Agesilai, & Leotychidæ de regno contentio.* 19. *Agesilaus, licet esset claudus, tamen auditis hinc inde rationibus, in medium ab vtraq; litigantiũ parte prolatis, Ciuitatis iudicio Rex creatur.* 20. *Coniuratio aduersus Rempub. Spartanam.* 21. *Quomodo oppressa.* 22. *Ephororum prudentia.* 23. *Cinadonis ambitio, & supplicium.* 24. *Belli Laconici aduersus Persarum Regem suscepti caussæ.* 25. *Agesilaum sacra facere volentem Bœoti per insignem contumeliam impediunt.* 26. *Agesilaus aduersus Persas cum copiis proficiscitur.* 27. *Tissaphernis perfidia.* 28. *Origo æmulationis inter Agesilaum, & Lysandrum.* 29. *Autoritas Lysandri quomodo minuta fuerit.* 30. *Lysandri cum Agesilao expostulatio.* 31. *Agesilai magnanimitas.* 32. *Agesilaus honesta fraude Tissaphernem eludit.* 33. *Equitatũ parat, suos exercet. Tempus, locus, modus.* 34. *Cur Persas, captiuos, nudos iusserit vendi.* 35. *Tissaphernes seipsum stulte decipit.* 36. *Agesilaus equitatum Persicum vincit.* 37. *Tissaphernem Rex Persarum vbi, quando,*

çur, quomodo interfici iusserit. 38. Tithraustes auro Græcos corrumpit. 39. Græci cũ Thebanis aduersus Lacedæmonios conspirat. 40. Lacedæmonij cur Thebanis essẽt infensi. 41. Lysander aduersus Thebanos a Lacedæmonijs cũ exercitu mittitur. 42. Thebani legatos Athenas mittunt, per quos auxiliũ aduersus Lacedæmonios petũt. 43. Athenienses gratiã Thebanis referunt, seq; gratos ipsis præstant. 44. Lysander Haliartũ adoritur. 45. A Thebanis occiditur. 46. Pausanias rex, capitis damnatus, exilio moritur.



Ic seditionis Atheniensis exitus fuit. Secundũ ea missis Cyrus Lacedæmonem nuntiis, petebat: vt Lacedęmonij non aliter se erga ipsum gererent, atq; ipse in bello aduersus Athenienses se gessisset. Hæc postulata quod æqua

Lacedæmonij vicissim Cyrum adiuuant.

censerent ephori, Samio classis pręfecto denuntiant, vt vbicumque requireretur ipsius opera, Cyro eam deesse ne pateretur. Atque is perlubenter, quidquid Cyrus peteret, faciebat. Nam cum suis Cyrique naualibus copiis in Ciliciam circumuectus, perfecit: vt Syennesis, qui
480 cum imperio Ciliciam obtinebat, impedire Cyrum terra non posset, quum aduersus regem is pergeret. Ceterũ quo pacto copias Cyrus collegerit, & cum eis aduersus fratrem adscenderit: tum qui pugna commissa fuerit, perierit ipse, Græci deinde salui ad mare peruenerint:

Themistogenes huius scriptor historiæ. Vide Notas.

Caussæ belli inter Græcos & Persas.

Themistogenes Syracusanus memoriæ prodidit. Post vbi Tissaphernes, qui visus esset regi plurimum in gerẽdo aduersus fratrem bello profuisse, nõ solum eius, quã ipse prius obtinuisset, verum etiam Cyri ditionis satrapa factus esset: mox ciuitates Ionicas omnes imperio suo parere volebat. Illæ vero, quod partim in libertatem se vindicare cuperent, partim Tissaphernem metuerent, quia Cyrũ dum is adhuc esset in viuis, Tissapherni prætulerant: nequaquam eum in vrbes suas admittebant, sed missis Lacedæmonem legatis petebant, vt quando totius ipsi Græciæ præsides ac duces essent: se, natione Græcos, habitantes in Asia, non negligerent: sed darent operam, vt ipsorum ager a populationibus immunis esset, atque ipsi libertate fruerentur. Lacedæmonij Thimbronem præfectum ad eos cum copiis mittunt, nimirũ

ex † nouorum popularium numero CIƆ, ex reliquis Peloponesiis plus minus IIIICIƆ. Præter hos ab Atheniensibus Timbro CCC equites postulauit, quibus ipse stipendium se numeraturū aiebat. Mittūt illi equitatum, quo Trigintauiri vsi fuerant. Arbitrabātur enim, populo expedire: si peregre illi profecti, perirent. Posteaquam peruentum in Asiam esset, militem alium quoq; de iis Græci nominis vrbibus colligebat, quæ erant in Asiæ continente terra sitæ. Nam † parebant tunc vrbes vniuersæ in iis, quæ Lacedæmonius aliquis imperasset. Cum his copiis Thimbro in planiciem non descendebat, quod ad hostium equitatum respiceret: satis esse sibi duces, si populationes iis in regionibus prohibere posset, in quibus ipse degeret. Verum postea, quam eæ copiæ, quæ Cyro militauerāt, reuersæ ad suos incolumes, cum Thimbronis se copiis coniunxissent: tum deinde aduersus Tissaphernem etiam in planicie struebat aciem, oppidaque partim sponte dedita, suam in potestatem accepit, nimirum Pergamum, itemque Theuthraniam, & † Halisarniam, quibus Eurysthenes ac Procles, orti a Demarato Lacedæmonio, cum potestate præerant. Is a rege dono datam sibi regionem hanc acceperat, quod signa regis aduersus Græciam sequutus fuisset. Etiam Gorgio & Gongylus, fratres, ad ipsius partes transiuere: quorum alter Gambrium cum Palægambrio, Myrinam & Grynium alter possidebat. Hæc quoque oppida Gongylo a rege donata fuerant, quod is solus ex Eretriensibus exsulauerat, quia Medorum partes sequutus esset. Nonnulla oppida Thimbro non satis munita vi cepit. Larissam quidem certe, quam vocant † Aegyptiam, imperata facere detrectantem, castris circum eam locatis obsedit. Quumque capi alia ratione non posset, vt puteū auerteret, cuniculum agebat, aquam oppidanis ademturus. At vero quum illi extra muros eruptione facta, sæpe numero ligna & lapides in fossam coniecissent: testudinem ligneam supra fossam statuit. Hanc quoque Larissæi noctu excurrentes incendunt. Itaque quum nihil agere videretur, mittunt ad eum Ephori, qui denuntiarent, vt relicta Larissa in Cariam militem transferret. Erat iam Ephesi, profecturus in Cariam, quum Dercyl-

† Neodamodes, libertos latine dixeris. Pollux.

† Vide Notas.

† Elisarnen.

481

† Propterea quod Cyrus maior Aegyptijs eam donasset. Vide lib. κύρ. παιδ. 𝔖ǫ. pag. 191.

Dercyllidas Thimbroni succedit. lidas ad exercitum venit, qui Thimbroni in imperio succederet. Existimabatur is vir esse ingenio maxime solerti, eaque de caussa Sisyphi cognomentum habebat. Quamobrem domum Thimbro reuertitur, ac damnatus, exsulatum abiit. Nam a sociis accusabatur, quod exercitui licentiã spoliandi fœderatos, cõcessisset. Dercyllidas acceptis copiis, quũ Tissaphernem ac Pharnabazũ inuicẽ sibi suspectos esse non ignoraret: habito cũ Tissapherne colloquio, militem in Pharnabazi ditionem abduxit, quod bellũ cum alterutro, quam simul cum ambobus, gerere mallet. Præterea veteres etiam inimicitiæ inter Dercyllidam ac Pharnabazum intercedebant. Nã quo tempore Dercyllidas Abydi prætor erat, tenente classis imperium Lysandro: criminationibus Pharnabazi grauatus cum scuto stare iussus fuerat. Ducunt autem hoc Lacedæmonij virtutis studiosi pro quadam ignominiæ macula, quod ordinis non seruati pœna sit. Quamobrem hac quoque de caussa multo lubentius aduersus Pharnabazum copias ducebat. Tantum vero vel primo belli initio Thimbrone præstabat imperandi scientia, vt copias per amicorum fines vsque in Æolidem Pharnabazo subiectam, sociis nullo detrimento adfectis, duceret. Ceterum hæc Æolum regio parebat illa quidem Pharnabazo, sed obtinuerat eam cum titulo satrapæ ab

Caussa cur Pharnabazum Dercyllidas bello petiuerit.

482 ipso Zenis Dardanensis, quamdiu viueret. Is posteaquã morbo extinctus esset, & Pharnabazus iam alij præfecturam tradere pararet: Mania Zenis vxor, & ipsa Dardanensis, cum comitatu copiarum profecta, sumtisque secum pecuniis, quibus & ipsum Pharnabazũ donaret, & concubinis eius, atque aliis, qui plurimum apud eum possent, gratificaretur: ad Pharnabazum iter faciebat. Hinc ad colloquium admissa, sic eum compellat. Maritus meus, Pharnabaze, & amicus erat tuus, & tributa sic pendebat: vt tu illum collaudares, atque etiam honore prosequereris. Quapropter si nihilo minus ego tibi operam, quam ille, præstitero: quid caussæ fuerit, cur aliũ satrapam constituas? Quod si tibi non placuero, tua erit in potestate, vt ademtũ mihi imperium alij tribuas. Auditis his Pharnabazus, mandandam fœminæ præfecturam statuit. Illa postquam rerum in ea ditione potita fuit,

Mania marito sufficitur.

fuit, non solum tributa pendebat, itidem vt maritus fecerat: sed etiam præterea, quoties ad Pharnabazum iret, munera secum adferebat. Quod si ad ipsius ditionem Pharnabazus descenderet, inter alios proprætores longe ipsum elegantissime ac lautissime accipiebat. Neq; tantum eas vrbes Pharnabazo custodiebat, quas acceperat: verum etiam maritimas quasdam dicto non audientes adiiciebat imperio suo, nimirum Larissam, & Hamaxitum, & Colonas: quum copias Græcas stipendio conductas muris admoueret, atque ipsa militem pugnantem de carpento spectaret. Quod si quem prædicaret, eum muneribus donabat largiter. Quo factum, vt conducticias copias longe omnium splendidissimas redderet. Etiā Pharnabazi signa sequebatur, quoties ille vel in Mysorum, vel Pisidarum fines irrueret, qui tum regis ditionem infestabant. Itaque Pharnabazus eam vicissim magnifice colebat, & nonnumquam in consilium vocabat. Quū autem annos iam XL excessisset, gener ipsius Midias partim sumtis aliis ex quorumdam sermonibus, qui turpe dicerent esse, quod imperio fœmina potiretur, ipso priuati hominis vitam agente: partim quod haberi sibi fidem ab ea videret, quæ vt ab aliis perinde, ac in tyrannide fieri oportet, sibi cauebat, ita ipsum non aliter complectebatur, ac generum complecti socrus solet: ingressus ad eam, suffocando mortem adtulisse mulieri proditur. Præterea filium ipsius, adulescentē longe formosissimū, ac plus minus XVII natum annos, interemit. His perpetratis, Scepsim & Gergithem occupat, munita sane oppida, & in quibus inprimis opes suas Mania reconditas habebat. Oppidis reliquis excluditur, præsidiariis militibus ea Pharnabazo integra seruantibus. Secūdum hæc missis ille muneribus ad Pharnabazum, vt agrum eum legibus illis, quibus habuerat Mania, sibi obtinere liceret, postulat. Respondet is, seruare Midiā hæc munera debere, donec ipse veniret, eumque vna cū muneribus caperet. Etenim vitam sibi acerbam fore, non vindicata Maniæ morte. Hæc inter, aderat Dercyllidas, ac statim vno die Larissam, Hamaxitum, Colonas, oppida maritima, per deditionem spontaneam capit. Deinde missis ad vrbes Aeolicas nuntiis, vt libertatem re-

Maniæ virtus.

Mania fraude generi perit vna cum filio.

483

Res a Dercyllida gestæ.

cuperarent, seque intra muros admitterent, & societatē quoq; coirent, postulabat. Erant dicto audientes Neandrenses, & Ilienses, & Cocylitæ: quia post mortem Maniæ præsidiarij Græci non admodum erga eas recte se gesserant. At qui Cebrenem munitissimum oppidum, cum pręsidio tenebat, quia se pręmiis ornatū iri a Pharnabazo putabat, si oppidum in eius fide seruasset: Dercyllidam non admittebat. Tum ille excandescēs, ad oppugnationem se parabat. Sed quum primo die facta re sacra, perlitatum non esset: postridie sacrificia iterabat. Quum exta ne tum quidem addicerent, idem die tertio faciebat: adeoque totos quatuor dies exta consulere nō cessabat, grauiter eam rem ferens propterea, quod totā Aeolidem in potestatē suam redigere maturaret prius, quam Pharnabazus opem laturus aduentaret. Tum Athenadas quidam Sicyonius, cohortis ductor, quod inepte Dercyllidam istic desidere, ac se Cebreniis aquā adimere posse existimaret: accurrens cum cohorte sua fontem obturare conabatur. At oppidani in eos irruentes Athenadam vulnerant, milites duos occidunt, ceteros partim comminus partim eminus adorti repellunt. Ea res quum molesta Dercyllidæ accidisset, iamq; suos minus alacriter oppugnaturos oppidum existimaret: caduceatores a Græcis ex oppido missi veniunt, ac minime sibi probari aiunt, quæ a præfecto gererentur: malle se a Græcorum, quam barbari partibus stare. Dū inter se huiusmodi colloquium habent, aduenit etiam a præfecto quidam, qui diceret, omnia primis a caduceatoribus exposita, sibi quoque probari. Quamobrem Dercyllidas 484 statim, vti tum forte perlitauerat, eodem die sumtis armis ad portas ducebat, quibus apertis oppidani eū admiserunt. Quumq; præsidiū imposuisset, recta Scepsim ac Gergethen versus contendit. Tum Midias, qui Pharnabazum aliquādo venturum vereretur, & ciues metueret, missis ad Dercyllidam nuntiis, cupere se cum ipso colloqui significat, si obsides accepisset. Ille missis ad ipsum ex quauis vrbe socia singulis, iussit: vt ex his quam multos, & quos vellet, acciperet. Midias quum x ex eis retinuisset, oppido est egressus: quumq; in castra Dercyllidæ venisset, quibus condicionibus ineunda societas esset,

Athenadæ temeritas.

esset, interrogabat. Respondebat is, vnam esse condicionem, vt ciues liberos suis vti legibus permitteret. Simul hæc loquutus, Scepsim pergebat. Midias vero, qui intelligeret, inuitis ciuibus se prohibere non posse: vt oppidum ingrederetur, permittebat. Tum Dercyllidas facto Mineruæ sacro in arce Scepsiorum, Midiæ præsidiarios eduxit: & oppido ciuibus restituto, hortatus est omnes, vt tamquam Græci ac liberi homines rempublicam administrarent. Post egressus, Gergithem versus pergebat, multis eum Scepsiis deducentibus partim honoris caussa, partim ob læticiam, quam ex iis rebus, quæ tum gestæ erant, percipiebant. Etiam Midias ipsum comitatus, vt sibi Gergithiorum oppidum traderetur, rogabat. Cui respondebat Dercyllidas, nihil non impetraturum esse, quod æquum foret. Atque his dictis, vna cum Midia ad portas accedebat, vniuersis copiis in binos instructis, pacateque subsequentibus. At qui erant in turribus, eisque admodum excelsis, quum Midiam ipsi adesse viderent, tela nulla emittebant. Quumque Dercyllidas his eum verbis compellaret: Iube portas aperiri, Midia, vt te præeunte fanum vna ingrediar, ac Mineruæ sacrificem: cunctabatur is quidem, sed quia metuebat, ne confestim comprehenderetur, aperiri eas mandabat. Itaque Dercyllidas ingressus vna cum Midia, pergebat in arcem, ac milites quidem alios propter mœnia subsistere in armis iubebat, ipse cum suis Mineruæ sacrificabat. Facta re sacra, mandat, vt etiam Midiæ satellites in agminis sui frontem se cum armis conferrent, vt qui stipendia facturi apud se deinceps essent. Nec enim quidquã Midiæ periculi amplius imminere. Tũ Midias inops consilij: Ego vero abeo nunc, ait, 485
vt hospitales epulas tibi parem. Cui Dercyllidas: Non profecto, inquit. Nam turpe fuerit, epulum abs te mihi hospitale præberi, qui rem sacram ipse feci: ac non me potius te velut hospitem excipere. Atque adeo nobiscum maneto, vt interea, dum cœna parabitur, inter nos, quod fieri æquum erit, tum consideremus, tum re ipsa exsequamur. Post vbi consedissent, interrogãs Dercyllidas Midiam: Dic mihi Midia, inquit, an pater tuus te principẽ domus reliquit? Maxime, subiecit Midias. Et

Midias iniuste parta amittit. quotnam erãt domus tibi? quot agri? quot pascua? Heic quum Midias omnĩa referret in tabulas, Scepsij, qui aderant: Imponit, inquiunt, hic tibi mendacio, Dercyllida. Verum ille: Nõ nimis, ait, sordide rationes vobis ineundæ sunt. Tamdẽ quum patrita Midiæ bona tabulis consignata fuissent: Dic mihi, subiecit, cuiusnam Mania fuerit? Responsum ab omnibus, fuisse hanc Pharnabazi. Ergo, inquit, etiam Maniæ bona Pharnabazi sunt? Maxime, aiunt. Nimirum iam nostra sunt, inquit, quando victoria nos potiti sumus. Nam Pharnabazus hostis noster est. Quamobrem eo nos aliquis ducat, vbi Maniæ ac Pharnabazi opes sitæ sunt. Heic quum alij ad ædes Maniæ Dercyllidam ducerent, quas Midias occuparat, etiã ipse sequebatur. Ingressus Dercyllidas quæstores arcessit, iussisque adparitoribus hos comprehẽdere, futurum prædixit, vt si quid de Maniæ bonis furto surripere deprehenderentur, statim iugularentur. Ibi quum illis cõmonstrantibus inspexisset vniuersa, rursus obsignata occludit, additis etiam custodibus. Post egressus, ad tribunos, & cohortium præfectos, quoscumque pro foribus reperiebat. Stipendium, inquit, exercitui partũ habemus, quod prope in annum vnum vel octies mille sufficerit. Quod si quid præterea consequuti fuerimus, id etiam habituri sumus. Atque hæc idcirco proferebat, quod futurum non ignoraret: vt his auditis, longe ordinis obseruãtiores, & in officio paratiores essent. Tum vero quærente Midia: Vbinam mihi habitandũ erit, Dercyllida? Istic, inquit, vbi te habitare est æquissimum: nimirum Scepsi in patria tua, & quidem in domo paterna.

Dercyllidæ prudẽtia. His rebus confectis Dercyllidas, ac diebus octo nouem oppidis captis: secum ipse deliberabat, quo pacto fieri posset, vt neque fœderatorum in finibus hibernaret, ac sociis Thimbronis exemplo molestus esset: neque Pharnabazus, se spreto, cum copiis equestribus oppida Græci
486 nominis infestaret. Quare mittit ad eum, qui interrogaret: pacem an bellum mallet. Pharnabazus, qui existimaret, Aeoliam munitionis instar oppositam esse Phrygiæ, quæ ipsius domicilium esset: inducias fieri maluit. Quæ res vbi successisset, Bithynicam in Thraciam profectus Dercyllidas, ibidem hibernauit, nõ admodum hoc grauiter

uiter ferente Pharnabazo: quod Bithyni sæpius illi bellū facerent. Ac Dercyllidas quidem sine vllo periculo res Bithynorum rapiebat, ferebat, & numquam non ampla commeatus copia abundabat: Post vbi ex litore aduerso a Seuthe socij quidam ad eum venissent, nimirum equites Odrysæ plus minus cc. & cetrati plus minus ccc: castris illi positis, valloque munitis interuallo fere xx stadiorum ab agmine Græco, & a Dercyllida grauis armaturæ peditibus quibusdam postulatis, qui eorum in castris excubias agerent: prædatum exierunt, magnamque mancipiorum & rerum copiam nancti sunt. Iam plurimis captiuis castra referta erant, quum intellecto Bithyni quot exiissent, & quot Græcos milites in excubiis reliquissent: magno numero cetratorum equitumq; collecto, sub primam auroram in grauis armaturæ pedites, qui cc erant, irruunt. Quum propius accessissent, alij telis, iaculis alij aduersus eos vtebantur. Illi quia vulneribus confecti peribant: atque interim nihil efficiebant, quippe qui intra vallum, quod altitudinem viri æquaret, cōclusi essent: perrupta sua munitione, aduersus hostes ferebantur. Ij vero, quacumque excurrebatur, cedebant: ac facile, cetrati quum essent, grauis armaturæ pedites eludebant: simul hinc & inde iaculando, multos in excursionibus singulis sternebāt. Tamdem velut in caula conclusi, iaculis confecti fuerunt: exceptis plus minus xv, qui Græcorum in castra salui peruenerunt. Nam vbi primum hi rem intellexissent, discesserant: medioque in prœlio, Bithynis haud animaduertētibus, elapsi fuerāt. Hac re subito confecta, & Odrysarum e Thracia custodibus interemtis: Bithyni captiuos suos recipiunt, atq; ita discedunt, vt Græci re animaduersa suis opem ferentes, aliud nihil in castris, quam nuda cadauera reperirēt.

Odrysarū temeritas.

Odrysæ quum rediissent, suis humatis, magnaque vini 487
copia super iis exhausta, & equestri certamine instituto: castra deinceps sua cum Græcorum castris coniungebant. itaque Bithynorum agros populationibus ac flāmis vastabant. Ineunte vere Dercyllidas e Bithynorum finibus excedens, Lampsacum venit. Ibi quum esset, Aracus & Nauates, & Antisthenes a magistratibus patriæ missi ad eum accedunt. Aderant autem partim vt insp-

Dercyllidæ imperium prorogatur.

cerent, quo pacto se res Asiaticæ haberent: partim Dercyllidæ significaturi, prorogatum esse ipsi etiam in sequentem annum imperium. Præterea mandatum esse sibi aiebant ab Ephoris, vt conuocatis militibus dicerent, non probare se, quæ antehac designassent: quod vero in hoc tempore neminem læsissent, in hoc eos se collaudare. De cetero significare, non passuros se, vt iniuria quemquam adficiant: sin erga socios iuste se gererent, id se prædicaturos. Hæc quum militibus ad concionem aduocatis dicta fuissent, præfectus copiarum, quibus Cyrus vsus fuerat, in hunc modum respondit: Nos quidem, Lacedæmonij, nunc iidem sumus, qui anno superiore fuimus: sed alium nunc imperatorem habemus, quam prius. Quapropter ipsi iam satis perspicere potestis, quamobrem id temporis deliquerimus, nũc omnis expertes culpæ simus. Quum autem, legati, qui Lacedæmone venerant, a Dercyllida contubernio exciperentur: quidam ex Araci comitibus memorat, reliquisse se Lacedæmone Cherronesiorum legatos. Eos aiebant dicere, coli Cherronesum hoc tempore non posse, quod a Thracibus omnia raperentur, ferrentur: verum si muro a parte maris vna vsque ad alteram clauderetur, non solum ipsos terram amplam & fertilem, quam colerent, habituros: sed reliquos etiam Lacedæmonios, qui quidem vellent. Itaque non mirum sibi fore dicebant, si quis Lacedæmoniorum domo cum copiis eo mitteretur; qui hanc rem perficeret. His auditis Dercyllidas, quæ sui esset animi sententia tum ad illos dissimulabat, Ephesoque per Græci nominis ciuitates ipsos dimittebat: lætus interim, quod oppida Græca trãquillo beatoque in statu visuri essent. Atque hi quidem ita profecti sunt. Ceterum Dercyllidas posteaquam sibi manendum ad exercitum intellexit, rursum missis ad Pharnabazum nuntiis interrogabat: induciasne, quæ
488 per hyemem fuissent, an bellum mallet. Quumq; Pharnabazus, etiam id temporis, inducias bello prætulisset: pace oppidis ipsius concessa, cum copiis Hellespontum in Europam traiicit: ac per Thraciam pacatam itinere facto, hospitioque exceptus a Seuthe, Cherronesum ingreditur. In ea quum oppida XI vel XII esse accepisset, ac

terram omnis quidem illam generis rerum fertilem & optimam, sed quæ a Thracibus infestari diceretur: dimensus eam, porrigi Isthmum ad triginta septem stadia comperit. Itaque minime rem negligendam ratus, facto prius sacrificio ducere murum cœpit, quum locum vniuersum in milites partitus esset, ac præmia non iis solum promisisset, qui primi suam muri partem absoluissent: sed etiam aliis, prout quisque mereretur. Ita murus ante autumnum absolutus fuit, quum verno tempore inchoatus esset. Intra murum ipsum Dercyllidas vndecim oppida, portus plures, agrum partim frumentarium amplum ac fertilem, partim consitum, permulta denique pulcherrimaque pascua, in vsum omnis generis iumentorum complexus est. His ita confectis, rursus in Asiam traiicit: quumque inspiceret oppida, cetera quidem recte se habere videbat: tantum Chiorum exsules Atarna occupasse comperit, oppidum munitum, vnde factis excursionibus Ioniam populando se alerent. Et quamuis magnam Atarnis frumenti copiam esse intelligeret, nihilo tamen minus castris circumdatam obsedit: & octauo mense compulsis ad deditionem faciendā obsessis, loci curam Draconti Pellenensi committit: ipse largissima commeatus copia in eum conuecta, vt illuc veniens diuersorium haberet, Ephesum contendit, itinere tridui sitam a Sardibus. Coluerant inter se pacem hactenus Tissaphernes & Dercyllidas, itidemque Græci habitantes in his finibus, ac barbari. Verum posteaquam legati †Græcorum oppidorum Lacedæmonem profecti significassent, posse Tissaphernem, si velit, Græci nominis oppida sui iuris efficere: atque addidissent, existimare se, statim ipsum permissurum eis, vt arbitratu suo rempublicam administrarent, si Caria, domicilium Tissaphernis, infestaretur: auditis his Ephori ad Dercyllidam mittunt, & cum copiis eum in Cariam traiicere iubent. Præterea Pharaci præfecto classis imperant, vti cum nauibus oram Cariæ legeret. Atque hæc quidē ab 489 iis gerebantur. Forte tunc Pharnabazus etiam ad Tissaphernē venerat, partim quod is imperator omnium designatus esset: partim vt testaretur, se paratū esse ad gerēdum communi nomine bellum, ineundamque societa-

Celeritas Dercyllidæ in muniendo Cherroneso.

† al. Ionicorum.

Consule Notas. tem, quo Græci finibus regis eiicerentur. Nam ceteroqui † summum imperium Tissapherni Pharnabazus inuidebat, & Aeolia se spoliatum esse grauiter ferebat. Tissaphernes, quum hæc e Pharnabazo audiret: Primũ, inquit, mecum in Cariam transito, deinde de his consultabimus. Quum in Cariam trãsiissent, impositis in munitiones præsidiis, quæ sufficerent, rursus eis in Ioniam transire visum est. Dercyllidas autem, vbi rursus eos Mæandrũ trãmisisse accepisset: habito cum Pharace colloquio, quo vereri se ostendebat, ne Tissaphernes ac Pharnabazus Ioniam a præsidiis nudam percurrendo popularentur: & ipse Mæandrum transiit. Incedebant hi cum copiis vllo absque ordine; quod † hostes ante se agrum Ephesiorum ingressos scirent, quum subito de aduersa eos specula in monumentis conspiciunt: ipsique contra, quibusdam suorum in monumenta, quæ penes se erant, ac turres adscendere iussis: propter viam, qua ipsis erat pergendum, aciem instructam vident, nimirum Cares cum scutis albis, Persicas item copias, quotquot aderat, & Græcas, quas habebat vterque, & ingentem equitatũ, cuius pars ea, quæ Tissaphernis erat, cornu dextrum obtinebat: altera Pharnabazi, sinistrum. Id quum Dercyllidas sensisset, tribunis & cohortium præfectis imperat, vt quamcelerrime in octonos aciem instruerent: cetratis & equitibus, quot quidem & quales id temporis habebat, ad margines vtrimque collocatis: ipse interim extra consulit. Tum quotquot erant e Peloponeso milites, tranquilli subsistebãt, & ad prœliũ se parabant. At quotquot Prienenses, & Achillienses aderant, itemque de insulis & oppidis Ionicis: eorum nonnulli, relictis in segetẽ armis, fuga sibi consulebant: (& erat tunc densa in Mæandri planicie seges) de aliis, qui subsistebant, animaduerti poterat, minime tamẽ ipsos in acie mansuros. Nũtiabatur, Pharnabazum prœlij committendi hortatorẽ fuisse: verum Tissaphernes, qui secum ipse cogitaret,

† Lectio marginis.

490 quo pacto Cyri milites aduersus ipsos pugnassent, eisq; Græcos omnes similes esse arbitraretur, vt prœlium iniret, adduci non poterat. Adeoque missis ad Dercyllidam suis, cupere se cum ipso in colloquium venire, significabat. Tum Dercyllidas ex suis equitibus ac peditibus præstan-

Tissaphernis timiditas.

ſtantiſſimos adſpectu quoſque ſecum ſumens, ad nuntios prodit, & his eos verbis compellat: Ego vero paratus eram, inquit, prœlio decernere, quemadmodum videtis. Quia tamen mecum colloqui Tiſſaphernes cupit, ne id quidem detrecto. Verum ſi colloquium inſtituendum erit, pignera fidei & obſides vltro citroque dandi ſunt. His & adprobatis, & exſequutioni mandatis, vterque diſceſſit exercitus: barbarorum Tralles, oppidum †Phrygiæ: Græcorum Leucophryn, quo loco Dianæ fanum erat inprimis ſacroſanctum, & ſtagnum maius ſtadij amplitudine, nonnihil arenoſum, aqua iugi, potabili, calida. Hæc tum fuere geſta. Poſtridie loco conſtituto conueniunt, & viſum eſt vtrimque audiendum, quibus condicionibus pax iniri poſſit. Heic Dercyllidas aiebat, ſi rex oppida Græci nominis legibus & inſtitutis ſuis vti ſineret: contra Tiſſaphernes & Pharnabazus, ſi Græcæ copiæ regis e finibus, & Lacedæmoniorum præfecti oppidis excederent. Hæc inter ſe loquuti quum eſſent, inducias pacti ſunt, donec de iis, quæ acta inter ipſos fuiſſent, Dercyllidas quidem Lacedæmonem: Tiſſaphernes vero ad regem retuliſſet. Eodem hoc tempore, quo iſta Dercyllidas in Aſia gerebat, hoc quoque contigit. Succenſebant Eleis iamdudum Lacedæmonij, quod & ſocietatem cum Athenienſibus, Argiuis, Mantineis coiuiſſent: & Lacedæmonios equeſtri gymnicoque certamine arcerent, quos indictam lata ſententia multam ſibi debere dicerent. Quamquam Elei non hoc ſolo contenti, etiam † Lichæ curru Thebanis tradito, qui victores a præconibus proclamabatur, ingreſſum Lichā ad coronandum aurigam ſuum flagris cædentes, hominem ætate iam prouecta, expulerant. Ac præter hæc, interiecto aliquo temporis ſpatio, quum miſſus eſſet Agis, vt ex Oraculi cuiuſdam præſcripto Ioui ſacrificaret: prohibuerant Elei, ne vota de proſpero belli euentu ab eo fierent, quod eſſe dicerent, in more maiorum, ne qui Græci bellum aduerſus Græcos moturi, Oracula conſulerent: quo factum erat, vt Agis re ſacra non peracta diſcederet. His inquam de cauſſis quum ſuccenſerent Eleis Lacedæmonij, decretum ab Ephoris & conuentu publico factum eſt, quo ſtatuebatur, eſſe coercendam Eleorum inſolen- 492

† *al. Cariæ. Stephanus* περὶ πόλ. *Lydiæ.*

† *Conſule de hoc loco Thucydidē in 5.*

Bellū inter Eleos & Lacedæmonios.

** a Lariso, scilicet amne.*

** Lepreatæ. Æ. P.*

† al. Epitalienses.

** al. Letrini.*

tiam. Quapropter missis Elidem legatis denuntiant, æquum videri Lacedæmoniorum magistratibus, vt Elei vicina oppida legibus & institutis suis vti permitterent. Ad quæ quum illi respondissent, nequaquam id se facturos, qui hæc oppida iure belli adquisiuissent: copias aduersus eos ducendas Ephori decreuerunt. Eum exercitum Agis ducens, per Achaiam non procul * a Larissa Eleorum agrum est ingressus. Quumque iam in hostico esset exercitus, ac regio vastaretur: terra concuti cœpit. Tum Agis, qui diuinitus hoc accidisse prodigij duceret, relicto Eleorum agro, dimisit exercitum. Ex eo longe facti audaciores Elei, legatos ad eas vrbes mittebant, quotquot infestas esse Lacedæmoniis scirent. Atque hoc anno elapso, rursus Ephori copias aduersus Elidem decernunt, sequentibus Agidis signa tum aliis sociis, tum Atheniensibus: exceptis Bœotis, & Corinthiis. Quumque per Aulonem Agis copias in hosticum duceret, mox * Læpreatæ ab Eleis defectione facta, ad ipsius se partes adiungebant. Idem statim & Macistij, & his proximi † Petalienses fecere. Post vbi transiisset amnem, dedunt ei se * Leprini, Amphidoli, Marganenses. Deinde profectus Olympiam, nemine amplius prohibente, Ioui Olympio rem sacram facit. Peracto sacrificio, versus vrbem pergebat, agrum ferro & igni vastans, atque ex eo permulta tum iumenta, tum mancipia secum auferens. Adeoque complures & Arcades & Achæi, quum hæc audirent, sponte sua se ad exercitum Agidis conferebant, & in prædæ partem aliquam admittebantur. Quo factum, vt hæc expeditio quasi quædam in Peloponeso frumentatio fuerit. Ad vrbem ventum quum esset, suburbana & gymnasia, sane pulchra, vastabat Agis: vrbem vero, quæ quidem munita non erat, non tam ipsum existimabant haud potuisse, quam non voluisse occupare. Interim dum vastatur Eleorum ager, ac propter Cyllenen agit exercitus: Xeniæ complices, spe metiendi medimno argentum paternum, quod dici solet, Eleos ad
492 Lacedęmonios accedere sua volentes opera, cum gladiis ex ædibus eruptione facta, cædes edunt: quumque nonnullos interfecissent, & inter eos quemdam, qui Thrasydæum populi ducem facie referret: ipsum Thrasydæū

se pere-

se peremisse opinabantur. Quo fiebat, vt populus quidem animis protinus deiectis, se tranquille contineret: percussores autem omnia sibi confecta putarent, eorumque complices in forum arma transferrent. At enim Thrasydæus forte tunc ibidem adhuc dormiebat, vbi ad ebrietatem potauerat. Quamobrem vt intellectũ fuit a populo, Thrasydæum necdum interfectum esse: hinc inde domum illam circumfudere, quemadmodum examen apum ducem suum circumdare consueuit. Ille populo collecto se ducem præbens, pugnam committit: in qua populus victoria potitus est. Tum extra vrbẽ ad Lacedæmonios illi se conferunt, qui cædium auctores exstiterant. Agis Alpheo traiecto discedens, quum Epitalio, propter Alpheum amnem, præsidiarios, & Lysippum prætorem vna cum Eleis exsulibus imposuisset, dimisit exercitum: atque ipse domum profectus est. Quod reliquum erat æstatis, itemque subsequens hyems a Lysippo, & militibus eius, diripiendo Eleorum agro cõsumitur. Æstate proxima Thrasydæus missis Lacedæmonem suis, de muro deiiciendo adsensus est, & de dimittẽda Cyllene, atque aliis oppidis* Triphyliæ, nimirũ Phrixa, Epitalio, Leprina, Amphidolis, Marganensibus: item Acroriis & Lasione, quam * Arcades sibi vindicabant. Epeum tamen, situm inter Macistum & Heræam oppidum, Elei sibi relinqui postulabant. Nam agrum illum omnem se xxx talentis emisse ab iis aiebant, qui prius oppidum possedissent, eamque pecuniam persolutam esse. Lacedæmonij vero, qui nihilo iudicarent æquius esse, vi aliquid ementem, ac vi auferentem inferioribus extorquere: cogebant eos hanc quoque liberam dimittere. Neque tamen vetabant, quo minus Elei Iouis Olympij fano præessent, quamquam id antiquitus non obtinuissent. Existimabant enim illos, qui deposcere id sibi vellent, rusticos eius agri esse: nec satis ad hoc idoneos, vt fano præessent. De his quum conuenisset, inita pax est, & societas, inter Lacedæmonios & Eleos. Atque hic fuit eius inter Eleos & Lacedæmonios belli exitus. Secundum hæc Delphos profectus Agis, cum decumam obtulisset: in reditu iam senex apud Heræam ægrotare cœpit, ac viuus Lacedæmonem deportatus, statim mor-

** Hoc est, agri Eliẽsis. Is cur ita dictus fuerit, Stephan. περὶ πόλ. docebit.*

** Lectio marginis.*

493 *Agidis mors.*

tem obiit: sepulturam nanctus augustiorem, quam quæ homini conueniret. Posteaquam de more dies aliquot elapsi essent, ac iam regem designari oporteret: contendebant inter se de regno Leotychides, qui se Agidis filiũ perhiberet: atque Agesilaus, Agidis frater. Quumq; Leotychides diceret, iubere legem, vt non frater regis, sed filius regno potiatur: ac si forte filius nullus exstet, fratrẽ in regno succedere: Me igitur regem esse oportet, subiecit Agesilaus. At qui illud, me superstite? Quod is, quem tu patrem adpellas, suum te esse negauerit. Atque id etiã modo profitetur mater, quæ rem longe certius ipso tenet. † Quin & Neptunus admodum mentiri te significauit, quod patrem tuũ terræmotu e cubiculo in hominum conspectũ expulerit. Est itidem testimonio tempus ipsum, quod esse veracissimum perhibetur. Nã post illud tempus, quo fugit, & amplius in cubiculo conspectus non fuit, tu mense natus es decimo. Huiusmodi ab eis in medium proferebantur, & Diopithes insigniter Oraculorum gnarus, Leotychidæ caussam adiuuãs, aiebat etiam profectum ab ipso Apolline Oraculum esse, quo significaretur, regnum claudum vitari debere. Cui Lysander pro Agesilao respondebat, existimare se, non hoc ab Apolline præcipi, vt caueatur, ne quis offendens ad aliquid, claudicet: sed id potius, ne quis alienus a regia familia regno potiatur. Omnino enim regnum fore claudum, vbi non orti ab Hercule reipublicæ sint præfuturi. Hæc vt ex ambobus intellexit ciuitas, Agesilaum regem designat. Is quum necdum anni vnius spatio regnum obtinuisset, atque maiorum ex instituto sollemne quoddam sacrum pro patria faceret: monuit vates, indicari diuinitus in extis occultam cõiurationem grauissimam. Quum rursus exta consulerentur, dixit etiam grauiora significari. Quum tertio sacrificium iteraretur: Mi Agesilae, inquit, eiusmodi sunt extorum significationes, quasi si iam ipsos inter hostes versaremur. Tum vero facta re sacra Diis & auerruncis & seruatoribus, quum vix perlitatum esset, sacrificare desierunt. Quinto post sacrificia die quidam ad Ephoros coniurationem occultam, & principem eius authorem Cinadonem defert. Erat is & forma iuuenis pulcher, & animo firmus ac

Agesilai & Leotychidæ de regno contentio.

† Consule Notas.

Agesilaus rex claudus.

Coniuratio aduersus rempublicam Spartanã.

 valens,

valens, non tamen e* parium numero. Quumque interrogarent illum Ephori, qui rem deferebat, quo pacto negotium hoc suscepturi essent: respondit, abductum se in forum extremum a Cinadone fuisse, iussumque numerare, quot in foro Spartani essent. Tum ego, inquit, numerato rege, Ephoris, * seniorib. ceteris plus minus XL: quamobrem, inquam, hos me numerare iussisti Cinado? Existimato, inquit, illos hostes esse, reliquos omnes socios, qui plures in foro sunt, quam quater mille. Addebat, ostēdisse Cinadonem in viis, modo vnum, modo duos hostes occurrētes: ceteros omnes, socios. Quinetiam quotquot essent Spartanorum in prædiis, ex iis vnum dominum hostem esse, socios vero in singulis complures. Interrogātibus hinc Ephoris, quot homines huius instituti conscios esse perhiberet: respondebat, Cinadonem dicere, coniurationis principes non multos habere conscios, sed fide tamen dignos. Hos autem scire, velle hanc rem vniuersos &* helotas, & nouos populares, & infimæ classis homines, & finitimos. Nam vbicumque Spartanorum apud hos aliqua mentio fiat, neminem celare posse, quam cupide vel crudos sint deuoraturi. Rursus quum quærerent, vnde se arma sumturos perhiberent: dixisse respondit Cinadonem, ipsos quidē, qui coniuncti essent habere arma: pro turba vero promiscua sibi ad fabrum ferrariorū officinas deducto multas sicas, multos enses, multa verua, multas bipennes & ascias, multas falces demonstrasse. Præterea dicere hominem, etiam illa vniuersa arma esse, quibus terram homines colant, ligna lapidesque cædant: itemque opificia cetera quamplurima, habere sua quædam instrumenta, quæ armorum loco sufficiant, præsertim aduersus inermes. Rursum interrogatus, quando hæc essent inchoanda: dixit, imperatum esse sibi, vt domi maneret. His auditis Ephori, hominem explorata dicere arbitrabantur: metuque perculsi, ne id quidem concilium, quod paruum vocant, cogunt: sed seniores alius aliunde conuenientes, hoc consilij capiunt: vt Cinadonem cum nonnullis aliis ex iuuentute Aulonem ablegarent, iussum istinc Aulonitas quosdam & helotas abducere, quorum essent in * scytala descripta nomina. Imperant eidem; vt

** Consule Notas.*

** Ita Lacedæmonij Senatores vocabant, qui erant numero 28. Arist. in Pol. Plutar. Lycur.*

** Seruos & libertos siue tirones e seruis delectos.*

Spartani cōiuratos opprimūt.

** Genus epistolæ Laconicæ. Vide Plutarch. Lysandro.*

mulierem quandam illinc abduceret, fama quidem illā
495 formosissimam: sed quæ commeantes ad se Lacedæmonios tum prouectioris ætatis, tum iuuenes, corrumpere videretur. Et Cinadonis opera ceteroquin etiam ad huiusmodi negotia vsi fuerant Ephori. Quamobrem id quoque temporis ei scytalam tradunt, in qua perscripti erant, quos capi vellent. Quumque interrogaret, quosnam ex iuuentute sibi adiungere deberet itineris comites ab istro, inquiunt, & †hippagretæ natu maximo impera, vt sex vel septem, qui forte aderunt, tecum mittat. Interim ipsis curæ fuerat, vt hippagreta ille sciret, quinā mittendi essent: & qui mitterentur, capiendum esse Cinadonem, non ignorarent. Significant etiam Cinadoni, tria se plaustra mittere, ne captos itinere pedestri adducere necesse haberet: vti quam possent maxime tegerēt, vnius ipsius caussa hæc instituta esse. Quod quidem in vrbe hominem non comprehendebant, ea de caussa fiebat, quod quanta coniuratorum multitudo esset, ignorarent: & intelligere prius de Cinadone vellent, quinam coniurationis participes essent, quam illi se proditos animaduerterent: ne fuga scilicet sibi consulerent. Et futurum erat, vt ij, quibus erat ipsius capiendi negotium datum, hominem secum retinerent: perquisitisque rei consciis, eorum nomina litteris consignata quamprimum Ephoris mitterēt. Erat Ephororum in hoc negotio tanta cura, vt eis, qui Aulonem proficiscebantur, etiam cohortem equitum mitterent. Capto Cinadone, quum venisset quidam eques, adferens secum a Cinadone consignata nomina: mox Tisamenum hariolum, & conspirationis principes ad nocendum inprimis idoneos comprehendunt. Reductus Cinado, & conuictus, omniaque confessus, indicatis etiam coniurationis cōsciis, quum tamdem interrogaretur, quo hæc consilio instituisset: vt Spartæ nullo inferior essem, inquit. Secundum hæc ipsius, & coniurationis sociorum manus, & colla †numellis constringuntur: & flagris ac stimulis cruciati per vrbem circumducuntur. Posteaquam illi adfecti suppliciis essent, Syracusanus quidam Herodas, qui cum nauclero quodam in Phœnicia tum viueret, triremesque Phœnissas partim aliunde istuc adpellere,

† Tres Spartanis erant hippagretæ, sic ab equitatu congregādo dicti.

Ephororū prudētia.

Cinadonis ambitio & supplicium.

† κλοιῷ notatum supra.

par-

partim ibidem instrui, partim adhuc ædificari videret: audiret etiam, trecentas numero futuras: primâ naue, quæ in Græciam tenderet, conscensâ, Lacedæmoniis indicat, hanc classem tum a Tissapherne, tum a rege parari: quo autem ea mittenda esset, ignorare se fatebatur. Excitatis hoc nuntio Lacedæmoniis, sociosque cogentibus & quid faciundum esset, deliberantibus: Lysander, qui & Græcos existimaret naualibus copiis fore superiores, & secum ipse perpenderet, quo pacto peditatus ille saluus euasisset, qui cum Cyro adscéderat: Agesilao persuadet, vt ille se suscepturum in Asiam expeditionem policeretur, si triginta Spartani sibi adiungerentur, & tironum IICIↃ, & sociorum VICIↃ agmen. Præterea cogitabat & ipse cum Agesilao proficisci, vt Decemuiratus ab se in oppidis institutos, quos Ephori sustulerant, iussis omnibus more patrio rempublicam gerere, deintegro cum Agesilao institueret. Posteaquam ad hanc expeditionem Agesilaus operam suam obtulisset, quum alia, quæ postulabat, concesserunt ei Lacedæmonij: tum annonæ tantum, quantum in sex méses sufficeret. Hinc vbi tum alia sacrificia, tum etiam pro felici traiectu fecisset: egreditur patria, missisque nuntiis ad oppida, quot milites a singulis mitti, ac sibi præsto esse vellet, denuntiat. Ipsi animus erat Aulidem proficisci, atque istic rem sacram facere: quo loco etiam Agamemnon, quum Troiam nauigaret, sacrificauerat. Eo quum venisset Agesilaus, accepto Bœotorum principes de ipsius sacrificiis nuntio: missis equitibus imperant, vti de cetero sacrificiis abstineret: & quas illi forte mactatas hostias inuenere, de ara hinc inde disiiciunt. Agesilaus Deos testari, triremem iratus conscendere, nauigio soluere. Geræstum quum venisset, ibique copias amplissimas coegisset: Ephesum cum classe petiit. Eo delatus vt erat, Tissaphernes missis ad ipsum suis, cuius rei gratia venisset, quærebat. Agesilaus autem: vt Asiæ ciuitates, inquit, perinde legibus suis vtantur, atque aliæ, quotquot apud nos in Græcia sitæ sunt. Tissaphernes ad illa vicissim: Ergo si voles, inquit, inducias pacisci tantisper, dum ad regem misero: futurũ arbitror, vt his impetratis ad tuos, si velis, redire possis. Equidem hoc non nollem, subiecit

Belli aduersus regem Laconici origo. 496

Agesilai sacrificiũ Bœoti impediunt.

Agesilai aduersus Persas expeditio.

Agesilaus, ni me deceptum iri abs te existimarem. At tibi licet, ait, vt a nobis fide data certus sis: omnino sine fraude futurum, vt siquidé hæc ipse præstes, nos durantibus induciis, quæ tui sunt imperij, minime damno adficiamus. His ita conuentis, Tissaphernes Herippidæ, Dercyllidæ, Megialio, missis ad se, sacramentum præstitit, omnino sine dolo malo se pacem procuraturum.

Tissaphernis perfidia.

497 Contra illi iurarunt Agesilai nomine, si hoc Tissaphernes faceret, se sancte ratas habituros inducias. Enimuero Tissaphernes iusiurandum mox violauit. Nam pace reiecta, quam promiserat: ad priores, quas habebat copias, magnam militum manũ a rege arcessebat. Et quãquam hęc Agesilaus persentisceret, nihilo tamen minus inducias seruabat. Quumque in hoc otio ad Ephesum commoraretur, quod rerumpub. status in oppidis perturbati essent, neque populariter amplius illa administrarentur, quod Atheniensium dominatu factum fuerat: neque decemuiratus in eis essent, qui Lysandro rerũ potito instituti erant: vrgebant Lysandrum omnes, hominem scilicet notum sibi, & obsecrabant, vti quæ cuperent ipsi, ab Agesilao impetraret. Eam ob caussam factum, vt magna hominum turba semper eum & coleret, & sectaretur: adeoque priuatus quidam Agesilaus, Lysander rex esse videbatur. Et hęc quidem etiam Agesilao irascendi caussam præbuisse, deinceps intellectum ex ipso fuit: ceteri vero Trigintauiri præ inuidia non tacebant, sed monebant Agesilaum, in leges Lysandrum cõmittere, qui regium fastum longe superaret. Post vbi Lysander adducere quosdam ad Agesilaum cœpisset, omnes ille, quibus operam dare Lysandrum intelligeret, infecta re dimittebat. Quumque semper contra Lysandri sententiam cuncta fieret, animaduertit is rem omnem, neque deinceps sectari se turbam hominũ patiebatur, & non dissimulanter ad eos aiebat, qui se iuuari cuperent ipsius opera: futurum, vt se præsente minus impetrarent. Quumque grauiter ignominiam hanc ferret, accedens ad Agesilaum: Tune, inquit, Agesilae, semper amicorum auctoritatem imminuere noras? Illorũ profecto, ait ille, quotquot me maiores videri vellent. At idem existimabam probrosum esse, non me vicissim eos hono-

Origo æmulationis inter Agesilaũ & Lysandrum.

Auctoritas Lysandri minuitur.

Expostulatio Lysandri cũ Agesilao.

honore prosequi nosse, qui me auctum cuperet. Et Lysander: Fortasse tu, inquit, magis decoro consentanea facis, quam ego fecerim. De reliquo tamen hanc mihi gratiam facito, vt aliquo me ableges: ne vel ipse pudore suffundar ob amissam apud te auctoritatem, vel tibi sim impedimento. Nam vbicumque tamdem fuero, commodis tuis subseruire conabor. Hæc quum Lysander dixisset, visum est etiam Agesilao sic agendum esse: adeoq; in Hellespontum hominem ablegat. Ibi quum Spithridatem Persam a Pharnabazo nonnihil opprimi comperisset, ad colloquium inuitato persuadet: vt cum liberis, pecuniis, quas ad manum haberet, & c c equitibus deficeret. 498 Ac fortunas quidem huius alias apud Cyzicū relinquit, ipsum vna cum filio ad Agesilaum subuehendo perducit. Is re perspecta, mirifice delectatus, vicissim & ipse mox de Pharnabazi regione ac imperio percunctabatur. Ceterum posteaquā elatus animo Tissaphernes ob missas sibi a rege copias bellum Agesilao denūtiasset, ni Asia excederet: reliqui socij, & omnes, qui aderant Lacedæmonij, grauiter admodum id accidisse sibi præ se ferebant, quod impares, adparatui regio copias esse ducerent, quas Agesilaus tunc secum habebat. Agesilaus autem vultu perquam hilari legatos renuntiare Tissapherni iubet, magnā se ipsi gratiam habere, quod peierando Deos sibi quidem infestos, Græcis vero socios & auxiliares reddidisset. *Agesilai magnanimitas.* Secundum hæc statim militi edicit, vt ad expeditionem suscipiendam res suas colligerent: oppidis vero, ad quæ moturum cum copiis in Cariam accedere necesse erat, denuntiat, vti venalium rerum forum instruerent. Ionibus quoque, & Æolensibus, & Hellespontiis per litteras significat, vt copias secum hac expeditione militaturas Ephesum ad se mitterent. Tissaphernes partim quod a copiis equestribus non instructus esset Agesilaus, quibus etiam Caria non satis esset apta, partim quod eum sibi succensere putaret ob fraudem: reabse ratus ipsum in Cariam, hoc est, domicilium suum, impetum facturum: peditatum omnem eo traducit, equitatu in Mæandri planiciem circumducto. *Agesilaus honesta fraude Tissaphernum eludit.* Arbitrabatur enim, se copiis equestribus Græcos proterere prius posse, quam ad loca equitatui non apta per-

uenirent. Agesilaus autem, omisso in Cariam itinere, statim copiis in contrarium auersis, Phrygiam petiit: oppidaque in itinere sita subegit, & nec opinata irruptione magnam opum copiam cepit. Fuit hoc toto tempore tutu iter Agesilai, donec haud procul Dascylio abesset. Ibi quum equites ipsum præcedentes, in collem quemdam proueherentur, vt quid vlterius ipsis esset a fronte, prospicerent: forte fortuna Pharnabazi equites, ducibus Rathine, ac noto fratre † Bancæo, numero Græcis pares, a Pharnabazo missi, eumdem collem subeunt. Conspicati se mutuo, posteaquam plethrorum quatuor interuallo ab se inuicem aberant: primum vtrique constitere, Græci quidem equites phalangis instar in quaternos dispositi: barbari vero, in fronte non pluribus quam XII collocatis, in latitudine multos habebant. Hinc in nostros impetum primi barbari faciunt, quumque ventum ad manus esset, quotquot hostem feriebant Græci, hastas suas vniuersi contriuere: Persæ tragulis corneis instructi, mox equites XII, & equos II interfecere. Tũ Græcis equitibus terga dantibus, & opem graui cum armatura ferente Agesilao: vicissim barbari vno ex suis amisso cedunt. Secundum hoc certamen equestre Agesilao postridie exta consulente, num progrediendum esset: exta fibris caruerunt. Id quum adparuisset, itinere conuerso ad mare pergebat. Quumque animaduerteret, bellũ se planis in locis gerere non posse, nisi satis magnas equitũ copias pararet, statuit sibi has instruendas esse, ne fugiẽs in hostem pugnare cogeretur. Itaq; delectis ex omnibus istic sitis oppidis opulentioribus, vt equos alerent, edixit. Quumque futurum denuntiasset, vt quicumq; daret equũ, & arma, & hominem idoneũ, immunis esset a militia: perfecit, vt hæc nõ aliter quasi compẽdio quodã facerent, atque si quis alacriter aliquem suo loco moriturum quæreret. Secundum hæc, ineunte vere, copias vniuersas Ephesum coegit: quumque vellet eas exercere, tum grauis armaturæ cohortibus præmia proposuit, qui scilicet corporibus optime comparatis essent: tum equestribus, qui equitandi essent peritissimi. Quin & cetratis, & sagittariis omnibus proposita fuere præmia, quotquot egregie præstare viderentur ea, quæ ipsorum offi-

† al. Bagæo

499

Agesilaus equitatũ parat.

Agesilaus suos exercet.

officij ratio posceret. Tum vero gymnasia cuncta viris
exercentibus se referta videre erat, refertumque hippo-
dromum iis, qui equitabant: iaculatores etiam, sagitta-
riique se exercebant. Itaque factum, vt totum Ephesinũ
oppidum, in quo versabatur, spectatu dignum esset. Nã
& forum omnigenis refertum erat equis armisque ve-
nalibus, & † fabri lignarij, & ærarij, & sutores, & picto-
res, vniuersi arma bellica parabant: vt reabse belli offici-
nam esse vrbem ipsam existimares. Confirmabat hoc
quoque non neminis animum, quod primum Agesilaũ
ipsum, deinde milites ceteros corollis redimitos e gy-
mnasiis abire cerneret, ipsasque corollas Dianæ suspen-
dere. Nam vbi homines religiose Deos venerantur, & 500
„ bellicis in rebus exercentur, & se, vt dicto sint audientes,
„ condocefaciunt: qui non istic consentaneum sit optima
„ spe cuncta plena esse? Quum item existimaret, contem-
tum hostium robur quoddam in animis ad pugnandum
excitare: præconibus edixit, vt capti a prædonibus bar-
bari nudi venderentur. Itaque milites, qui albos quidem
eos esse cernerent, quod numquam exuere se consueuis-
sent: sed molles, nullisque laboribus exercitos, quod
semper vehiculis vterentur: bellum hoc non aliud fore
putabant, atque si prœlio cum fœminis decernendum
esset. Adpetierat iam id tempus, quo anni spatium exa-
ctum erat a discessu Agesilai e patria. Ea re factum, vt
Trigintauiri, quorum princeps erat Lysander, patriam
repeterent: eorumque successores, Herippida principe,
adessent. Ex his Xenoclem Agesilaus, vna cum quodam
alio, copiis equestribus præfecit: tironibus, qui armatu-
ra graui vtebatur Schythen: Cyri militibus, Herippidã:
Migdonem missis ab oppidis militibus. Denuntiat etiã,
ducturum se statim via maxime compendiaria versus
hostilis agri partem vberrimam: vt ex ea re tum cor-
pora, tum animi ad pugnam præparentur. Enimuero
Tissaphernes hæc Agesilaum dicere putabat, vo-
lentem rursus dolo se circumuenire: nimirum iam re-
uera facturum in Cariam impetum. Itaque peditatum,
vti prius quoque factum erat, in Cariam traducit: equi-
tatu in Mæandri planicie subsistere iusso: At vero Age-
silaus quod prædixerat, præstitit: ac recta Sardianam

† & fabri ærarij, & lignarij, & ferrarij. Æ.P. Consule Notas.

Agesilaus Persas nudos vendi iubet.

Tissaphernes stulte seipsum decipit.

in regionem impetum fecit. Quumque triduum hoste nullo conspecto, progrederetur: magnam rerum necessariarum copiam pro exercitu habebat. Die quarto equites hostium aderant. * Tunc equitatus Persici dux impedimentorum præfecto imperat, vt amne Pactolo traiecto, castra metaretur. Hostes autem cõspicati eos, qui Græcorum agmen sequebantur, hinc inde palatos prædam agere: complures ex eis trucidant. Id animaduertẽs Agesilaus, equites suis opem ferre iubet. Persę quum his auxiliares copias summitti viderent, colligunt sese, ac vniuersas equestres turmas in aciem explicatas Græcis opponunt. Ibi vero Agesilaus secum ipse cogitans, necdum hostibus peditatum adesse, sibi vero nihil eorum, quæ ad bellum parauerat, deesse: opportune se facturũ arbitrabatur, si decernere prœlio cum hoste posset. Itaq; cæsis victimis, recta phalangem aduersus instructos e-

Lectio marginis.

501 quites ducebat: mandãs vt ex * peditibus armatis, quotquot annis decem pubertatem excessissent, secum in hostem cursu ferrentur, & iussis itidem cetratis cursu subsequi. Equitatui quoque denuntiat, vt in aciem aduersam impetum faceret: se cum copiis vniuersis subsequuturũ, policitus. Excepere impressionem equitum Persæ. At vbi simul imminere omnia terribilia vident, acie inclinata, partim recta in flumen decidunt, partim fuga sibi cõsulunt. Eos subsequuti Græci, etiam castris hostium potiuntur. Tum vero cetrati, vt fit, ad prædas se conuertũt. Agesilaus vndique copiis vniuersa tum sua, tum hostilia complexus, inter alia opes, quas captas talenta LXX excedere comperit, etiam camelis iis potitus est, quas deinde in Græciam abduxit. Dum hæc pugna committeretur, forte Sardibus Tissaphernes erat. Quare factum, vt ipsum Persæ insimularent, quasi ab eo deserti proditique fuissent. Et vero quia rex ipse Persarum intellexisset, vnius culpa Tissaphernis fieri, quod essent res suæ male comparatæ: misso Tithrauste, caput homini pręcidi iussit. Ea re confecta, legatos ad Agesilaum Tithraustes mittit, qui eum in hanc sententiam compellarent: Belli huius, Agesilae, tum vobis, tum nobis auctor, merito supplicio multatus est. Æquum autem rex arbitratur esse, vt tu domum nauiges, & Asiæ ciuitates suis vtendi legi-

Lectio marginis.

Agesilai de Persarum equitatu victoria.

Tissaphernes a rege interficitur.

legibus impetrata facultate, pristinum regi tributũ pendant. Ad ea respondente Agesilao, numquam se id absq; magistratuum in patria consensu facturum: Ergo tu, inquit Tithraustes, donec quid patria tibi denuntiet, intelligas, in Pharnabazi ditionem recedito: quãdo tuum hostem ego supplicio adfeci. Et Agesilaus: Da igitur, inquit, commeatũ exercitui meo, donec eo perueniamus. Itaque Tithraustes talenta xxx dedit, quibus acceptis Agesilaus Phrygiam versus, quæ Pharnabazo parebat, pergit. Quumque in campo esset supra* Cumam sito, a magistratibus e patria quidam missus aderat, qui iubebat, vt etiam classis imperium arbitratu suo caperet: ac præfectum classis cõstitueret, quem ipse vellet. Id ex huiusmodi caussa quadam ac ratione Lacedæmonij faciebãt. Arbitrabantur fore, vt si vtrimque idem imperaret, coniunctis ambabus copiis, tum terrestris exercitus longe firmior esset, tum classis, succurrente huic terrestri, vbi res ita posceret. Ea quum accepisset Agesilaus, primũ insulanis & maritimis oppidis denuntiat, vt triremes, quot quidem cuique oppido visum esset, ædificarent. Factæ triremes nouæ, partim eæ, quas oppida pollicebãtur, partim quas homines priuati studio gratificandi Agesilao exstruxere, circiter cxx. Classi Pisandrum, vxoris suæ fratrem præfecit: hominem quidem illum honoris laudisque cupidum, & præsentis animi: sed imperitiorẽ tamen instruendi omnia, prout vsus postularet. Ille digressus a castris, rem classiariam tractare cœpit: Agesilao ita, vt instituerat, in Phrygiam contendente. Interim Tithraustes, qui animaduertere sibi videretur, Agesilao regis Persici res spernenti, nequaquam esse in animo, Asia excedere: sed potius magnas ipsum, de rege superãdo, spes concepisse: suspensus aliquantisper animo, quid potissimum ageret, tamdem in Græciam Timocratem Rhodium mittit: datoque huic auro, quod argenti talẽta L æquaret, operam daret, imperat: vt maximis fidei pigneribus acceptis, id in præsides ciuitatum distribueret, quo bellum illi Lacedæmoniis facerent. Profectus hic in Græciam, Thebis quidem Androclidæ, & Ismeniæ, & Galaxidoro aurum numerat: Corinthi vero, Timolao & Polyanthi: Argis, Cycloni & ipsius cõplicibus,

*al. Cauẽ.

Agesilao classis etiã subditur.

502 Erratum Agesilai.

Tithraustes auro Græcos corrũpit.

Athenienses quamuis participes auri huius facti non essent, nihilo tamen minus ad bellum propensi erant; simulque sibi deberi summum in bello imperium existimabant. Igitur quotquot has pecunias sua intra oppida receperant, Lacedæmonios criminabantur. Quumq; apud ciuitates suas odium horum excitassent, perfecerunt, vt vrbes amplissimæ inter se conspirarent. Et quia Thebanæ ciuitatis principes intelligebant, haudquaquam futurum, vt fœdera cum sociis inita Lacedæmomonij violarent, nisi quis initium bello faceret: Locris Opuntiis persuadent, vt ex agro inter Phocenses & Thebanos controuerso pecunias penderent: quod existimarent, si id fieret, Phocenses Locridem inuasuros. Neque spes eos sua fefellit. Nam mox Phocenses in Locridem irruentes, pecuniam multo maiorem eis ademerunt. Tum Androclidæ adhærentes celeriter Thebanis persuadent, opem Locris esse ferendam. Non iam illos in regionem controuersam, sed in eam Locridem, quæ se Thebanis amicam fœderatamque profiteretur, impetum fecisse. Thebanis igitur e contrario Phocidem inuadentibus, & eorum populantibus agrum: mox Phocenses Lacedęmonem legatos mittunt, opem exposcūt, non belli se auctores esse docent, qui sui defendendi

Græcorū cum Thebanis aduersus Lacedæmonios cōspiratio.

503 caussa profecti aduersus Locros essent. Enimuero Lacedæmonij perlubentes occasionem mouendi aduersus Thebanos belli arripiunt, iam olim eis infensi, quod apud Deceleam Apollinis decumam sibi vindicassent: & quod aduersus Piræeum sequi Lacedæmonios noluissent. Hanc quoque culpam in eos conferebant, quod Corinthiis auctores exstitissent, ne in eadem expeditione se Lacedæmoniis adiungerent. Succurrebat itidem animis, quod non solum in Aulide rem diuinam Agesilaum facere prohibuissent: verumetiam mactatas hostias de ara deiecissent. Eosdem ne quidem in Asiam ducentis Agesilai signa sequi voluisse. Tempus ipsum peropportunum se nanctos arbitrabantur ducendi aduersus eos copias, & reprimendæ ipsorum cōtra se insolentiæ. Quippe res in Asia secundas esse, Agesilao rerum potiente: nec vllum sibi aliud in Græcia bellum esse impedimento. Hæc quum esset ciuitatis Lacedæmoniorum senten-

Caussæ, ob quas infensi Thebanis Lacedæmonij fuerint.

sententia copias decernunt Ephori, & Lysandrum Pho-
censibus mittunt: iussum Phocenses ipsos, & Oetæos, &
Hvraclienses, & Melienses, & Ænianes adducere, cum-
que his apud Haliartum præsto esse. Nam istic etiam
Pausanias, huius belli dux, se ad diem constitutum vna
cum Lacedæmoniis, ceterisque Peloponesiorum sociis
adfuturum condixerat. Lysander quum alia sibi impera- *Lysandri*
ta faciebat, tum etiam Orchomenios a fide Thebano- *aduersus*
rum auertit. At Pausanias, posteaquam de traducendis *Thebanos*
copiis facta re sacra perlitasset, apud Tegeam subsiste- *expeditio.*
bat, ac partim conducticij militis duces hinc inde mit-
tebat, partim finitimorum oppidum milites opperieba-
tur. Interea facti certiores Thebani, Lacedæmonios i-
psorum fines inuadere: legatos Athenas mittunt, qui
hæc dicerent: Quod de nobis querimini, Athenienses,
quasi dura quædam sub belli finem aduersus vos decre-
uerimus: haud recte facitis. Nam id decretum non a re-
publica nostra factum, sed ab †vno prolatum homine *† Eriantho. Plutarch. Lysand.*
fuit, qui tunc fœderatorum in consessu erat. Quo vero
tempore Lacedæmonij nos aduersus Piræeum inuita-
bant, tum scilicet vniuersa respublica, decreto promul-
gato, esse iuuandos eo bello Lacedæmonios negauit.
Quare quum non minima ex parte vestri caussa nobis
illi succenseant, æquum censemus esse, vt vos ciuitati
nostræ opem feratis. Quin & longe ducimus æquius, ex
vobis eos potissimum, quotquot eratis in vrbe, cupidis
animis Lacedęmonios inuadere. Nã illi statu reipublicę 504
vestræ paucorum in dominationẽ conuerso, & odio po-
puli contra vos concitato, deinde magnis cum copiis,
velut socij vestri, venientes: multitudini plebeæ vos ob-
iecerunt. Itaque quod ipsos adtinet, iam dudum periisse-
tis: quod autem conseruati estis, id huic plebi vestræ de-
betur. Enimuero cupere vos, Atheniẽses, imperium pri-
stinum recuperare, nemo nostrũ nescit. At qui fieri pos-
sit hoc commodius, quã si per iniuriam læsis a Lacedæ-
moniis auxilio fueritis? Neq; vobis idcirco metuend m
est, quod illi multis imperet: sed potius eam ob caussam
animis fidẽtibus estote. Nam cogitare debetis, vos quo-
que tum temporis, quum in plurimos vobis imperium
esset, plurimos itidem hostes habuisse. Nimirum quous-

» que non erant,ad quos deficerent, hostilem erga vos a-
» nimum occultabāt. Sed vbi se Lacedæmonij duces præ-
» buere,tum scilicet,quæ esset ipsorum de vobis sententia
» declararunt. Nunc quoque si palam & vos, & nos osten-
» derimus, aduersus Lacedæmonios socia nos arma con-
» iungere: sat scitote,multos adparituros,qui eos oderint.
» Vera nos dicere, statim intelligetis: si rem cum animis
» vestris expendetis. Nam quis iam reliquus est, qui bene-
» uolo sit in eos animo? An non Argiui semper eis infesti
» sunt? Accesserunt hostes recentes Elei, magna & agri &
» oppidorum parte multati. Quid de Corinthiis, Arcadi-
» bus,Achæis dicendum erit? qui quidem in eo, quod ge-
» stum aduersus vos est, bello vehementer ab iis vniuersis
» rogati: laborum, periculorum, sumtuum in partem ve-
» nerunt. Post vbi Lacedęmonij,quæ voluerant,perfecere:
» quodnam quæso vel imperium, vel honorem, vel opes
*seruos cum his communicarunt? Nimirum * helotes dignos
suos. arbitrantur,quos vrbium prætores constituant: sociorū
» vero,ingenuorum scilicet hominum, posteaquam for-
» tuna sunt vsi prospera,dominos se declarant. Quin illos
» etiam,quos ab amicitia vestra diiunxerunt, deceptos ab
» iis esse constat. Etenim pro libertate,duplici eos seruitu-
» te grauarunt. Nam & ab oppidum prætoribus, & a de-
» cemuiris,quos Lysander qualibet in vrbe constituit, in-
» digna tyrannide premuntur. Asiæ quidem regi, qui plu-
» rimum eis adiumento fuit, vt suo vos imperio subiice-
» rent,quid aliud accidit modo, quam si & ipse bello vo-
» biscum eos oppressisset? Qui ergo non fore consenta-
» neum sit,vt si vos iam duces iis pręblueritis,qui adeo ma-
» nifestis iniuriis adfecti sunt, longe modo potentissimi
505 omnium,qui vmquam exstiterunt,euadatis? Nam quo
» tempore vos rerum potiebamini, tantum duces mariti-
» mi scilicet eratis. At nunc & omnium nostrum, & Pelo-
» ponesiorum,& eorum, quibus olim præeratis, & ipsius
» denique regis, cuius amplissima est potentia, vobis esse
» ducibus licet. Atqui nos Lacedæmoniis fœderati maxi-
» mo eramus vsui, quod ne vos quidem ignoratis. Nunc
» tamen vero est simile, nos omnino firmioribus animis
» vos sequuturos, quam tunc sequuti Lacedæmonios si-
» mus. Nec enim vel insulanorum gratia, vel Syracusano-
rum

rum, vel omnino in aliena caussa, quod tunc factum fuit; sed in nostra, qui iniuste læsi sumus, opem feremus. Hoc quoque sciendum est, statum hunc Lacedęmoniorum, potiorem condicione reliquorum, euerti posse multo facilius: quam imperium illud, quod vos obtinuistis. Nam vos a naualibus copiis instructi, vel inuitos in officio continebatis: at hi perpauci numero supra ceteros, longe ipsis plures, nec quidquam deterius armis instructos, semet efferunt. Atque hæc sunt, quæ vobis exponere visum fuit. Illud quidem certe scire debetis, Athenienses, existimare nos, ad ea vos inuitari a nobis, quæ reipublicæ vestræ plus adlatura sint boni, quam nostræ. His expositis, legatus Thebanus dicendi finem fecit. Ea vero complures ex Atheniensibus probata suadebant, omnes ferendam Thebanis opem latis suffragiis decernebant. Quumque plebiscitum hoc Thrasybulus responsi loco eis exposuisset, id etiam significabat; populum Atheniensem, tametsi Piræeus nec dum muris cinctus esset, nihilominus suo cum periculo maiorem Thebanis gratiam referre conaturum, quam ipse beneficium accepisset. Nam vos Thebani, ait, expeditioni aduersus nos haud interfuistis: at nos vobiscum aduersus Lacedæmonios pugnabimus, si quidem vos bello petiuerint. Itaque Thebani domum profecti, ad defensionem se comparabant: Athenienses, ad opem eis ferendam. Nec Lacedæmonij quidem amplius cunctabantur, sed rex Pausanias cum Laconicis domo productis, ac Peloponesi copiis in Bœotiam pergebat. Soli Corinthij non sequebantur. Interea Lysander, qui Phocensium, Orchomeniorum, hisque vicinorum oppidum ducebat copias, prius ad Haliartum, quam Pausanias, præsto fuit. Quumq; iam eo venisset, quiescere non poterat, neque missum a Lacedæmoniis exercitum exspectare: sed cum iis, quos habebat, militibus ad Haliartiorum mœnia pergens, primum suadebat, a Thebanis vti deficerent, seque in libertatem adsererent. Id vero quum Thebani quidam in oppido fieri prohibuissent, muro copias admouit. Ea re Thebani audita, cursu adferendas suppetias, cum grauis armaturæ peditibus, & equitum copiis, Haliartum contendunt. Vtrum vero in Ly- 506

Thrasibulus & Athenienses gratos se erga Thebanos declarant.

Lysander Haliartũ adoritur.

ſandrum clam ipſo inciderint, an potius animaduertẽs ille Thebanos aduentare ſubſtiterit, quaſi qui ſibi victoriam polliceretur, incertum eſt. Hoc quidem conſtat, ad ipſa mœnia pugnatum, & tropæum ad portas Haliartiorum conſtitutum fuiſſe. Lyſandro interfecto, quum ad montem alij fugerẽt, acriter Thebani eos perſequebantur. Iam in montis cacumen euaſerant perſequendo, quum in delatos ad anguſta, tranſituque difficilia loca, grauis armaturæ pedites ſe conuertunt, & iaculis ac telis eos feriunt. Quumque duo vel tres, qui erant in fronte, cecidiſſent: & in reliquos per loca decliuia Lacedæmonij ſaxa deuoluerent, magnaque cum alacritate animorum eos vrgerent: vertuntur ab aduerſo monte in fugam Thebani, ac plures cc occiduntur. Itaque dies is in mærore conſumtus, quod non minus ſe detrimenti accepiſſe, quam intuliſſe ducerent. Poſtridie quum Phocenſes & ceteros omnes noctu domum quoſque ſuam profugiſſe comperiſſent, maiores ob rem geſtam animos ſumebant. At vbi Pauſaniam cum Laconicis copiis conſpexere, ingenti ſe rurſus in periculo eſſe arbitrabantur, adeoque magnum in eorum exercitu ſilentium, animorumque deiectionem fuiſſe, commemorabatur. Sed quum poſtridie non ſolum Athenienſes ad eos veniſſent, ſeque cum ipſis in acie coniunxiſſent, verumetiam Pauſanias exercitum non adduceret, neque prœlij copiã faceret: tum vero creuere plurimũ Thebanis animi. Pauſanias autem† polemarchis & militum quinquagenum præfectis conuocatis, manumne cõſereret, an per inducias Lyſandrum & alios cum ipſo cæſos tolleret, deliberabat. Quumq; tam Pauſanias ipſe, quã ceteri Lacedæmoniorum magiſtratus ſecum reputarent, Lyſandrum occubuiſſe: milites, quos habuerat, victos profugiſſe: Corinthios prorſus ſequi noluiſſe: ceteros, qui aderant, non ſatis alacres eſſe hac in militia: hoſtium equitatum magnum eſſe, ſuum exiguum: occiſorum cadauera ſub ipſis iacere mœnibus, vt iam ne victoribus quidẽ propter vim hoſtiũ de turrib. ea tollere ſit procliue: de hiſce cauſſis omnib. decreuerũt, interfectorũ corpora per inducias eſſe tollẽda. Negãt ea Thebani ſe reddituros aliã condicione, quã vt finib. ſuis Lacedæmonij excederent.

Lyſander a Thebanis occiditur.

† Adpellatio muneris Laconici, q.d. belli præfectos.

Ea

Ea res perlubenter audita, sublatisque cadaueribus, e 507 Bœotia discessum. Atque his ita gestis, abiere mæsti Lacedæmonij. Thebani autem petulanter admodũ, si quis vel parumper in villas diuertisset, cædendo ad vias vsque persequebantur. Hic eius expeditionis Lacedæmoniorum exitus fuit. Enimuero Pausanias, posteaquam domum rediisset, capitis iudicium subiit. Quumque accusaretur, quod serius Lysandro apud Haliartum præsto fuisset, quamquam conuentum inter ipsos esset, vt ad eumdem diem eo venirent: quod per inducias, non cõmissa pugna, tollere mortuorum cadauera conatus fuisset: quod plebem Atheniensem captam in Piræeo dimisisset: quod denique iudicio se non stetisset: capitis damnatus fuit. Ipse Tegeam fuga se recepit, atque istic morbo extinctus est. Hæc tum in Græcia gesta sunt.

XENOPHONTIS HISTORIARVM GRÆCARVM LIBER IIII.

ARGVMENTVM.

1. Res ab Agesilao in Asia feliciter gesta. 2. Regia Pharnabazi qualis. 3. Herippidas Pharnabazum nec opinantem opprimit. 4. Herippidæ auaricia quanti mali caussa fuerit. 5. Apollophanes Agesilaum qua ratione cum Pharnabazo conciliare sit conatus. 6. Pharnabazi filius Agesilaum ad hospitij ius inuitat. 7. Agesilaus e medio victoriæ cursu cur a Lacedæmonijs domum reuocatus. 8. Copiæ Lacedæmoniorum, & hostium ipsorũ, quales, quantæque fuerint. 9. Prælij inter Lacedæmonios, & ipsorum hostes commissi descriptio, quæ Lacedæmonios insignem victoriã ab hoste reportasse demonstrat. 10. Agesilaus in Græciam reuersus, Thessalos equestri prælio vincit. 11. Pisander Laconicæ classis Prætor a Conone, & Pharnabazo superatur. 12. Agesilaus cladem acceptã

dissimulat. 13. Prælium ad Coroneam inter Lacedæmonios, & Thebanos commissum, vnde Agesilaus victoriam reportauit, at vulneratus fuit. 14. Agesilai pietas. 15. Corinthij pacis studiosi ab aduersa factione cæduntur. 16. Vnde seditio grauior oritur. 17. Praxitas Lacedæmonius quomodo Corinthum receperit. 18. Insignis Lacedæmoniorum victoria. 19. Res variæ post victoriam a Lacedæmonijs gestæ. 20. Lacedæmonij, Agesilai ductu, bellum Argiuis cur intulerint. 21. Cur etiam Corinthijs. 22. Agesilai stratagema, quo fefellit hostes. 23. Piræum Corinthi portum Agesilaus per deditionem capit. 24. Agesilai insolens facinus, eiusq; pœna. 25. Lacedæmonij propter suam hostium contemptionem accipiunt grauem cladem. 26. Agesilaus cum suis copiis in Acarnaniam proficiscitur. 27. Agesilai stratagema. 28. Bellum aduersus Argiuos. 29. Agesipolis tergiuersantibus Argiuis inducias denegat. 30. Agesipolidis audacia. 31. Res a Conone, & Pharnabazo gestæ. 32. Dercyllidas Abydenos in officio continet. 33. Cono muros Athenarum quando, cur, quomodo, instaurarit. 34. Antalcidas ad Teribazum cur a Lacedæmonijs missus, & quid ab eo impetratum. 35. Improbum Antalcidæ, & Lacedæmoniorum facinus. 36. Struthas Atheniensibus fauet. 37. Aduersus Strutham mittitur Timbro, qui in conflictu cæditur. 38. Diphridæ aduersus Strutham missi encomium. 39. Euagoras Rex Cypri Persis bellum infert. 40. Res a Thrasybulo gestæ, eius mors, & caussa. 41. Anaxibius Abydū a Lacedæmonijs mittitur. 42. Iphicrates cum copijs in Hellespontum ab Atheniensibus mittitur. Anaxibio insidias struit, eo caso cæteras eius copias graui clade afficit.

Agesilai res in Asia prospere gestæ.



GESILAVS autem, posteaquam sub autumnum Pharnabazi Phrygiam ingressus esset, agrum incendiis ac populationibus infestabat: vrbes partim vi, partim deditione spontanea sibi adiungebat. Quumq; diceret Spithridates se, si ad Paphlagoniam secum accederet, perfecturum, vt Paphlagonum rex in colloquium societatemq; veniret: lubens hanc profectionem suscepit, iamdudum cupiens

cupiens eam nationem a fide regis auertere. Quum ventum in Paphlagoniam esset, aderat * Cotys, & fœdus inibat. Etenim a rege Persico arcessitus, ad eum profectus non fuerat. Deinde suasu Spithridatę Agesilao CIↃ quidem equites reliquit Cotys, cetratos autem IICIↃ. Ob eam rem quia gratias habebat Spithridatæ Agesilaus: Dic mihi, ait, mi Spithridata, num Cotyi filiam vxorem dares? Multo quidem lubentius, subiecit ille, quam Cotys, amplæ ditionis & copiarum imperio præpotens, filiam exsulis duceret. Hæc tum de nuptiis hisce tantum facta est mentio. Quum autem discessurus Cotys esset, Agesilaum salutaturus adit. Ibi sermonem hunc in præsentia Trigintauirum, Spithridatą remoto, Agesilaus occepit: Dic mihi, ait, mi Coty, quo genere natus est Spithridates? Et ille: Natus est, inquit, genere apud Persas nulli secundo. At filium ipsius, quam sit elegans, vidisti? Quid ni? ait. Heri cum eo cœnatus sum. At perhibent ei filiam hoc ipso formosiorem esse. Profecto perpulchra est, inquit Cotys. Hanc ego, subiecit Agesilaus, quando nobis amicus esse cœpisti, auctor essem, vt duceres: primum longe formosissimam, quo quid esse marito iucundius possit? deinde natam patre adprime nobili, tantaque potentia prædito, vt iniuriis Pharnabazi læsus, eas de ipso pœnas sumat: vt eum, ceu vides, vniuersą ditione sua fugitiuum expulerit. Itaque sat scito, inquit, eum perinde, ac hostem illum vlcisci potuit, etiam hominem amicum adficere beneficiis posse. Planeque velim existimes, si hæc fiant, non illum modo tibi socerum fore: sed & me, & Lacedæmonios ceteros: quūque nos Græciæ principatum obtineamus, omnem prętereа Græciam. Atenim si hæc facias, quis vmquam te magnificentius vxorem duxerit? Quam enim sponsam tot equites, cetrati, grauis armaturæ pedites vmquam deduxerunt, quot hanc vxorem tuam nunc domum tuam sunt deducturi? Tum Cotys Agesilaum interrogans: Hæccine, inquit, etiam Spithridatæ probantur, quæ dicis? Et ille: Profecto, inquit, mi Coty, non ille me iussit hæc dicere: sed ego, tametsi mirifice gaudeam, quoties de hoste pœnas sumo: longe tamen maiore mihi voluptate frui videor, quum quid amicis boni reperio.

** al. Otys, sed praue.*

Agesilaus Spithridatæ gratiā refert. 508

Cur igitur, inquit Cotys, non sciscitaris, an hæc ille velit?
Et Agesilaus: Abite vos, ait, Herippida, & hominem edo
cete: vt eadem, quæ nos, velit. Tum illi surgentes Spi-
thridatæ rem exponebant, quumque nonnihil interce-
509 deret more: Visne, inquit Agesilaus, mi Coty, nos etiam
huc ipsum arcessamus? Nimirum multo facilius, ait, te
persuasurum arbitror, quam ceteros omnes. Tum dein-
de Spithridatem Agesilaus cum reliquis arcessit. Quũ-
que illi accederent, Herippidas: Cetera quidẽ, ait, mi
Agesilae, quæ dicta sunt, quid prolixe commemorari ne-
cesse fuerit? Hoc Spithridatæ verbum extremũ fuit, per-
lubenter se facturum, quidquid tibi videatur. Igitur mi-
hi videtur, inquit Agesilaus, vt tu quidem Spithridata,
quod felix faustumque sit, Cotyi filiam des vxorem: tu
vero eam, Coty, ducas. Puella tamen ante vernum
tempus itinere terrestri a nobis ad te deduci non pote-
rit. Atenim, subiecit Cotys, mari ad me profecto mitti
poterit, si quidem ita tu velis. Secundũ hæc datis accep-
tisque dextris, Cotys dimissus fuit. Quumq; properare
hominem Agesilaus intellexisset, statim instructa trire-
me, datoq; Calliæ Lacedæmonio auehendæ puellæ ne-
Descriptio regiæ Pharnabazi. gotio: Dascylium ipse profectus est, quo in loco regia
Pharnabazi erat, & circum eam vici frequentes ampli,
copia commeatus abundantes. Erant & peramœnæ ve-
nationes partim in hortis vndiq; septis, partim patenti-
bus in locis. Circum fluebat amnis plenus omnigenis
piscibus. Nec deerat illis ingens volatilium copia, qui vti
aucupio poterant. Atque heic in hibernis mansit, & par-
tim indidem, partim prædas actum suos educẽdo com-
meatum exercitui parabat. Quumque milites aliquan-
do contemtis hostibus, & incaute commeatum quære-
rent, quod ante id temporis aduersi nihil eis accidisset:
forte Pharnabazus in eos per planiciem palatos, cum
duobus falcatis curribus, & cccc equitibus incidit. Eum
Græci adequitantem conspicati, ad septingentos celeri-
ter vnum in globum coeunt. Ille nihil cunctatus, con-
stitutis in fronte curribus, quos ipse a tergo cum equita-
tu subsequebatur, agi eos in hostem iubet. Posteaquam
immissi currus globum Græcorum disiecissent, mox e-
quites ad c homines prosternunt: ceteri fuga se ad Age-
silaum

ſilaum recepere, qui cum graui armatura non procul
aberat. Secundum hæc tertio vel quarto die Spithrida-
tes caſtra Pharnabazum habentem amplo in vico, cui
nomen Caue, plus minus CLX ſtadiis abeſſe comperit,
ac mox ea de re certiorem Herippidam facit. Ille pa- 510
trandi præclari facinoris cupidus, grauis armaturæ pe-
dites ƆƆIↃ, totidemque cetratos & Spithridatæ, Paphla-
gonum, Græcorum equites ab Ageſilao poſtulat, quoſ-
cumque permouere ſuadendo poſſet. Hos quum Age-
ſilaus promiſiſſet, exta conſulit. Quumque ſub veſpe-
ram perlitaſſet, ſacrificij finem fecit. Poſt illa milites cœ-
natos adeſſe pro caſtris iuſſit. Tenebris ingruentibus ne
dimidia quidem ſingulorum pars egreſſa eſt. Ne tamen,
ſi reuerteretur in caſtra, ludibrio reliquis Trigintauiris
eſſet, cum ea, quam habebat, militum manu profectus
eſt. Vbi prima luce caſtra Pharnabazi adgreſſus eſſet, col-
locati ante ea cuſtodes Myſi magna ex parte trucidãtur:
fugiunt Perſæ: caſtra multis cum poculis, & alijs rebus,
ſupellectile præſertim Pharnabazi, magna impedimen-
torum copia iumentis impedimenta vehentibus capi-
untur. Etenim quod ſibi metueret, ne ſicubi ſubſiſteret,
circundatus obſideretur: *Nomadum inſtar alias aliam
regionis partem adibat, & caſtorum metationes, quan-
tum poterat, occultabat. Poſteaquam deinde res cap-
tas Paphlagones & Spithridates auehebant, colloca-
tis Herippidas alicubi cohortium manipulorumque
ductoribus, omnia Spithridatæ ac Paphlagonibus ade-
mit, vt magnam mancipiorum copiam manubiarum
venditoribus adferret. At illi, poſteaquam hoc eis acci-
diſſet, non tulerunt: ſed vt iniuria contumeliaque adfe-
cti, rebus ſuis noctu collectis, Sardes ad Ariæum ſe con-
ferũt, habita ei fide propterea, quod etiam ipſe aliquan-
do defecerat, ac bellum cum rege geſſerat. Ageſilao
quidem iſta Spithridatæ, † Megabyzi Paphlagonum
deſertione, nihil hac in expeditione grauius accidit.
Ceterum Cyzicenus, quidam erat Apollophanes, cui
iam olim cum Pharnabazo hoſpitij neceſſitudo erat, &
hoc fere tempore in hoſpitij neceſſitudinem admiſſus
ab Ageſilao fuerat. Is Ageſilao ſignificat, exiſtimare ſe,
poſſe opera ſua Pharnabazum in colloquium de ineũda

Herippidas Pharnabazum nec opinantem opprimit.

** Natio Scytharũ vaga. Plin. in 5.*

Herippidæ auaricia.

† al. Megabatæ.

Apollophanes Ageſilaũ cum Pharnabazo conciliare nititur.

amicitia adduci. Ea re audita, induciis ac fide ab Agesilao acceptis, Pharnabazum ad locum constitutum adducit. In eo iam Agesilaus, & adiuncti ei Trigintauiri, in gramine humi decumbentes, Pharnabazum opperie-
511 bantur. Veniebat is amictu maximi pretij ornatus, quũque ministri puluinos subtiles substernerent, in quos se molliter Persæ collocant: conspecto vili cultu Agesilai, deliciis illis vti præ verecundia noluit. Quapropter & ipse ita, vti vestitus erat, humi se reclinat. Deinde dicta primum vtrimq; salute, mox dextram Pharnabazo porrigente, suam vicissim ei porrigit Agesilaus. Eo peracto Pharnabazus, qui natu grandior esset, ita loqui cœpit:
» Ego vobis, Agesilae, vosque Lacedæmonij omnes, qui
» adestis, amicus & fœderatus fui, quo tempore bellũ ad-
» uersus Athenienses gerebatis: neque tãtum classem ve-
» stram, suppeditatis pecuniis, corroboraui: verumetiam
» ipse in terra ex equo vobiscum pugnans, hostes vsque in
» ipsum mare persequebar. Neque vero accusare me po-
» testis, quasi vmquam Tissaphernis more duplici erga
» vos animo vel in sermone, vel factis fuerim. Talem quũ
» me gesserim, eo nunc a vobis redactus sum; vt ne cœna
» quidem mihi mea in ditione sit reliqua, nisi forte bestia-
» rum instar id colligam, quod a vobis sit relictum. Om-
» nia quę relicta mihi a patre acceperam, ædificia pulchra,
» horti arboribus ac feris referti, quibus animũ oblecta-
» bam, nunc partim exusta, partim excisa video. Proinde
» si, quid æquum sanctumque sit, ego non intelligo: vos
» me velim doceatis, quinam existimari debeat, hæc ab
» hominibus referendæ gratiæ non ignaris proficisci. His
» dictis, Trigintauiri omnes verecundia ducti silebant.
» Tamdem aliquando Agesilaus in hanc sententiam re-
» spondit: At enim, Pharnabaze, non ignorare te arbitror,
» etiam Græcis in vrbibus hospitiorum necessitudines in-
» ter homines contrahi. Nihilo minus vbi bellum inter
» vrbes ipsas geri cœptum est, vna cum patria sua quilibet
» hospitibus bellum facit. Quinetiam si res ita ferat, non-
» numquam mutuo se hospites occidunt. Eadem ratione
» nos quoque bellum aduersus regem vestrum gerentes,
» necesse fuit omnia, quæ ipsius essent, hostilia ducere:
» quamquam tecum amicitiam colere summopere cu-

pere-

peremus. Quod si tibi pro rege domino commutandi nos essemus, quos dominorum deinde loco haberes: equidem tibi nequaquam hac in parte quidquam consulerem. Nunc tibi licet, si quidem nobiscum te velis coniungere, neminem summisse venĕranti, neminem adnoscēti dominum, ita viuere, tuis vt rebus nihilo minus fruare. Atqui libertatem opibus ego vniuersis anteferēdam arbitror. 512
Nec interim id nos volumus, vt liber quidem, at pauper sis: sed vt societate nostra fretus, non regis, sed tuum imperium propages, ac redactis in potestatem tuam hoc tempore cōseruis, loco subditorum eis vtare. Quod si pariter & liber sis, & opulētus fias: quid tibi defuerit, quo minus plane sis beatus? Ergo vobis, inquit Pharnabazus, simpliciter, quid facturus sim, respondebo. Id vero te decet, subiecit Agesilaus. Quod si rex, ait, prætorem alium miserit, cui me iubeat dicto audiētem esse: vobis & amicus, & socius esse volam. Sin me præesse cum imperio iusserit, quandoquidem huiusmodi quiddam est, vti videtur, gloriç cupiditas, omnino scitote, me pro mea virili bellum aduersus vos fortissime gesturum. Ea verba quum audiisset Agesilaus Pharnabazi manu prehensa: Vtinam, inquit, vir optime, quum talis sis, amico te vtamur. Vnum quidem hoc scito, me iam quanta celeritate potero, tuis e finibus excessurum: ac deinceps, tametsi bellum inter nos geretur, fore tamen, vt quam diu supererit alius, quem bello petamus, abs te rebusque tuis abstineamus. His dictis, finem is congressus habuit. Et iam equo conscēsu Pharnabazus abibat, quū eius ex Parapita filius perelegans, nonnihil remanens. & ad Agesilaum adcurrens: Ius, ait, hospitij tecum, Agesilae, iungo. Tum ille: Accipio vero, inquit. At memineris, ait alter: statimque spiculum, quod sane pulchrum erat, Agesilao dedit. Id quum accepisset Agesilaus, quia phaleris ornatum equū pulcherrimis Idæus pictor habebat: eas detractas vicissim puero donat. Qui tum quidem in equum insiliēs, patrem est insequutus. Ceterum deinceps, quum per absentiam Pharnabazi erepto frater imperio filium hunc Parapitæ in exsilium egisset: nō solum Agesilaus ceteris in rebus eum fouit, sed etiā amante ipso quemdam Atheniensis Eualcis filium, nihil non

Pharnabazi filius Agesilaū ad hospitij ius inuitat.

fecit, vt is ipsius caussa Olympicum in stadium admitteretur, quamquã inter pueros maximus esset. Agesilaus, vti Pharnabazo facturum se dixerat, statim ex ipsius finibus discessit. Neque iam procul ver aberat. Vbi Thebes in campum peruenisset, propter Astyrinæ Dianæ fanum castra posuit: atque istic præter eum, quem habebat, exercitum, ampliores ex omnibus locis copias co-
513 gebat. Nam ita se parabat, vt quam posset longissime sursum progrederetur: existimans se nationes omnes, quotquot a tergo relinqueret, regi ademturum. Hic tum conatus Agesilai erat, quum Lacedæmonij plane cognito, missas esse pecunias in Græciam, vrbesque maximas ad opprimendum ipsos bello conspirasse: versari rempublicam suam in periculo arbitrabantur, & expeditionem necessario suscipiendam esse. Ad eam se comparabant, simulque ad Agesilaum Epicydidam mittunt. Is posteaquam ad eum venisset, quum aliarum rerum statum exponebat: tum hoc etiam, mandare ipsi rempublicam, quamprimum patriæ laturus suppetias adesset. Ea re Agesilaus audita, grauiter quidem ille ferre, quum secum ipse quantis honoribus, quantaque spe deiiceretur, expenderet: sed nihilominus aduocare socios ad concionem, quid respublica mandaret, indicare: dicere, necessarium omnino esse, vt auxilium patriæ feratur. Quod si res, inquit, eæ gerentur ex animi sententia: certo scitote, socij, nequaquam futurum, vt vestri obliuiscar. Reuertar scilicet ad vos, perfecturus ea, quæ vos cupitis. Hæc illi audientes, multis cum lacrumis vniuersi ferendam esse cum Agesilao Lacedæmoni opem statuunt, ac si res istic feliciter gererentur, cum eodem in Asiam redeundum esse. Interea dum illi sua colligunt, Agesilaum sequuturi: Euxenum ipse præfectum in Asia cum præsidiariis non paucioribus, quam IIIICIↃ relinquit, vt eorum auxilio tueri ac retinere oppida in fide posset. Et vero quia magnam militum partem istic manere malle videbat, quam aduersus Græcos arma ferre: quo fortissimos & plurimos secum abduceret, præmia ciuitatibus constituit, quæ copias lectissimas mitterent: itemque conducticiorum ductoribus, si qui cum instructissima vel grauis armaturæ peditum, vel sagittario-rum,

Agesilaus e medio victoriæ cursu reuocatur.

rum, vel cetratorum cohorte huic expeditioni se adiungeret. Quin & præfectis equitum denuntiauit, eis se victoriæ præmiũ largiturum, qui turmã longe peritissimã equitandi & instructissimam exhiberet. Eaq; de re se cogniturũ ait instituto iudicio in Cherroneso, posteaquã ex Asia in Europam traiecissent: vt certo scirent eorum, qui essent expeditioni huic interfuturi, accuratũ delectum fore. Præmiorum loco magna ex parte proposita erant arma elaborata quam elegãtissime, tam militum grauis armaturæ quã equestria. Nec aureæ coronæ deerãt. Omnia quidem præmia talentis non minus IIII cõstitere. 514
Tantis sumtibus factis, etiam pro exercitu maximis pecuniis arma comparata fuerunt. Posteaquã Hellespõtum traiecisset, iudices lecti sunt: ex Lacedæmoniis, Menascus, Herippidas, Orsippus: ex sociis, vnus ex oppido quolibet. Peracto iudicio, cum copiis Agesilaus eadẽ via progrediebatur, qua† rex profectus fuerat id temporis, quum Græciæ bellum faceret. Interea contrahebant Ephori copias & præsidia: ciues autem, quod Agesipolis adhuc puer esset, Aristodemum adgnatum, ac tutorem pueri, ducem exercitus esse iubent. Posteaquam Lacedæmonij copias eduxissent, hostes eorum collecti, quo pacto cum ipsis maximo suo commodo manum consererent, in conuentu deliberabant. Ibi Timolaus Corinthius hac oratione vsus est: Res Lacedæmoniorum socij, fluminum instar habere se mihi videtur. Quippe flumina iuxta fontes suos non magna sunt, traiicique nõ difficulter possunt. Verum quo profluunt longius, eo magis ab aliis adaucta fluuiis, vehementiori cum impetu proruunt. Itidem Lacedæmonij soli sunt, vbi primum egrediuntur: at progrediendo, & oppida sibi adiungendo, tum copias augent, tum illud efficiunt, vt expugnari difficilius possint. Equidem eos quoque video, qui vespas extinguere volunt, si egressas venari cõentur, a multis pungi: at si tum ignem admoueant, quum adhuc inclusæ sunt, nullo suo cum incommodo eas opprimere. Quapropter nos hæc cum animis nostris expendentes, rectissime facturos arbitror: si ad ipsam inprimis Lacedæmonem, vel si hoc fieri nequeat, proxime ad eam manus conseramus. Hæc quum recte dici ab eo statue-

† *Xerxem intelligit.*

rentur, decretum in eamdem sententiam factum est. Interea vero, dum illi transigũt inter se de belli huius principatu, & in quot homines instrui aciem totius exercitus oporteat, constituunt: ne si densas admodum phalanges efficerent vrbes Lacedæmoniis infestæ, circumdandi se potestatem hosti facerent: Lacedæmonij, adiũctis sibi Tegeæis ac Mantinensibus, via maritima egrediuntur. Quumque pergerẽt eodem fere tempore, Corinthij quidem cum suis erant in Nemea, Lacedæmonij vero cum sociis, Sicyone. Hinc propter Epieceam facta
515 impressione, primum velites aduersariorum de superioribus locis tela sagittasque iacientes, vehementer Lacedæmonios premebant. Verum vbi ad mare descẽdissent, per campum progrediebantur, ferroque ac flamma agrum omnem vastabant. Tum hostes propius accedentes ita castra sunt metati, vt ante se torrentis alueum haberent.

Copiæ partis vtriusque.

Et Lacedæmonij progressi, quum non amplius decem stadiis ab hostibus abessent: ipsi quoque locatis castris ibidem se continebant. Exponam & copias amborum. Lacedæmonij grauis armaturæ pedites plus minus VICIↃ collecti erãt: ex Eleis, Triphyliis, Acroriis, Lasionensibus IIICIↃ propemodum: ex Sicyoniis, CIↃ IↃ: ex Epidauriis, Trœzeniis, Hermionensibus, Haliensibus non pauciores IIICIↃ adfuere. Præter hos, habebant equites Lacedæmonios IↃC, & sagittarios Cretenses CCC, & funditores † Marganenses, † Ledrini, Amphidoli non pauciores CCCC. Phliasij, quod inducias esse sibi dicerẽt, sequuti non sunt. Et hæ quidem erant Lacedæmoniorũ copiæ. Apud hostes autem, VICIↃ collecti grauis armaturæ pedites Athenienses erant: Argiui, quemadmodum ferebatur, plus minusve VIICIↃ: Bœoti, quod Orchomenij non adessent, circiter IↃↃ: Corinthij, ad IIICIↃ: ex vniuersa Eubœa, non pauciores IIICIↃ. Et hæc quidem grauis erat hostiũ armatura. Iidem habebant equites Bœotos, quamquam Orchomenij non adessent, IↃCCC: Athenienses, IↃC: Chalcidenses ex Eubœa, fere centum: Locros Opuntios, ad quinquaginta. Hunc numerum leuis armaturæ peditum multitudo, Corinthiis adnumeratis, superabat. Etenim Locri, qui cognominantur Ozolæ, & Melienses, & Acarnanes eis aderant. Tantæ igi-

† al. Margæani.
† al. Leprini.

igitur erant partis vtriusq; copiæ. Ceterum Bœoti, quā
quidem diu latus sinistrum tenebant, non admodum
ad conserendum manus properabāt. Verum vbi contrà
Lacedæmonios Athenienses constiterunt, & ipsi dextro
in latere Achęos aduersos habuere: mox & exta peropta-
ta sibi offerri confirmabant, & suos ad pugnam ineun-
dam parare se iubebant. Hinc omissa ratione struendi
aciem in denos ac senos, densam protinus phalangem
instituunt. Præterea dextram versus ducebant, vt altero
cornu hostem excederent. Athenienses, ne acies diuel- 516
leretur, sequebātur eos: † quamquam esse periculum in- † Consule
telligerent, ne ab hostibus circumdarentur. Hactenus Notas.
hostem accedere Lacedæmonij non animaduerterant,
quod locus ex arboribus spissus esset. At vbi pæan incho-
atus fuisset, mox re intellecta, & ipsi suis vniuersis impe-
rant, ad prœlium vti se pararent. Quumque iam ita di-
spositi starent in acie, quemadmodum eam conducti-
ciorum militum duces struxerant: edicunt Lacedæmo-
nij, vt quisque ducem sequeretur: simul & ipsi dextram
versus ducunt, ac hostium cornu, semet extendendo, vs-
que adeo superant: vt sex Atheniensium cohortes Lace-
dæmoniis, quatuor oppositæ Tegeæis essent. Iam non
amplius vnius interuallo stadij ab se inuicem aberant,
quum Lacedæmonij de more capram † Siluicultrici ma-
ctant, primique in aduersos pergunt, & partem copiarū,
qua hostilem aciem excedebant, circumdaturi hostem,
in orbem flectunt. Ad manus quum ventum esset, reli-
qui socij Lacedæmoniorum omnes ab hostibus supera-
ti fuere: soli Pellenenses, Thespiensibus oppositi, sic pu-
gnabant, vt vtrimque nonnulli caderent. Lacedæmonij,
quotquot Athenienses sibi oppositos nancti sunt, vin-
cunt: parteque copiarum, qua ipsorum aciem excede-
bant, multos circumdatos interficiunt: simul, quod da-
mni nihil accepissent, integra prorsus acie procedunt, &
quatuor illas Atheniensium cohortes, priusquam a per-
sequendo reuerterentur, prætereunt. Ea re factum, vt ex
illis nulli occiderentur, extra eos, qui in conflictu a Te-
geæis interfecti sunt. At in Argiuos recedentes incidere
Lacedæmonij, quumque primus Polemarchus eos ad-
uersos inuasurus esset, exclamasse quidā fertur permit-

† Dianæ cognomētum, agrotera: velut iruralis silu asq; colens, aut rure culta, sicut alij.

Lacedæmonij superant Thebanos.

tendum esse, vt primi præterirent. Id quum fieret, prætercurrentes, qua nudi erant, feriunt: ac multos interficiunt. Itidem Corinthios pedem referentes adorti sunt. Præterea Lacedæmonij quosdam in Thebanos etiam inciderunt, ex persequutione recedentes, ac plurimos eorum peremerunt. Quod quum fieret, victi primum ad oppida fugiebant: deinde facientibus initium eius rei Corinthiis, ad priora se castra recipiebant. Lacedæmonij vero & ipsi redeűtes ad eum locum, quo primum cum hoste manus conseruerant, tropæum constituunt. Atque hæc quidem pugna in hunc modum pugnata fuit. Interim Agesilaus ad ferēdum opem suis ex Asia properabat, quumque iam apud Amphipolim esset, Der-
517 cyllidas ad eum rei gestæ nuntium perfert: vicisse scilicet Lacedæmonios, eorumque tantum octo cecidisse, ingenti hostium multitudine interempta. Significat etiam non paucos ex socijs periisse. Tum quærente Agesilao: Fueritne opportunum, Dercyllida, victoriam hanc celeritate, quanta fieri maxima poterit, iis ciuitatibus nuntiari, quæ copias hasce nobiscum miserunt? respondit Dercyllidas non abs re videri futurum, vt eo nuntio accepto, maiorem animis fiduciam conciperent. Ergo tu, subiecit Agesilaus, quando huc venisti nuntius in primis idoneus fueris. Iis verbis perlubēter auditis Dercyllidas, homo ceteroqui peregre degendi semper cupidus: si quidem tu mandas, inquit. Mando vero, subiecit Agesilaus, ac præterea volo significes: nos ita vti policiti sumus, ad ipsos reuersuros, si res ex sententia cesserint. Secundum hæc ab Hellesponto Dercyllidas discedit. Agesilaus autem Macedonia peragrata, in Thessaliam venit. Heic & Larissæi, & Cranonij, & Scotusæi, & Pharsalij Bœotis confœderati, adeoque Thessali omnes, exceptis tantum iis, qui tunc in exsilio degebant, carpēdo extremum agmen infestabant. Duxerat autem hactenus copias Agesilaus agmine quadrato, equitum parte dimidia translata in frontem, alteraque dimidia relicta a tergo. Verum postea, quam Thessali vltimum agmen adorti, quo minus in itinere pergeret, impediuere: tunc & illos equites, qui erant a frōte, postremum ad agmen traducit exceptis tantũ iis, quos penes se habebat. Quũque

Agesilai reditus in Græciam.

quę

que acies vtrimque structæ essent, Thessali, qui existimarent, non satis commode se aduersus armaturam grauem equestribus cum copiis dimicaturos: conuerso agmine, pedetentim abscedebant. Eos Agesilai equites imprudenter admodum sequebantur. Quare animaduerso Agesilaus, vtrosque peccare; summissis equitibus, quos circum se habebat robustissimos, iubet: vt & ipsi quam celerrime hostem persequerentur, idemque ceteris etiam denuntiarent, ne conuertendi se facultas amplius hosti concederetur. Hos vbi præter opinionem suam adequitare Thessali conspexerunt, partim terga dabant, partim se hosti obuertebant: quod sane quicumq; facere nitebantur, ab equitibus a latere ingruentibus capiebantur. †Polycharmus quidē Pharsalius & se conuertit, & pugnans vna cum iis, quos circum se habebat est interemtus. Quo facto, fuga Thessalorum ingens sequuta est, in qua nonnulli ex eis perierunt, nonnulli hostium in manus venerunt. Prius quidem non substitere, quam in montem Narthacium peruenissent. Agesilaus tropæo inter Prantem & Narthacium excitato, ibidē mansit, mirifice delectatus hoc prœlio; quod homines ob equestris rei peritiam confidentissimos, vsus equitatu eo, quem ipse coegerat, vicisset. Postridie superatis Achaicis Phthiæ mōtibus reliquū iter omne per regionem pacatam faciebat, vsque ad Bœotorum fines. In eos quum irrumperet, & sol instar lunæ falcatus conspici visus est, & adlatus est nuntius, quo significaretur: victos esse nauali prœlio Lacedæmonios, classisque præfectum Pisandrum occubuisse. Narratum etiam, quo pacto prœlium illud nauale commissum fuisset: nimirum haud procul a Cnido classes vtrimque concurrisse: cum nauibus Phœnissis, Pharnabazum classis præfectum adfuisse. Cononem cum classe Græca, prima fuisse in acie. Quumque Pisander & ipse struxisset aciem, ac longe pauciores habere sibi naues videretur, quam essent in Græca Cononis classe, statim socios qui læuum obtinuissent cornu, fugisse: ipsum cum hostibus cōgressum triremi rostrata, cōpulsum ad terrā fuisse. Tū ceteros qui & ipsi ad terrā cōpulsi essent, relictis nauib. qua quisq; potuisset, in Cnidū se incolumes recepisse. Pi-

Agesilaus equestri prælio Thessalos vincit.

†al. Polymachus.

518

Pisāder a Conone ac Pharnabazo vincitur.

ſandrum in naui pugnantem occubuiſſe. Atque hæc A-geſilaus audiens, primum permoleſte ferebat. Verum v-bi ad animum ei accidit, eiuſmodi maximam eſſe ſuorũ militum partem, vt qui perlubẽter rerum proſperarum participes eſſe cuperent: contraque neceſſarium haud-quaquam eſſe, vt ſi quid ipſe aduerſi cerneret, cum eis communicaret: mutato conſilio, nuntiatum eſſe ſibi di-xit, Piſandrum quidem vitam cum morte commutaſſe, ſed nihilo minus nauali prœlio victorem exſtitiſſe. Atq; hæc dicens, etiam boues mactabat, quaſi gratulatoria ſacra faciẽs: partemque victimarum ad multos hinc in-de mittebat. Quo factum, vt in quadam aduerſus hoſtes velitatione Ageſilai milites, hac fama excitati, victoria potirentur: quaſi nauali prœlio Lacedæmonij viciſſent. Erant in acie aduerſus Ageſilaum Bœoti, Athenienſes, Argiui, Corinthij, Aenianes, Euboici, vtriq; Locri: ab A-geſilai vero partibus, vna Lacedæmoniorum † cohors, quæ Corintho aduenerat, & cohors ex Orchomeno di-midia. Præterea tirones Lacedæmone miſſi, quorum in expeditione priori opera fuerat vſus. Tum copiæ cõdu-cticiæ, quibus Herippidas præerat. Item miſſi a Græci nominis tum in Aſia, tum in Europa ciuitatibus, quot-quot earum peragrando, in fidem acceperat. Denique de iis locis, in quibus tum erat, acceſſere grauis armatu-ræ pedites Orchomenij ac Phocenſes. Cetratorum nu-
519 mero Ageſilaus ſuperior erat, equitatus vtrimque par. Atq; has tũc vtriq; copias habebãt. Etiam prœlium cõ-memorabo, & quo pacto commiſſum fuerit: tale quidẽ illud, quale non eſt aliud ex iis, quę noſtra memoria cõ-miſſa fuere. Nam conuenerunt in campum, propter Co-roneam ſitum. Ageſilai quidem copiæ a Cephiſſo, The-banorum vero ab Helicone. Ageſilaus in exercitu ſuo dextrum cornu tenebat, in ſiniſtro poſtremi erant Or-chomenij. Ex aduerſo dextrum Thebani latus habebãt, Argiui ſiniſtrum. Dum congrederentur, altum erat tan-tiſper apud vtroſque ſilentium, donec interuallo vnius ſtadij ab ſe inuicem abeſſent. Tum ſublato Thebani v-lulatu, in aduerſum hoſtem curſu feruntur. Iam trium plethrum ſpatium inter vtroſque intererat, quum de phalange Ageſilai viciſſim excurrunt illi conducticij mili-

Calamitatem acceptã Ageſilaus diſſimulat.

† Græce mora, quæ quot habuerit milites, docet in Pelopida Plutarch.

Prœlium ad Coroneam.

milites, quos Herippidas ducebat: itemque cum his Iones, Æoles, Hellespontij. Hi omnes eorum in numero erant, qui simul in aduersos hostes cursu ferebantur: & quum intra hastam peruenissent, in fugam oppositos sibi vertebant. Enimuero nec Argiui eorum, qui apud Agesilaum erãt, impetum sustinuere: sed in Heliconem fuga se receperunt. Heic quum nonnulli hospites Agesilaum iam coronarent, quidam ei nuntiat, Thebanos, Orchomeniis cæsis, ad impedimenta peruasisse. Tum Agesilaus mox † euoluta phalange, aduersus eos ducit. Thebani vero, vbi socios suos ad Heliconem fugisse vident: vt ad eos euaderent, per cohortes conglobati magno cum impetu procedebant. Heic Agesilaum, extra omnem controuersiam, virum fortem dicamus, licet: neque tamen quod tutissimum erat, elegit. Nam quũ posset omissis iis, qui elabi conabantur, a tergo subsequi, agmenque postremum cædere: non hoc fecit: sed a fronte in aduersos Thebanos irruit. Itaque collisis vtrimque clupeis vrgebantur, pugnabant: occidebant, occidebantur. Tamdem Thebani partim, ad Heliconem euadũt, partim dum abscedunt, interficiũtur. Quum Agesilaus victoria potitus esset, atque ipse vulneratus ad phalangem delatus fuisset: nonnulli equis aduecti significant, plus minus LXXX ex hostibus armatos † templo se continere: quid de his faciundum sit, rogant. Ille quamquã multis adfectus vulneribus esset, numinis tamen haudquaquam oblitus: vt abeundi, quo vellent, potestatem eis facerẽt, edixit: neque lædi eos passus est. At tum quidem, quod aduenisset vespera, cœna sumta, quieti se dederunt. Mane vero Gylim polemarchum copias instruere iubet, ac tropæum excitare: simul vniuersos in honorem Dei coronis se redimire, omnesque tibicines tibia 520
canere. Interim dum hoc illi faciunt, Thebani caduceatoribus missis, per inducias ad sepulturam mortuorum cadauera repetunt. Ita tum factis induciis, Delphos profectus Agesilaus, decumam de manubiis Deo consecrat, talentis centum non minorem. Gylis autem polemarchus cum copiis in agrum Phocensem abiit, atq; ex eo in Locridem irrupit. Die secundum hæc alio milites omnis generis supellectilem, cum frumento, ex vicis ra-

† Quid euolutio sit, docet Ælianus capite 27. περὶ στρατηγ. ταξ. ἑλλ.

† Mineruæ Itoniæ. Plutarch. Agesil.

Agesilai pietas.

Nn

piunt. Verum vbi iam adueſperaſceret, Lacedæmoniis
tum demum pedem referentibus: ſequuntur eos a tergo
Locri, teliſque ac iaculis petunt. Quum autem conuer-
ſi Lacedæmonij viciſſim eos perſequerentur, ac non-
nullos proſtrauiſſent: non iam Locri amplius a tergo ſe-
quebantur, ſed de ſuperioribus eos locis petebant. Tum
Lacedæmonij conabantur ipſos etiam per accliuia loca
perſequi, ſed quia tenebræ ingruebant, pedem referen-
tes, partim ob locorum difficultatem cadunt, partim
quod nihil a fronte proſpicerent, partim denique telis
confoſſi. Perierunt hoc loco Gylis polemarchus, & ad-
Vide Notas. ſtitum e numero complures, & * Spartani omnino XIIX,
† *Lectio marginis.* partim lapidibus obruti, partim confectim vulneribus.
Quod ſi e caſtris milites iam cœnantes opem eis non
tuliſſent, periclitati de vita fuiſſent omnes. Secundum
hæc dimiſſæ ſunt ad ciuitates ſingulas reliquæ copiæ,
ac domum Ageſilaus nauigio vectus fuit. Tum e Corin-
tho factis eruptionibus Athenienſes, Bœoti, Argiui, eo-
rumque ſocij bellum gerebant: Lacedæmonij vero, cum
fœderatis ſuis, e Sicyone. Quum autem Corinthij vide-
rent, agrum ſuum populationibus infeſtari, ac ſuos in-
terfici, quod ſemper ab hoſtibus prope abeſſent, reliquis
interim fœderatis pace fruentibus, agroſque ſuos colen-
tibus: plurimi eorum, atque optimi quique pacem expe-
tebant, communicatiſque cõſiliis, mutuo ſe hac in par-
te monebant. Ea re Argiui, Bœoti, Athenienſes, Corin-
thij, quotquot vel miſſæ ab rege pecuniæ participes fa-
cti fuerant, vel inprimis auctores belli exſtiterãt, cogni-
Corinthij pacis ſtudioſi occiduntur. ta: quod periculum eſſe viderent, ne rurſum Corinthus
Lacedæmoniorum partes ſequeretur, ſi non e medio
tollerentur ij, qui ad pacem inclinabant: cædes moliri
ſunt adgreſſi, ac primum id, quod maxime impium e-
521 rat, cõſilium cepere. Nam ceteri homines neminem, ne
legitime quidem damnatum, feriis perimũt. At hi diem
† Feſti nomen apud Corinthios. ſibi † Eucleorum poſtremum præſtituere, quod eo ſe
plures in foro, quos occiderent, deprehenſuros exiſti-
marent. Quumque ſignificatum iis eſſet, quibus cum
res erat communicata, quoſnã interfici oporteret: ſtri-
ctis illi gladiis alium conſiſtentem in circulo feriunt, a-
lium ſedentem, alium in theatro, nonnullos etiam tunc
ſeden-

sedentes vt iudices. Re patefacta, mox optimates partim ad signa deorum, quæ in foro erant, partim ad aras fugiunt. Tum vero & illi, qui iubebant, & qui parebant, longe omnium sceleratissimi homines, quorum in animis nihil recti & æqui reliquum esset, ad ipsa Deum fana mactabant eos: vt iam nonnulli, tametsi non cæderentur, homines tamen iusti ac legum obseruantes, grauissime animis, conspecta impietate huiusmodi, angerentur. Ita complures ex senioribus occisi fuere, quod eorũ pars maior in foro forte tunc adesset. Iuniores vero, suspicante Pasimelo, futurum huiusmodi quiddam, in †Cranio se continebant. At vbi clamor auditus esset, & quidam ex ipsa cæde fugientes ad eos peruenissent: ad Acrocorinthum cursu adscendunt, obiectosque tum Argiuos, tum alios loco pellunt. Quumque secum ipsi deliberarent, quid faciundum esset: capitellum de columna decidit, nullo neque terræmotu, neque vento decussum. Eam ob rem quum sacrificium facerent, eiusmodi fuerunt exta: vt vates dicerent, rectius facturos, si de loco descenderent. Itaque primo tamquam in exsilium abituri, agro Corinthio excedebant: at vbi suaderent amici, matres, fratres, atque etiam nonnulli e magistratu sub iurisiurandi religione futurum policerentur, vt nihil eis incommodi accideret: nonnulli domum se receperunt. Quumque cõspicerent eos, qui tyrannidem exercebant, & vrbem deleri animaduerterent, quod & limites reuellerentur, & Argus pro Corintho adpellaretur ipsorum patria, cogerentur denique ciuitatis Argiuæ ius obtinere, quo minime indigebant, quum ipsa in vrbe minus etiam, quam illi ciues aduenæ, possent: exstitere nonnulli ex ipsis, qui sic nequaquam sibi viuendum existimarent, sed dandam operam, vt pristinum in statum ac libertatem Corinthus vindicaretur, & ab homicidis expurgata, legibus optimis administraretur. Dignum ipsis esse, vt conseruatores patriæ fierent, siquidem id perficere possent: sin autem, vt pulcherrimorum maximorumque bonorum cupiditate ducti, exitu vitæ cumprimis laudabili potirentur. Ita viri duo, Pasimelus & Alcimenes, torrentem quemdam transeunt, & Praxitam Polemarchum Lacedæmoniorum con- 522

† Gymnasij nomen ante Corinthum. Laert. in 3. Pausania κύπα[?]ειος ὤν ἄλσος.

uenire instituunt, qui sua cum cohorte tum Sicyonem præsidio tenebat. Exponunt huic, intra muros ei se aditum posse patefacere, qui Lechæum versus pertinerent. Ille iampridem cognito, vtrumque fide dignum esse, adsensus est ipsis: impetratoque, vt illa quoque cohors, quę discessura Sicyone fuerat, ibidem maneret: Corinthum vt ingrederetur, operam dabat. Erant iam illi duo tum fortuna quadam, tum industria sua custodes earum portarum, ad quas tropæum stabat: quum Praxitas secum & cohortem illam, & Sicyonios, & exsules Corinthios ducens aduenit. Ad portas quum accessisset propius, ab ingressu sibi metuens, quemdam hominem fidum in vrbem mittere cogitabat, qui omnia prius exploraret. Hunc illi duo introducunt, ac simpliciter commonstrāt omnia: quo factum, vt is renuntiaret, omnia sine fraude

Corinthū Praxitas Lacedæmonius recipit.

geri, quemadmodum vterque dixisset. Secundum hæc Praxitas Corinthum ingreditur. Quum autem acie instructa, muris admodum a se inuicem distantibus, pauci esse sibi viderentur: vallo se muniunt, itemque fossa tali, quali quidem poterant, donec eis opem socij ferrent. Ipso in portu Bœoticum præsidium a tergo habebant. Ac die quidem illo, qui ab ea nocte proximus erat, qua fuerant ingressi, prœlium nullum cum eis committebatur. Verum die ab hoc altero Argiui omnes exciti, suppetias laturi adcurrunt. Quumque Lacedæmonios aduersus cornu dextrū sibi oppositos in acie offendissent, proximos his Sicyonios, & exsules plus minus centum & quinquaginta Corinthios ad murum, qui solem oriētem spectabat: aciem & ipsi suam instruunt. Atque huic quidē, versus orientem spectanti muro, Philocratis conductitij milites erant proximi: secundum hos, Argiui lęuum cornu Corinthij, quotquot ex vrbe aderant, obtinebant. Hostibus ob copiarum suarum amplitudinem contētis, recta in eos pergunt. Mox Sicyonios superatos, vallo diruto, ad mare vsque persequuntur, magnamque partem eorum occidunt. Eos vt premi vidit equitū præfectus Pasimachus, qui tamen equites secum non mul-
523 tos habebat: religatis ad arbores equis, & clupeos eis adimit, & cum illis, qui se sponte adiungerent, aduersus Argiuos properat. Illi conspectis litteris * S in clupeis, plane

** Eas habebant in*

plane nihil ab eis sibi metuebant, vt qui Sicyonij essent. Ibi Pasimachus dixisse perhibetur: Per † geminos Deos, Argiui, hæ S litteræ vos fallent: itaque pedem cum eis contulisse. Quumque aduersus multos cum paucis dimicaret, non ipse solum, sed etiam alij milites, eum sequuti, occubuerunt. Exsules autem Corinthij, victis hostibus oppositis sibi: sursum penetrant: adeoque propius ad murum, vrbem ambientem, accedunt. Interea cognito Lacedæmonij, victos esse Sicyonios, opem laturi egrediuntur, ac vallum ad sinistrum retinent. Argiui, quũ audiissent Lacedæmonios a tergo esse, conuersi extra vallum se cursu proripiunt. Tum quotquot eorum ad dextram postremi fugiebant, a Lacedæmoniis cæsi, qua inermes erant, occumbunt: qui autem muro erant proximi, magno cum tumultu versus vrbem se conferti recipiebant. Quumque Corinthios in exsules incidissent, eosque hostes esse intellexissent, rursus declinabant. Atque heic nonnulli scalas adscendentes, de muro desiliebant, ac peribant: alij dum iuxta scalas vrgentur & cæduntur: occumbunt: alij ab suis conculcati, suffocantur: Nec Lacedæmoniis deerant, quos occiderent. Nã Deus hoc eis tempore patrãdi facinoris eiusmodi potestatem fecit, quale ne quidem vmquam optassent. Quippe cur non diuinitus factum quis existimet, vt ingens hostium copia in eorũ potestatem veniret, perterrita metu, perturbata, partes corporis inermes eis cædendas præbens, nemine ad pugnandum se conuertente, sed potius vniuersis in perniciem suam omnia suggerentibus? Tũ quidem exiguo tempore tam multi ceciderũt, vt homines, qui frumenti, lignorum, lapidum aceruos intueri consuessent: hoc tempore cadauerum aceruos adspicerent. Etiam Bœoticum in portu præsidium interemtum fuit partim in muris, partim in ipsis naualium tectis, quæ conscenderant. Secundum hæc Corinthij & Argiui per inducias interfectos auferũt, & iam Lacedæmoniorum socij suis opem laturi aderant. Eis collectis, Praxitas primum demoliendam murorum partem censuit, vt ingredi copiæ possent. Deinde cum exercitu via, qua Megarẽsem ad vrbem itur, profectus est: ac primo copiis admotis Siduntem capit, deinde Crommyonem: quibus in 524

scutis, Vt Lacedæmonij L, Argiui A, primas in adpellatione patria litteras.

† Castorẽ & Pollucem.

Insignis Lacedæmoniorũ Victoria.

oppidis relicto præsidio, via, qua venerat, reuerti cœpit: munitaque Epiecea, vt ea socij propugnaculi loco, non procul ab amicorum regione dissiti, vterentur: dimisit exercitum, ac Lacedæmonem se recepit. His ita gestis, expeditiones vtrimque magnæ non suscipiebantur: tantum vrbes missis partim Corinthum, partim Sicyonem præsidiariis, mœnia tutabantur. Mercenario tamen milite, quem vtrimque conduxerant, summis viribus inter eos confligebatur. Tunc & Iphicrates Phliuntem cum copiis inuadens, locatis insidiis, prædas cum paucis agebat. Quumque ciues ex vrbe non satis caute suis opem ferrent, tot ex eis occidit: vt Phliasij, qui antehac Lacedæmonios intra mœnia non admiserant, quod vererentur, ne illi exsules reducerent, qui se profiterentur eiectos idcirco, quia Lacedæmoniorum sequuti partes essent, sic tum ab iis sibi metuerint, qui Corintho venerant: vt arcessitis Lacedæmoniis, vrbem & arcem tuendā traderent. Illi vero, quamquam beneuolis essent in exsules animis: tamen quam diu Phliasiorum oppidum habebant in potestate sua, nullam de reducendis exsulibus mentionem faciebant. Immo quum iam illi fidentiores facti viderentur, vrbem ac leges ciuibus itidem, vt ipsi acceperant, restituunt, atque egrediuntur. Ceterum Iphicratis milites sæpenumero factis etiam in Arcadiam irruptionibus, prædas abigebant, & ipsos oppidorum muros adgrediebantur. Nam extra hæc Arcadum grauis armaturæ pedites eis omnino non occurrebant. Adeo sibi a cetratis metuebant. Itidem cetrati vsque adeo metuebant Lacedæmonios, vt intra ictum teli ad grauem ipsorum armaturam non accederent. Nam quum hos quoque iuniores quidam ex Lacedæmoniis aliquando persequuti essent, nonnullos & ceperant, & occiderant. Quumque iam cetratos Lacedæmonij præ se contemnerent, multo etiam magis socios suos contemnebant. Nam quum Mantinei aliquando latum opem adcurrerent, cetratos inuasere: cōiectisque de muro, qui Lechæum versus pertinet, in ipsos iaculis, terga dedere, nonnullis in fuga pereuntibus. Itaque illos etiā salse Lacedæmonij perstringere sunt ausi, quum dicerēt, sociis suis cetratos perinde terrori esse, ac laruas puelli

metu-

metuāt. Ceterum profecti e Lechæo Lacedæmonij cum cohorte sua, & cum exsulibus Corinthiis: vndique Co- 525
rinthiorum vrbem castris cingebant. Tum Athenienses, qui robur Lacedæmoniorum metuerent, ne longis illis Corinthiorum muris dirutis, in se irruerent: nihil se facturos rectius existimabant, quam si dirutos a Praxita muros instaurarent. Itaque magna totius cum populi manu veniunt, fabros cæmentarios & tignarios secum adferunt, partemque muri, quæ Sicyonem & occasum spectabat, paucis omnino diebus egregie perficiunt. Quæ vero spectabat orientem solem, eam magis per otium ædificabant. Interim Lacedæmonij, qui secum ipsi cogitarent Argiuos domi copia rerum augeri, ac bello delectari: expeditionem aduersus eos suscipiunt. In ea dux erat Agesilaus, qui quidem agrum omnem Argiuorum populatus, mox* inde superatis angustiis Corinthũ versus, muros ab Atheniensibus instauratos capit. Venit ad ipsum etiam Teleutias frater mari, cum duodecim fere triremibus: vt iam mater ipsorum beata prædicaretur, quod alter ex iis, quos ipsa genuisset, hostium muros terra, mari alter naues ac naualia cepisset. Atque his tum rebus gestis, sociorum Agesilaus dimisit exercitum, & patriæ copias domum reduxit. Postea vero, quam Lacedæmonij de indicijs exsulum accepissent, Corinthios illos, qui vrbem obtinerent, habere suas in portu* Pirę o pecudes, & ibidem adseruare, atque illic etiam se complures alere: rursum aduersus Corinthum expeditionẽ, Agesilao duce, suscipiunt. Is primum accessit ad Isthmum. Nam is mensis erat, quo Isthmia celebrantur: & Argiui tum istic forte Neptuno sacrificabant, quasi Corinthus esset Argos. Quum autem aduentare Argiui Agesilaum animaduertissent, tam iis, quæ immolata erant, quam aliis ad prandium paratis rebus relictis, via Cenchreas ducente magno cum metu in vrbem se recipiunt. Eos quamquam conspiceret Agesilaus, non tamen est insequutus: sed in templum diuertens, sacrum Deo fecit, ac dum exsules Corinthij Neptuno sacrificarent, ludosque celebrarent, ibidem mansit. Post Agesilao digresso, Argiui de integro Isthmia peregerunt. Itaque hoc anno fuere, qui bis in

** Lectio marginis.*

Agesilai ac Teleutiæ fratrũ felicitas.

** Vrbis ille portus Corinthiæ. Stephanus* περὶ πόλ.

certaminibus victi sunt: & alij, qui bis victores sunt pronuntiati. Ceterum Agesilaus die quarto ad Piræum copias duxit. Quumque magno id teneri præsidio videret, prandio peracto ad vrbem ipsam abscessit: quasi ea sibi proderetur. Qua re factũ, vt veriti Corinthij, ne essent, qui vrbem proderent, Iphicratem cum maxima parte cetratorum arcesserent. Hos quum noctu transisse animaduertisset Agesilaus, prima luce conuerso itinere Piræum copias ducit: ac ipse quidem secundum aquas calidas proficiscebatur, cohorti vero vni, vt ad supremũ montis verticem adscenderet, imperabat. Ea nocte castra non procul ab aquis calidis Agesilaus habebat, cohors autem illa in vertice, quem occuparat, pernoctabat. Heic Agesilaus excogita re non magna quidem illa, sed per tamẽ opportuna, claruit. Nam quum eorum, qui cohorti cibum ferebant, ignem adtulisset nemo: & frigus tamen quoddam esset, partim quod loco admodum essent arduo, partim quod sub vesperam pluuias cum grandine habuissent, partim denique quod, vt æstiuo tempore, tenuibus induti pannis adscendissent: rigentibus iam frigore militibus, & mediis in tenebris non admodum cœnæ cupidis, Agesilaus non pauciores, quam decem mittit, qui ad eos ignem in ollis deferrent. Hi quum in verticem, alius alia via, euasissent: ac iã frequentes, iique non parui ignes, vt in magna lignorum copia, excitarentur: omnes vngebant se, nonnulli etiam denuo cœnam sumebant. Eadem nocte Neptuni fanum ardere conspectum fuit: incertum, a quo succẽsum. Posteaquam ij, qui erant in Piræo, vertices ipsos captos animaduerterunt: nõ iam amplius ad defensionem se comparabant, sed viri, feminæ, ingenui, serui, cum maxima pecorum parte, Iunonis ad fanum confugiebant. Pergebat secundum mare suis cum copiis Agesilaus. Interim de vertice Lacedæmoniorum cohors descendens, Oenoam castellum muris cinctum cum omnibus, quæ erant in eo, cœpit. Eodem die milites vniuersi ex his locis magnam commeatus copiam adquisiuere. Tamdem & illi, qui ad Iunonis confugerant, egressi permiserunt Agesilai arbitrio, vt de ipsis ex animi sui sententia statueret. Agesilaus exsulibus tradi omnes, quotquot e numero il-

526

Agesilai strategema.

Piræum Corinthij portus Agesilao deditionem facit.

ro illorum erant, qui cædes perpetrauerant: cetera vendi vniuersa iussit. Post hæc de Iunonis fano mãcipia permulta sunt egressa. Aderant itidem quum aliis ex locis legati, tum e Bœotia quæsituri, quid faciundum esset, vt pacem impetrarent. Eos Agesilaus elato admodum animo ne quidem adspicere visus fuit, quamquam ipsis adstaret Pharax, hospes eorum publicus, vt ad Agesilaũ eos adduceret. Sedebat ipse rotundo in ædificio, quod est propter *portum, ac multa, quæ de fano educebantur, spectabat. Comitabantur captiuos cum hastis Lacedæmonij milites, qui eos custodirent. In hos illorum, qui aderant, mirifice coniecti erant oculi. Nam fieri plerumque consueuit, vt ij, quibus res secundæ sunt, & qui victoria potiuntur, spectatu quodam modo digni videantur. Dum adhuc sederet istic Agesilaus, ac lęticiam capere se de iis, quæ gesta erant, præ se ferret: quidam totis viribus equo sudante aduehitur: quumque a compluribus, quid rei nouæ adferret, interrogaretur: nullo cuiquam responso dato, propius ad Agesilaum adequitat, equo desilit, vultu tristi accedit, cohortis eius, quæ erat in Lechæo, cladem exponit. Ille re cognita, statim e sella se proripit: hastam capit: polemarchos, quinquagenum militum præfectos, conducticiorum ductores per præconem aduocari iubet. Hi quamprimum cõcurrissent, reliquis, (necdum enim pransi erant) vt quod possent cibi sumerent, seque celerrime sequerentur, edixit: ipse cũ Damasiæ militibus impransus pręcedebat. Comitabantur Agesilaum magno studio satellites armati, quum ipse ceu dux anteiret, illi vna sequerentur. Iam calidas aquas præterierat, & in latam Lechæi planiciem peruenerat: quum tres adequitantes recepta iam esse interfectorum cadauera nuntiant. Quod quum accepisset, iussis subsistere militibus, ac paullisper quiete recreatis, ad fanum Iunonis copias reduxit. Postridie mancipia sunt vendita. Quumque legati Bœotorum arcessiti, & interrogati, quamobrem venissent, nullã pacis amplius mentionem facerent: tantumque dicerent, cupere se suos in vrbe milites, si nihil esset impedimenti, conuenire: subridens Agesilaus, Ego vero non ignoro, inquit, cupere vos non milites videre vestros; sed quantus ille successus

527 *Agesilai factũ insolens.*

* *Lectio marginis. al. stagnũ, male.*

Insolentiæ pœna.

sit, quo amici vestri sint vsi, spectare. Quamobrem opperimini, vt ipse vos deducam. Nimirum si mecum fueritis accuratius, quid acciderit, cognoscetis. Neque fefellit eos, sed postridie facta re sacra, copias ad vrbem ipsam duxit: ac tropæum quidem non deiecit, si qua tamen arbor erat reliqua, eam succidens ac frangens, ne-
528 minem egredi audere demonstrabat. Hæc quum fecisset, propter Lechæum castra metatus est, ac Thebanorum legatos in vrbem non deductos, mari * Creusim ablegauit. Quia vero clades hæc inusitata Lacedæmoniis acciderat, magnus in exercitu Laconico plerorumque luctus erat: exceptis iis, quorum ipso in pugnæ loco vel filij, vel parentes, vel fratres occubuerāt. Nā illi, tamquam si victoria potiti essent, magno cum splēdore, suamet ipsi calamitate velut exsultantes, obambulabant. Ceterum ei cohorti casus hic aduersus in hunc modum accidit. Consueuerant † Hyacinthiis ad pæana semper Amyclæi ventitare, siue adeo in castris essent, seu alioqui peregre abessent domo. Et quoniam Agesilaus omnes Amyclæos, quotquot erant in exercitu, apud Lechæum reliquerat: polemarchus is, qui præsidiariis eo loco præerat, commendata militibus ceteris, quos reliqui socij miserant, tuendorum mœnium cura, ipse cum grauis armaturæ peditum, & alia equitum cohorte, secundum ipsam Corinthum Amyclæos deducebat. Aberant iam plus minus xx vel xxx stadiis ab Sicyone, quū polemarchus vna cum grauis armaturæ peditibus, quorum erant prope ıɔc, Lechæum reuertitur: iusso equitum præfecto, cum equestri cohorte, quamprimū eo deduxissent Amyclæos, quo ipsi vellent, celeriter se subsequi. non ignorabant autem multos in vrbe Corinthia tum cetratos tum grauis armaturæ pedites esse: sed eos præ se cōtemnebant, ob superiores rerum successus arbitrati, neminem se adoriri audere. Verum plerique Corinthij de iis, qui erat in vrbe, itemque Callias Hipponici filius, dux Atheniensium grauis armaturæ peditum, & cetratorum præfectus Iphicrates, quum ex alto conspexissent eos & paucos esse numero, & nudos, a cetratorum equitumque præsidio: tuto se cum cetratis eos adgredi posse arbitrabantur. Nam siue pergere suo vellent in itinere

** Oppidū Bœotiæ Stepha. ἐν πόλ.*

** Festum apud Lacedæmonios.*

Lacedæmonij contemnūt hostem.

nere futurum existimabāt, vt qua nudi essent, iaculis petiti occumberent: seu persequi hostem conarētur, facile cetratos, qui milites essent inprimis agiles, e grauis armaturæ manibus elapsuros. Hæc quum illis ita fuissent visa, copias educūt. Et Callias quidē, cum armaturæ grauis acie, non procul ab vrbe substitit: Iphicrates autem, sumtis secū cetratis, hostium cohortē adoriebatur. Heic Lacedæmonij, quum iaculis ferirētur, eorumq; nonnulli vulnerarentur, nonnulli caderent: satellitibus imperant, vt hos sublatos Lechæum deferrent, qui quidē soli ex tota cohorte reuera salui euaserūt. Inde polemarchus iubet, vti quotquot annis x pubertatem excessissent, cetratos, quos diximus, *persequendo abigerent. Hi quum grauis ipsi armaturæ pedites, cetratos persequerētur: neminem ictu teli adsequi poterant. nam prius vt pedē referrent, quam in grauem hostiū armaturam inciderent, polemarchus edixerat. Post vbi sparsim pedē referebant, vt qui in hoste persequendo pro suis quisq; viribus vsi celeritate maxima fuissent: conuersi milites Iphicratis partim iacula rursus aduersi vibrabant, partim eos a latere currendo, qua erant nudi, feriebant. Ita statim primo incursu nouem, aut decem, iaculis confixos interimunt. Quod vbi accidisset, longe iam audacius Lacedæmonios vrgebant: qui quum grauiter premerentur, rursum polemarchus eos, qui annis xv pubertatem excessissent, persequi hostem iubet. Hi quoque dum pedem referrent, longe plures, quam prius, cecidere. Iam ex eis fortissimus quisque perierat, quum equites eis aduenere: cum quibus rursum persequi hostem incipiunt. Quum autem cetrati declinarent, imprudenter eos adorti sunt equites. Quippe non quo ad aliquos occidissent, persequebantur: sed cum ipsis excursoribus æquatis frontibus tum persequebantur, tum sese conuertebant. Atque his similia quum iterum facerent ac perpeterentur, semper ipsi pauciores ac languidiores, hostes vero audaciores euadebant, eorumque plures Lacedæmoniis negotium facessebant. Tamdem inopes consilij, non magnum quemdam in tumulum sese colligunt, qui duobus a mari stadiis, a Lechæo xvi, vel xvii aberat. Igitur re ab iis animaduersa,

Lacedæmoniorū clades.

529

** Lectio marginis.*

qui erant in Lechęo, conſcenſis illi nauiculis, propter litus nauigant, donec ad eum collem peruenirent. Interim Lacedæmonij rerum ſuarum anxij, quod nullo cũ hoſtium detrimento adfligerentur miſere, atque interirent, vbi grauem inſuper armaturam aduerſum ſe tendere vident, terga dant hoſti, partimque ſe in mare abiiciunt, partim vna cum equitibus (& erant horum non multi) Lechæum ſalui perueniunt. In omnibus quidem hiſce conflictibus ipſaque fuga, plus minus CCL ſunt interemti. Atque hęc ſic geſta fuerunt. Ageſilaus autem ſecundum ea cum cohorte, quæ ſuccubuerat, diſceſſit: re-

550 licta apud Lechæum alia. Quumque domum ita pergeret, quam maxime ſero poterat, ingrediebatur vrbes; rurſumque ſummo mane initium proficiſcendi faciebat. Mantineam quidem ipſis in tenebris præteriit, quũ Orchomeno diluculo mouiſſet. Adeo grauiter conſpectum Mantinæorum laturi milites videbantur, qui ex hac ipſorum calamitate voluptatem caperent. Poſt hæc Iphicrati alia quoque feliciter ceſſere. Quamuis enim Siduntem & Crommyonem, oppida ab ſe capta, Praxitas: Oenoem Ageſilaus, occupato Piræo, præſidiis muniuiſſent: ea tamen Iphicrates omnia recepit, excepto Lechæo, quod a Lacedæmoniorum ſociorumq; præſidio defendebatur. Exſules autem Corinthij propter aduerſum cohortis illius caſum, non iam pedeſtri amplius itinere, ſed nauigiis Sicyone profecti negotium eis exhibebant, qui erant in vrbe, ac viciſſim ab ipſis vexabantur. Secundum hæc Achæi, qui Calydoniis in ciuitatem ſuã adſcitis, Calydonem obtinebant, quondam Ætolici iuris oppidum, impoſito illud præſidio tueri cogebantur.

Ageſilai expeditio in Acarnaniam.

Nam bello ab Acarnanibus infeſtabatur, quibus ſe nonnulli Athenienſes ac Bœoti adiungebant, quod eorum ſocietate continerẽtur. Quapropter Achæi, cum ab hoſte premerentur, legatos Lacedęmonem mittunt. Ii quũ Spartam veniſſent, iniuſte ſecum agere Lacedæmonios
» aiunt. Quippe nos, inquiunt, vobiſcum arma ſumimus,
» Lacedæmonij, prout ipſi denũtiatis, & quocumque du-
» citis, ſequimur. Vos contra, quum ab Acarnanibus, eo-
» rumque ſociis, Athenienſibus & Bœotis, bello prema-
» mur, nulla noſtri cura tãgimini. Quod ſi porro fieri hoc debet,

debet, minime vim hãc sustinere poterimus: omninoq; «
vel omittẽdum nobis bellum hoc in Peloponeso vestrũ «
erit, ac in hostilem agrum transeundum, vt aduersus A- «
carnanes, eorumque socios, bellum geramus: vel ineun- «
da cum eis pax, qualis quidem iniri poterit. Hæc tum ab «
eis dicebantur, obscure minantibus, se a Lacedæmonio-
rum societate discessuros, ni vicissim suppetias sibi fer-
rent. Ephori autem, hac oratione audita, vna cum pu-
blico concilio statuunt, necessarium esse, vt aduersus A-
carnanes cum Achæis arma caperentur. Itaque duabus
cum cohortibus, & parte sociorum Agesilaus huic expe-
ditioni præficitur: cui se, cum copiis suis vniuersis, Achæi
adiungunt. Quum versus hostes exercitum traduceret, 531
Acarnanes omnes, quotquot degebant, in agris, in op-
pida fugiebant: pecoribus etiam ne a militibus interci-
perentur, procul abactis. Iam soli hostilis fines adtigerat
Agesilaus, quum misso Stratum ad communitatem A-
carnanum quodam, ni ab societate Bœotorum & Athe-
niensium discederent, eorumque loco se Lacedęmoniis,
ipsorumque sociis adiungerent: vastaturum se continẽ-
ter omnem ipsorum agrum, nihilque reliqui facturum,
denuntiat. Illis non obtemperantibus, fecit, quod mi-
natus erat. Nam & agrum eorum continuo vastabat, &
cottidie vltra decem & duodecim stadia nõ progredie-
batur. Itaque pecora de montibus Acarnanes deduce-
bant, magnamque partem agri sui colebant: quod tuto
id sibi licere propterea ducerent, quia copiæ Agesilai lẽ-
te progrederentur. Tamdem die xv vel xvi, ex quo fines *Agesilai*
eorum ingressus erat, quum iam eos fiduciæ plenos *strategema.*
nihil metuere sibi Agesilaus existimaret: mane facta re
sacra, prius, quam adpeteret vespera, CLX stadiis emensis
ad eam paludem peruenit, propter quam Acarnanum
pecora fere vniuersa erant. Itaque permulta boum & e-
quorum armenta, aliaque diuersi generis pecora, atque
etiam mancipia capta sunt. Quo facto, ibidem postridie
substitit: & quæ ceperat, vendidit. Interim multi Acar-
nanum cetrati aderant, qui & telis & fundis vtebantur:
quumque castra ad montem Agesilaus haberet, detri-
menti quidem nihil Acarnanes accipiebant: Agesilai ve-
ro milites in planiciem de cacumine montis descendere

coacti sunt, licet iam cœnæ parandæ intenti essent. Posteaquam nox ingruisset, & Acarnanes discessissent: milites, constitutis excubiis, quieti se dedere. Postridie copias Agesilaus abduxit. Erat autem exitus e prato & planicie, stagnum illud ambiente, propter montes vndique circumiectos angustus: & occupatis iis, Acarnanes de superioribus locis telis ac iaculis hostes petebant, atque etiam descendentes ad montium crepidines, vrgebant eos, tantumque negotij exhibebant, vt copiæ progredi amplius non possent. Quod si maxime grauis armaturæ pedites & equites hostem inuadentem persequerentur, nullo tamen eum damno adficiebant. Nam quoties pedem referebant Acarnanes, celeriter ad munita se loca recipiebant. Itaque ratus Agesilaus,
532 militē suum hæc incommoda perpetientem per artam illam viam difficulter euasurum: statuit eos, qui magna cum manu ad læuam suos vrgebant, persequendos esse. Nam is mons tum grauis armaturæ peditibus, tum equitibus accessu facilior erat. Dum hac de caussa sacrum facit, interim Acarnanes telis ac iaculis grauiter premebant militem: atque etiam propius accedentes, multos vulnerabant. At vbi persequi suos iussit, tum vero quotquot inter grauis armaturæ milites annis x v pubertatem excesserant, cursu in hostem ferebantur: equitibus in eumdem equos agentibus, & cum ceteris Agesilao subsequēte. Mox Acarnanes qui descenderant, ac leuibus hostem prœliis tentabant, terga vertunt, atq; inter fugiendum per accliuia trucidantur. At grauis eorum armatura, magnaque cetratorum manus, supremo in monte instructa, subsistebat; ac præter alia tela, quæ iaciebant, emissis etiam hastis tum equites vulnerabant, tum quosdam equos interficiebant. Verum vbi iam iam Lacedæmoniorum grauis armatura manus cum eis consertura esset, in fugam coniecti, plus minus c c c eo die desiderarunt. Quibus ita gestis, tropæum Agesilaus excitat: ac deinceps agrum hostilem cum exercitu peragrans, passim omnia ferro ac flamma vastabat. Etiam oppidis quibusdam copias admouebat, Achæis ita cogentibus: quorum tamen nullum omnino cepit. Tamdem quum autumnus adpetiisset, hostium finibus ex-

cessit. Tum Achæi nihil ab eo gestum existimare, quod oppidum nullum vel deditione, vel vi cepisset: simul obsecrare, saltim tantisper maneret, si quidem aliud impetrare non possent, donec impediisset, quo minus Acarnanes sementem facerent. Respondebat Agesilaus, proferri ab ipsis eiusmodi, quæ minime fieri expediret. Nam æstate, inquit, proxima rursum aduersus hostes expeditionem suscipiam, qui sane quanto maiorem sementem fecerint, tanto auidius pacem expetent. His dictis, terrestre per Ætoliam iter eiusmodi fecit, cuiusmodi neque magnæ, neque paruæ hominum copiæ possint inuitis Ætolis facere. Sed illi tunc facultatem ei transeundi faciebant, quod futurum sperarent, vt ipsius opera Naupactum reciperent. Tamdem quum propter Rhium transiisset, in patriam reuersus est. Nam quo minus Calydone in Peloponesum nauigaretur, Athenienses eductis ex † Oeniadis triremibus prohibebant. Posteaquam hyems præteriisset, Agesilaus, quemadmodum facturum se receperat, statim ineunte vere copias aduersus Acarnanes colligebat. Quod quum illi comperissent, atque existimarent se, qui sita media in regione haberent oppida, perinde ab illis obsideri, qui segetem corrumperent, atque si qui castris circum vrbes positis eos oppugnarent: Lacedæmonem legatos mittunt, & pacem cum Achæis, societatem cum Lacedæmoniis ineunt. Hic rerum aduersus Acarnanes gestarum fuit exitus. Secundum hæc Lacedæmonij non satis tutum fore arbitrabantur, si a tergo relicta vrbe Argiua, Lacedæmoni finitima, quæ & ampla, & ipsis infesta esset, arma Bœotis & Atheniensibus inferrent. Quapropter aduersus Argos decretæ copiæ, quas vt sibi ducendas esse intellexit Agesipolis: posteaquam exta de felici copiarum traductione consulens perlitasset, Olympiam oraculi sciscitandi caussa profectus, Iouem interrogat: fasne sit ipsi, obletas ab Argiuis inducias non admittere, quando illi non vbi tempus ipsum postularet, sed Lacedæmoniis eos iamiam inuasuris, * impediendi belli caussas quærerent. Ei significabat Iupiter, fas esse inique oblatas inducias aspernari. Mox inde Delphos recta profectus,

† Oeniadæ oppidum Acarnaniæ ad Acheloi fl. ostia. Steph. περὶ πόλ.

533

Bellum aduersus Argiuos.

Consule Notas.

Apollinem interrogabat, an & ipsi de induciis idẽ, quod patri, videretur. Is vero prorsus in eamdem sententiam respõdit. Quapropter Agesipolis, sumtis secum Phliunte copiis, quod istic cogerentur interea, dum ipse ad vtrumque fanum proficisceretur, per Nemeam fines hostium ingressus est. Argiui quum resistere se non posse animaduerterent, more suo caduceatores duos sertis redimitos, qui inducias offerrent, mittunt. Eis respõdẽs Agesipolis, non videri Diis has inducias recte offerri: reiectis illis, fines hostium inuasit, magnamq; rerum difficultatem ac perturbationem tum in agris, tum in vrbe excitauit. Quumque die primo Argiuo in solo cœnaret, iamque libationes, quæ fieri a cœna solent, haberentur: terrã Neptunus succussit. Tum Lacedæmonij, quod iã abesse domo cœpissent, pæanem omnes, qui Neptuno solet accini, exorsi sunt hymni loco: ceteri milites discedendum arbitrabantur propterea, quod & Agis olim
534 quum mota esset terra, Elide copias abduxisset. Agesipolis autem arbitrari se dixit, Deum impediturum fuisse conatum suum, si prius mouisset terram, quam in hostium fines irruisset: nunc quia traducto in hos exercitu id accidisset, vltro Deum etiam se exhortari. Quamobrem postridie facta Neptuno re sacra, copias itinere nõ magno in agrum Argiuum duxit. Et quia recens aduersus Argiuam vrbem Agesilaus expeditionem susceperat, interrogatis Agesipolis militibus, quam prope ad muros Agesilaus suos duxisset, ac quousque ditionem hostilem vastasset: ipse, veluti quinquertio, longe in omnibus Agesilaum superare nitebatur. Aliquando de propugnaculis mœnium telis petitus, fossas, qui muros ambiunt, iterum transiit. Quodam etiam tempore, quum maxima pars Argiuorũ Laconicam ingressa esset, adeo prope ad portas accessit: vt Argiui, qui ad portas stabant, Bœotos equites ingredi vrbem volentes excluderent: veriti, ne vna cum his Lacedæmonij per portas irrumperent. Quo factum, vt equites vespertilionum instar, propter muros, sub propugnaculis hærere cogerentur: ac nisi tum forte Cretẽses quidam Naupliam excurrissent, multi tum viri, tum equi sagittis confixi fuissent. Secundum hæc quum castra non procul ab † Irctis haberet, ful-

Agesipolis terginersantibus Argiuis inducias denegat.

Agesipolidis audacia.

fulmen in ipsa castra decidit, quo nonnulli tacti, nonnulli adtoniti exspirarunt. Quo facto quum castellum quoddam munire vellet ad * Cœlossæ fauces, sacrum faciebat, hostiæque sine fibris adparuere. Quod vbi accidisset, copias abductas dimisit, magno admodum detrimento adfectis Argiuis, quippe quos nihil tale metuentes inuaserat. Ac bellum quidem hoc modo terra gerebatur. Nunc ea, quæ & mari, & maritimis in oppidis interim acciderunt, dum hæc omnia gererentur, exponam: omissisq; non magni momenti rebus, ea, quæ memoria digna sunt, scribendo complectar. Primum Pharnabazus & Cono, posteaquã nauali prœlio Lacedæmonios vicissent, classe tum insulas circumuecti, tum ad oppida maritima, præfectos Lacedæmonios eiiciebant: & spem oppidis faciebant, nullas se in eis arces exstructuros, atque etiam permissuros, vt sui iuris essent. Hæc qui audiebant, non solum delectati ea laudabant: verumetiam hospitalia Pharnabazo munera cupide mittebant. Nam monebat hunc Cono, futurum, vt id si faceret, ciuitates vniuersæ ad ipsius sese amicitiam adiungerent. Sin eas se in seruitutem redacturum præseferret, aiebat 535 ciuitatibus singulis ad exhibendum ipsi negotium satis virium fore: atque etiam periculum esse, ne Græci hoc instituto animaduerso, sese coniungerent. Itaque parebat in his Cononi Pharnabazus. quũq; descẽdisset Ephesum, triremibus ei quadraginta traditis, vt ad Sestum sibi occurreret, iussit: ipse terra suam ad ditionem profectus est. Nam Dercyllidas iam olim infestus ipsi, forte tunc apud Abydum fuerat, quum prœlio nauali decerneretur: neque ceterorum præfectorum exemplo ciuitate excesserat, sed sua eam in potestate, ac Lacedæmoniorum fide continuerat. Quippe conuocatis prius Abydenis, oratione huiusmodi eos compellarat: Est quodã modo Abydeni, qui iam ante reipublicæ nostræ amici estis, bene de Lacedæmoniis mereamini. Nam secundis rebus fidelem se declarare, magnum quiddam videri non debet: sed demonstrare constantiam suam adflictis amicorum rebus, id scilicet memoriam meretur sempiternam. Neque vero is rerum nostrarũ status est, vt quia nauali prœlio victi sumus, nihil iam simus amplius. Immo superiori et-

teichos claustra, clisura

fauces angusta locorum.

* Montis nomen. Strab.

Cononis & Pharnabazi res gestæ.

Dercyllidas Abydenos in officio continet.

iam tempore, quum maris esset imperium penes Athe-
nienses, satis respublica nostra virium habebat & ad be-
ne de amicis merendum, & ad lædendum hostes. Quan-
to certe magis oppida cetera cum fortuna se a nobis
diiunxerunt, tanto erit vestra fides illustrior. Quod si
quis est, qui ne heic terra marique obsideamur, vere-
tur: is mihi consideret velim, modo classem in mari Græ-
cam nullam esse, neque laturam Græciam, vt barba-
ri maris imperium ad se transferant. Quo fiet, vt si qui-
dem sibi opitulabitur, nobis etiam præsidio futura sit.
Hac oratione Abydeni audita, non inuite, sed percupi-
de paruerunt. Simul venientes ad se præfectos aman-
ter in oppidum admittebant, & arcessebant absentes.
Iam complures & vtiles reipublicæ homines Abydum
confluxerant, quum Dercyllidas Sestum traiicit, oppi-
dum e regione Abydi non amplius, quam VIII stadio-
rum interuallo situm, & quotquot agros in Cherrone-
so Lacedæmoniorum beneficio possidebant, quotquot
item præfecti ex Europæ oppidis eiecti fuerant, ad se
336 colligit: non nimium deiectis eos animis esse debere,
dicens: cogitandum potius ipsa in Asia, quæ ab initio
regis fuerit, & Temnum, oppidum sane haud amplum,
& Ægienses, & alia quædam oppida rempublicam su-
am administrare, regis imperio minime subiecta. At-
qui, ait, quodnam Sesto magis munitum occupare pos-
sitis oppidum? quodnam oppugnatu difficilius? tum
naues, tum pedestres copiæ necesse est adsint, si qui-
dem obsideri debeat. Ita tum illis hac oratione terro-
rem eximebat. Pharnabazus autem, posteaquam in
hoc statu Sestum & Abydum reperit: denuntiat eis, ni
Lacedæmonios eiicerent, se bellum aduersus ipsos mo-
turum. Illis non obtemperantibus, Cononi mandat,
vt ab vsu maris eos arceret: ipse Abydenorum agrum
vastat. Ea re quum nihil efficere se in subiiciendis eis
videret, domum profectus est: dato Cononi nego-
tio permouendi oppida propter Hellespontum sita;
vti ad ver proximum quammaxima classis cogeretur.
Nam quia Lacedæmoniis ob ea, quæ perpessus fue-
rat, infensus Pharnabazus erat: nihil malebat, quam
vti fines ipsorum inuaderet, seque totis viribus vlcisce-
retur.

letur. Ac hyems quidem hoc in conatu exacta fuit. Ineunte vere, magno nauium numero instructo, præterea que conducto externo milite, Pharnabazus vna cum Conone per medias insulas cum classe Melum petiit, atque inde soluentes Lacedæmonem versus nauigarunt. Primum Pheras delatus, agrum istic omnem vastabat: deinde in alia quoque maritima loca descendens, quantum poterat damni dabat. Quum autem partim oram hanc, vt importuosam, partim hostium ad ferendam suis opem concursiones, partim commeatus penuriam metueret: mox conuerso cursu discedit, seque in portum Cytheriæ Phœnicuntem recipit. Heic quum Cytherij ciues veriti, ne vi adhibita caperentur, mœnia deseruissent: illos quidem per inducias in Laconicam dimisit, ipse Cytheriorum muro refecto, Nicophebum Atheniensem præfectum, cum præsidiariis, ibidem reliquit. Quibus rebus gestis, ad Isthmum Corinthium nauigat: socios, vt alacriter bellum gerant, seque regi fidos declarent, hortatur: pecuniis, quas habebat, iisdem relictis, domum nauigat. Quumque diceret Cono, si classis vtendæ potestatem sibi faceret, velle se nauales copias ex insulis alere, domumque proficisci, ac longos muros, adlaborantibus secum Atheniensibus, vna cum Piræei mœnibus, instaurare: quo sciret accidere Lacedæmoniis grauius nihil posse: adderet etiam, eadem opera Pharnabazum gratificaturum Atheniensibus, & Lacedæmonios vlturum, illa re facta irrita, in qua plurimum hi laborassent: Pharnabazus, iis auditis, perlubenter hominem Athenas mittit, datis etiam pecuniis ad murorum instaurationem. Itaque Cono profectus Athenas, partimque remigum suorum vsus opera, partim fabris tignariis & cæmentariis stipendio numerato, aliisque necessariis sumtibus subministratis, magnam muri partem restituit. Etiam partem aliquam Athenienses ipsi, & Bœoti, & vrbes ceteræ sua sponte absoluunt. Corinthij nauibus de pecunia, quam Pharnabazus ipsis reliquerat, instructis: præfectoq; classi Agathino, in sinu, propter Achaiã & Lechęũ sito, maris imperiũ occupant.

537

Muros Athenarum instaurat Cono.

Nomē proprium. Alias Podanemum.

Contra, Lacedæmonij quoque claſſem comparant, eique* Polemarchum præficiunt: qui poſteaquam in conflictu quodam interiiſſet, ac Pollis ipſius legatus, acceptis vulneribus diſceſſiſſet: Herippidas naues haſce ſuam in poteſtatem accepit. Itidem Proænus Corinthius, acceptis ab Agathino nauibus, exceſſit Rhio, quod deinde Lacedæmonij occupant. Poſt ad claſſem Teleutias profectus, ſinus imperium recuperat. Interim comperto Lacedæmonij, Cononem ſumtu regis & muros Athenienſibus inſtaurare, & claſſem alere, qua tum inſulas, tum maritima in continente ſita oppida rurſum Athenienſibus adiungat: exiſtimabant ſe, ſi ea de re Teribazum ducem regis monuiſſent, vel ſuas hunc in partes traducturos, vel effecturos, vt Cononis ille claſſem amplius haud aleret. Itaque decreto in hanc ſententiam facto, Antalcidam ad Teribazum mittunt: qui & hæc doceret hominem, & operam daret, vt pacem inter rempublicam ipſorum, ac regem, faceret. Id quum Athenienſes perſentiſcerent, & ipſi legatos vna cum Conone mittunt, Hermogenem, Dionem, Calliſthenem, Callimedontem: quibus vt ſocij ſuos adiungerent,

Antalcidas ad Teribazum mittitur.

538 petunt. Itaque miſſi ſunt etiam a Bœotis, & Corinthiis, & Argiuis legati. Poſteaquam ad Teribazum peruentum eſſet. Antalcidas adeſſe ſe dixit, vt a rege pacem reipublicæ ſuæ peteret, eamque talem, cuiuſmodi rex cuperet. Nam Lacedæmonios nec de ſitis in Aſia Græci nominis oppidis aduerſus regem contendere, & ſatis eſſe ducere, ſi omnes inſulæ, ac reliquæ vrbes libertate legibuſque ſuis fruantur. Quare quum eiuſmodi, ait, voluntas noſtra ſit: quid cauſſæ ſuperat, quamobrem poſthac aduerſum nos vel Græci, vel rex bellum gerat, ſumtumque faciat? Nec enim fieri poterit, vt vel Athenienſes, ſi nos eis duces non fuerimus: vel nos, libertate ciuitatibus reſtituta, regi arma inferamus. Hanc Antalcidæ orationem quum Teribazus audiiſſet, mirifice probabat: aduerſariis autē hæc nihil aliud erant, quam verba. Verebantur enim Athenienſes in ciuitatum inſularumque libertatem conſentire, ne Lemnum, Imbrum, Scirum amitterent: itidemque Thebani, ne oppida Bœotica dimittere cogerentur, vt libera ſuique iuris

Improbũ Antalcidæ ac Lacedæmoniorum facinus.

ris ea fierent: Argiui deniq; si pactiones huiusmodi fœderaque fierent, Corinthum se perinde, atque Argos, retinere sua in potestate non posse arbitrabantur, quod tamen magnopere cupiebant. Quamobrem hac pace non admissa, domū singuli rediere. Teribazus autem, quamq̄ absq; regis auctoritate se Lacedæmoniis adiungere non tutum existimabat: nihilominus clam pecunias Antalcidæ dabat, vt classe a Lacedæmoniis instaurata, tum Athenienses, tum eorum socij propensiores ad pacem essent. Cononem etiam; quasi aduersus regem iniurius esset, ac verum Lacedæmonij dicerent, in vincula coniecit. Atq; hæc vbi fecisset, proficiscitur ad regem, indicaturus Lacedæmoniorum postulata, & quod Cononem improbe agentem comprehendisset: simul etiam sciscitaturus, quid de his omnibus esset statuendum. Rex, posteaquam sursum Teribazus ad ipsum venisset, Strutham in Asiam inferiorem ablegat, qui res maritimas curaret. Is vehementer Atheniensibus, eorumq; sociis addictus erat: quum memoria teneret, quantū ab Agesilao detrimenti ditio regis accepisset. Lacedæmonij animaduerso, Strutham infesto erga se esse animo, in Athenienses autem amico: Thimbronem mittūt, qui bellum ei faceret. Is quum in Asiam traiecisset, cum copiis Epheso, ac sitis in planicie Mæandri oppidis, Priene, Leucophrye, Achilleo mouens, regis agrum populando vexabat: Post aliquod temporis interuallum, quū animaduertisset Struthas, Thimbronem incondite contemtimque suos educere, mittit in planiciem equites, quos excursione facta, quidquid facere prædæ poterant, abigere iubet. Forte Thimbro id temporis iam pransus Thersandri tibicinis contubernio vtebatur, qui non modo tibicen insignis erat: verumetiam strenuitaten ac robur quoddam, vt qui Laconicis institutis gauderet, sibi vindicabat. Struthas vbi primos nec multos numero, & incondite suis opem ferentes videt: cum magnis equitum, instructisq; copiis, in eos irruit, ac primos omnium Thimbronem & Thersandrum interficit: qui posteaquam cecidissent, etiam reliquos terga dare cogunt, atq; inter persequendum magnam eorum multitudinem interimunt. Nonnulli amica in oppida salui peruenerūt, pars maior a ter-

Struthas Atheniensibus fauet.

559

Thimbro mittitur aduersus Strutham.

Thimbro interficitur.

go mansit: quia sero, suppetias esse ferendas, animaduersum fuit. Nam sæpenumero, atque etiam tunc, non monitis militibus, opem suis latum excurrebat. Atque hæc tum sic accidere. Venerunt id temporis Lacedæmonem Rhodij quidam, a populo in exilium acti, qui monebãt: indignum esse committere, vt Rhodum Athenienses occuparent, tantamq; sibi potentiã adiungerent. Quãobrem Lacedæmonij, qui intelligerent, Rhodum vniuersam Atheniensium fore, si summa rerum penes populum esset: sin vero penes opulentiores, suam: octo naues instruunt, eisque nauarchum Ecdicum præficiunt. Iisdem in nauibus miserunt & Diphridam, iussum in Asiam traiicere, oppidaque in fide cõtinere, quæ Thimbronem admiserant: atque etiam collectis tum illis copiis, quæ incolumes euaserant e clade, tum aliis, quascumque posset, bellum aduersus Strutham gerere. Parebat in his Diphridas, ac inter alia, quæ prospere gessit, etiam Tigranem, quocum erat Struthæ nupta filia, Sardes proficiscentem, vna cum vxore cepit, magnaque pecuniæ vi accepta dimisit. Quamobrem statim hac occasione nanctus est, vnde militi stipendium numeraret. Erat autem vir hic, quam Thimbro, non minus acceptus, & imperator longe ordinis obseruantior ac sollertior. Nec enim vinci se corporis a voluptatibus patiebatur, sed perpetuo id operis agebat, ad quod se accinxerat. Ecdicus autem, posteaquam cum classe Cnidum adpulisset, populumque Rhodiensem summa rerum terra marique potitum accepisset, atque adeo duplo maiori classe, quam esset ea, cui ipse præerat, mare tenere: Cnidi se continebat. Inde quum intellexissent Lacedæmonij, non satis eum habere virium ad commodandum amicorum rebus: Teleutiæ mandant, vt cum duodecim illis nauibus, quas insito ad Achaiam Lechæumque sinu habuerat, ad Ecdicum se conferret, ac illo dimisso, iis operam daret, qui vti Lacedæmoniorum amicitia vellet: hostes vero quacumque ratione posset, damnis adficeret. Posteaquam in Samum Teleutias venit, adiunctis indidem sibi nauibus aliquot, Cnidum petit. Inde domum Ecdicus, Teleutias in Rhodum nauigat: septem ac viginti iam nauibus instructus. Inter nauigandum forte

Diphridas aduersus Strutham mittitur.

Diphridæ encomiũ.

540

forte in Philocratem Ephialtæ filium incidit, qui Athenis cum nauibus decem in Cyprum, ad ferendum Euagoræ subsidium, proficiscebatur. Has omnes intercepit Teleutias, & in hoc sane quiddam accidit, quod rebus vtriusque partis maxime aduersaretur. Nam Athenienses, qui cum rege colebant amicitiam, subsidia mittebant Euagoræ, bellum aduersus regem gerenti: Teleutias autem, tametsi bellum regi Lacedæmonij facerent, eos tamen, qui ad inferendum arma regi nauigabant, e medio sustulit. Quumque Cnidum inde repetiuisset, manubiis diuenditis, in Rhodum profectus, suppetias illis ferebat, qui Lacedæmoniorum partes sequebantur. Heic Athenienses, qui Lacedæmonios iterum quamdam in mari potentiam nanctos putarent, mittunt aduersus eos Thrasybulum † Styrensem cum XL nauibus. Is posteaquam Athenis soluisset, a Rhodiensi nauigatione abstinuit, quod partim existimaret, se non facile de amicis Lacedæmoniorum pœnas sumturum, qui munitione se defenderent, ac Teleutiam cum auxiliaribus copiis præsentem haberent: partim ne suarum quidem partium homines in hostium potestatem venturos, qui & oppida tenerent, & multitudine superiores essent, & prœlio aduersarios vicissent. Itaque in Hellespontum quum nauigasset, ac neminem istic hostem reperisset: effecturum se quiddam, quod ex vsu reipublicæ foret, arbitratus est. Primum vbi comperisset, Amadocum regem Odrysarum, & Seuthen, qui maritimam oram Thraciæ cum imperio tenebat, bellum inter se gerere: mutuo eos inter se reconciliat, & vtrumque fœdere societateque Atheniensibus adiungit. Existimabat enim, illa quoque Græci nominis oppida, quæ sub ipsa Thracia respublicas suas administrarent, magis Atheniensibus adhæsura, si amicitia inter hos reges & Athenienses intercederet. His ita præclare compositis, quum Asiaticis etiam vrbibus amicis vteretur ob eam, qua rex & Athenienses coniuncti erant, amicitiã: Byzantium nauigat, ac decumam e Ponto nauigantibus impositam, publicanis vendit. Simul rempublicam Byzantiorum, paucorum dominatu liberatam, populo administrandam tradit. Quæ res effecit, vt populus By-

Euagoras rex Cypri bellum gerit aduersus Persas.

† al. Tyriensem.

Thrasybuli res gestæ.

541

zantinus haud grauate maximam Athenienſium multitudinem in vrbe ſua cerneret. His rebus confectis, atque etiam pellectis in amicitiam Chalcedonenſibus; extra Helleſpontum diſcedit. Quumque oppida in Lesbo vniuerſa, ſolis Mitylenæis exceptis, Lacedæmoniorum partibus addicta reperiſſet: nullum adgreſſus eſt prius, quam apud Mitylenem de nauibus ſuis quadringentos, & exſules qui ceteris ex oppidis eo ſe receperant, in ordines deſcripſiſſet, eiſque robuſtiſſimum quemque Mitylenæorum adiunxiſſet: facta omnibus ſpe, Mitylenæis quidem, futurum, vt ſi oppida reliqua caperet, ipſi Lesbo vniuerſæ præeſſent; exſulibus autem, ſi coniuncti ſecum oppida ſingula adorirentur, facultatem recuperandæ, patriæ conſequuturos omnes: claſſiariis denique militibus, ſi Lesbum amicam patriæ reddidiſſent magnā ipſis facultatum copiam paratam fore. Hac igitur omnibus ſpe recreatis, inſtructiſque copiis, Methymnam ducit. Eius aduentu cognito Therimachus, quem forte tunc Lacedæmonij præfectum in vrbe habebant, vna cum ſuo milite claſſiario, & Methymnenſibus, & Mitylenæis exſulibus ad Methymnenſis agri fines occurrit. Collata manu, Therimachus iſtic interimitur: ex ceteris, fuga ſibi conſulentibus, multi cadunt. Secundum id partim oppida deditione capit, partim ex illorum agris, quæ ſe non dedebant, abacta præda, de qua militi ſtipendium ſuppeditaretur: Rhodum inde ſe conferre properat, atque vt iſtic etiam militis animos maxime confirmaret, quum ab aliis pecunias exigit, tum etiam Aſpendum profectus, Eurymedontem amnem na-
542 uibus ſubit. Iam pecunias ab Aſpendiis acceperat, quum militibus per iniuriam aliquid ex agris abigentibus, irati Aſpendij noctu irruunt, eumq; ſuo in tētorio obtruncāt. Hic Thraſybuli, maxima virtute viri exitus fuit. Eius in locū Athenienſes Argyrium ſurrogatū ad claſſem mittūt. Interea cognito Lacedæmonij, venditā ab Atheniēſibus eſſe rerum e Pōto vectarum decumam Byzantij, & Chalcedonem ab eis teneri, ceterorumque oppidū Helleſponticorum ſtatum non incommodum eſſe, quod amico Pharnabazo vterentur: minime illa ſibi negligenda cenſebant. Quamquam vero Dercyllidæ cur ſuccen-
ſerent,

ferent, caussa nulla esset: Anaxibius tamen Ephororum amicitia sibi conciliata, perficit: vt ipse Abydum nauigaret, & eius oppidi præfectus esset. Quod si preterea sumptus, nauesque darent, etiam ita se bello Athenienses oppugnaturum policetur: vt omnino res ipsorum in Hellesponto sit turbari necesse. Quamobrem Lacedæmonij tribus ei triremibus, & pro CIƆ conductitiis militibus stipendio dato, hominem ablegant. Anaxibius posteaquam Abydum venisset, primum terra coactis conductitiis copiis, quædam ex Aeolicis oppidis a Pharnabazi fide auellebat, †quumq; is vna cum vrbibus aliis Abydo copias admouisset: Anaxibius vicissim eis arma inferebat, & cum suis progressus agrum ipsorum vastabat. Deinde præter eas naues, ex Abydo tres alias instruens, si quod vel Atheniensium, vel eisdem societate coniūctorum nauigium caperet, id secum abducebat. Quibus rebus Athenienses cognitis, veriti ne labefactarentur ea, quæ Thrasybulus in Hellesponto effecerat; Iphicratem cum VIII nauibus & cetratis CIƆ CC, quorum magna pars erant ij, quibus ad vrbem Corinthum præfuerat, aduersus Anaxibium mittunt. Nam Argiui postea, quam Corinthum in Argos redegerant, nihil egere se ipsorum opera dixerant. Quosdam enim rebus Argiuorum fauentes Iphicrates e medio sustulerat. Itaque domum reuersus, in patria se continebat. Quamprimum in Cherronesum venit, dimissis hinc inde prædonibus, per eos bellum inter se Anaxibius & Iphicrates gerebant. Post aliquod deinde temporis interuallum, quum animaduertisset Iphicrates, Antandrum cum copiis conductitiis, Laconicis, & CC Abydenis grauis armaturæ peditibus profectum esse Anaxibium, audiissetque Antandrum eius se amicitiæ adiunxisse: suspicatus ipsum, imposito istic præsidio, reuersurum, Abydenosque domum reducturum, noctu ea parte transiens, quæ †Abydenorum in agro solitudines inprimis habebat, conscensis montibus insidias locat. Triremes vero, quæ ipsum transuexerant, diluculo secundum Cherronesum litus sursum versus legere iubet: vt pro more suo pecuniæ colligendæ caussa videretur eo nauigasse. Quum hæc ita instituisset, minime spe sua falsus est. Nam quum Anaxibius illo

Anaxibius Abydum mittitur.

† Consule Notas.

Iphicrates in Hellespontum cum copijs mittitur.

543

† Lectio marginis.

Iphicrates insidias locat.

die non perlitasset, vti quidem ferebatur, nihilominus ea re spreta discessit Antandro: ac partim quod per agrū pacatum ad vrbem sociam pergeret, partim quod audiisset ex iis, quos habebat obuios, Iphicratem Prœconesum versus nauigasse, negligentius iter faciebat. Neq; tamen Iphicrates, quam diu loco æquabili erant Anaxibij copiæ, de insidiis se proripuit: sed posteaquam Abydeni, qui erant prima in fronte, ad eum campum peruenerant, qui est iuxta Cremastem, vbi & fodinas auri habent, reliquæ vero copiæ per decliuia subsequerentur, ac iam Anaxibius ipse cum Laconicis militibus descenderet: tum prorumpere suos ex insidiis iubet, & ipse cursu in Anaxibium pergit. Ille quum animaduertisset, nullam salutis spem reliquam esse, quod arto loco suos in longum extensos esse cerneret, ac fieri non posse duceret, vt qui iam transierant, sibi per accliuia suppetias ferrent, perterritos denique videret vniuersos, conspectis insidiis: eos, qui aderant ipsi, compellans: Me quidem, inquit, heic decet occumbere, milites. Vos prius, quam manum cum hoste conseratis, saluti vestræ properanter consulite. Quæ vbi dixisset, accepto a satellite scuto, ibidem pugnans cadit. Nec is deseruit ipsum, quem in amoribus habuerat: & præfecti vrbium Lacedæmonij, qui ad eum se contulerant, numero plus minus duodecim, vna cum eo pugnantes occubuerunt. Ceteri inter fugiendum cæsi sunt, hostibus eos ad vrbem vsque persequentibus. Ceciderunt ex aliorum quidem numero ducenti, Abydeni vero grauis armaturæ pedites fere quinquaginta. Ea re gesta, rursus in Cherronesum Iphicrates se contulit.

XENOPHONTIS HISTORIARVM GRÆCARVM LIBER V.

ARGVMENTVM.

1. *Eteonicus Æginetas in Athenienses concitat. 2. Militum erga Teleutiam studia. studiorum caussæ. 3. Athenienses, qui in opere munito se continebant, quomodo grauem obsidionem soluerint. 4. Antalcidas Laconicæ classis prætor. 5. Gorgopæ stratagema, quo hostes fefellit. 6. Chabriæ stratagema. 7. Teleutias iterum Laconicæ classis prætor a Lacedæmonijs creatur. 8. Eius consilia, conatus, res gestæ, felix earum successus. 9. Antalcidæ stratagema, quo suos imminenti periculo liberauit, hostes perterrefecit, eorumque naues in suam potestatem redegit. 10. Caussæ cur Græci pacis condiciones ab Antalcida propositas acceperint. 11. Pacis Antalcideæ formula. 12. Agesilai aduersus Thebanos odium. 13. Agesilaus pacis exsequutor. 14. Lacedæmonij Mantineos opprimere cur cuperent. 15. Agesilaus cur bellum ipse Mantineis inferre noluerit. 16. Agesipolis Mantineam qua ratione occupare nitatur. 17. Quibus condicionibus Mantinei deditionem fecerint. 18. Phliasij suos exsules quibus condicionibus in patriam reuocarint. Caussæ. 19. Phæbidas Lacedæmonius arcem Thebanam quando, quomodo, cur occuparit. 20. Agesilaus Phæbidæ patrocinatur. 21. Ismenias in iudicio damnatur, & capitali supplicio afficitur. 22. Teleutias aduersus Olynthios mittitur. 23. Præclara Derdæ facinora. 24. Teleutias propter intempestiuam iracundiam grauiter peccat in suam, & suorum perniciem. 25. Altera Lacedæmoniorum aduersus Olynthios expeditio. 26. Phliasiorum insolentia. 27. Agesilai aduersus Phliasios expeditio. 28. Agesilai sollertia in rebus peragendis. 29. Eiusdem insignis humanitas. 30. Quæ post Agesipolidis Regis, aduersarij, mortem apparuit. 31. Delphionis cuiusdam audacia. 32. Agesi-*

laus Phliuntem quomodo in suam potestatem redegerit. 33. Pacis cum Olynthijs factæ condiciones. 34. Lacedæmoniorum potentia quando primum, & quomodo debilitari cœperit. 35. Phyllidæ facinus insigne, quo Lacedæmonij Polemarchi interfecti, qui Thebanorum arcem præter iusiurandum occupatam tenebant, ac tyrannicum imperium in Thebanos exercebant. Tempus, modus. 36. Leontiades vbi, quãdo, quomodo, cur, & a quibus occisus. 37. Athenienses opẽ Thebanis ferũt. 38. Arx Cadmea recipitur. 39. Thebanorũ insignis crudelitas. 40. Agesilao militiã detrectante, Cleombrotus aduersus Thebanos mittitur. 41. Atheniẽses a Thebanis aduersus Lacedæmonios qua ratione concitati fuerint. 42. Sphodriæ auaritia, & conatus irritus. 43. Sphodriam filius quomodo iudicij periculo liberarit. 44. Archidamus pro Cleonymo verecunde deprecatur. 45. Sphodriam Agesilaus excusat. 46. Cleonymus se Archidamo gratum prabet. 47. Agesilaus aduersus Thebanos mittitur. 48. Phœbidas dum Thebanos latrocinijs vexat, ab ipsis interficitur. 49. Thebanorum res prospera. 50. Agesilai stratagemata. 51. Agesilaus Thespienses inter se reconciliat. 52. Thebani fame premuntur. 53. Alcetas quosdam Thebanos capit. 54. Alcetæ negligentia maximi mali caussa. 55. Cleombrotus aduersus Thebanos frustra proficiscitur. 56. Lacedæmonij nouam classem parant. 57. Athenienses Pollim nauali prælio superant. 58. Timothei, Atheniensium ducis encomium.

544 *Eteonicus Æginetas in Athenienses concitat.*



HOc tum in statu res Atheniensium ac Lacedæmoniorum apud Hellespontũ erant. Interim Eteonicus agens in Aegina, quum superioribus temporibus inter Aeginetas & Athenienses commercia intercessissent, coorto palam maritimo bello, potestatem eis facit, Ephoris etiam cõsentientibus, vt pro libitu quisque prædas ageret ex Attica. Quamobrem oppugnati ab Aeginetis Atheniẽses, armatura graui duce Pamphilo in Aeginam missa, muro Aeginetas cingunt, eosq; e terra, & mari decem triremibus obsident. Hac obsidionis fama Teleutias ad se dela-

delata, qui tum forte quasdam ad insulas pecuniæ cogēdæ caussa nauigarat: opem Aeginetis laturus properat, & hostium classem abigit, Pamphilo factum ad obsidionem opus defendente. Interea missus a Lacedæmoniis præfectus classis Hierax aduenit, & classem accipit, Teleutia felicissime in patriā redeunte. Nā quum domum tendēs ad mare descenderet, nemo militū erat, qui dextram eius non prehenderet. Alius eum serto redimibat, alius vitta: quod si qui tardius accessissent, nihilominus etiam tunc, quum in altum proueheretur, in mare corollas abiiciebant, ac simul ei multa, eaque fausta precabantur. Nec ignoro equidem, in his a me neque memorabiles sumtus factos, neque suscepta pericula, neq; molitionem alicuius rei memoratu dignā exponi. Sed profecto id homini consideratu dignum esse arbitror, quā re Teleutias effecerit, vt tales in ipsum essent illorum animi, quibus cum imperio præerat. Nam hoc tale viri opus, quod multis & opibus & periculis anteferri commemorando longissime debet. Ceterum Hierax naues alias secum sumens in Rhodum nauigabat, duodecim tantum triremes in Aegina, præfecto eis Gorgopa legato suo, reliquit. Iam vero magis obsidebantur Atheniēses, qui opere se munito continebant, quam hostes ipsorum in oppido. Quo factum, vt Athenienses ex decreto publico multis nauibus instructis, mense quinto milites oppidum obsidentes domum abducerent. Quod vbi accidisset, rursum Athenienses a prædonibus & Gorgopa vexabantur. Itaque naues aduersus hos XIII naualibus copiis complent, eisque cum imperio præficiunt Eunomum. Interea dum in Rhodo esset Hierax, Antalcidam præfectum classis Lacedæmonij domo proficisci iubent, quod in eo se rem Teribazo maxime gratam facturos existimarent. Antalcidas posteaquam in Aeginam venisset, sumtis secum Gorgopæ nauibus, Ephesum contendit: mox Gorgopam cum † x nauibus in Aeginā remittit, ceteris legatum suum Nicolochum præficit. Is Abydenis latum suppetias, Abydum se contulit. In itinere deflectens ad Tenedum vastato Tenediorum agro, & accepta pecunia, inde Abydum nauigat. Interim duces Atheniensiū e Samothrace, Thaso, vicinis locis, opem

Militum erga Teleutiam studia

545

Obsidionē Atheniēses soluūt.

Antalcidas præfectus classis.

† al. xii.

Tenediis latum properabant. Verum vbi certiores facti eſſent, Nicolochum ſe Abydum recepiſſe: profecti ex Cherroneſo cum triginta duabus nauibus, ipſum xxv naues habẽtem obſident. Gorgopas interea, dum Epheſo in Æginam nauigaret, forte in Eunomum incidit: ac tum quidem in Æginam ſe paullum ante ſolis occaſum fuga recepit, eductiſque mox ſuis, cœnare militem iubet. Eunomus parumper ibi quum ſubſtitiſſet, diſceſſit. Vbi vero nox ingruiſſet, lumen ipſe accenſum habẽs, pro more præcedebat: ne ſequentes eum naues aberrarent. Tum Gorgopas ſuis naues ingredi iuſſis, mox aliquo ex interuallo, ne conſpici poſſet, vel hoſtibus vllum indicium ſui præberet, qua fax lucebat, ſubſequebatur: ſimul & lapidum ſtrepitu vocis loco nautarum incitatores, & remorum impulſu leni vtebantur. Poſteaquam Eunomi naues haud procul abeſſent a terra propter Zoſterem Atticæ, Gorgopas ſuos cum tubæ clangore iubet hoſtem adoriri. Iam Eunomi copiæ partim nauibus egreſſæ fuerant partim in portum ſe conferebant, par-

Gorgopæ strategema.

346 tim denique adhuc ad terram nauigabant. Commiſſo nauali ad lunam prœlio, quatuor triremes Gorgopas capit: iiſque religatis ad ſuas, in Aeginam reuertitur. Ceteræ naues Athenienſium fuga ſe in Piræeum receperunt. Secundum hæc in Cyprum Chabrias Euagoræ laturus opem cum octingentis cetratis, ac decem triremibus nauigat. Quumque ſecum Athenis & naues alias, & grauis armaturæ pedites ſumſiſſet, ac noctu in Aeginam deſcendiſſet: vna cum cetratis loco concauo vltra fanum Herculis in inſidiis ſe abdit. Prima luce, quemadmodum conuenerat, grauis Athenienſium armatura duce Demæneto aderat, vltraque fanum Herculis ad ſtadia xvi adſcendit, quem locum Tripyrgiam, tribus a turribus, vocant. Ea de re Gorgopas certior factus, vna cum Aeginetis, & milite claſſiario, & Spartanis octo, qui forte tum iſtic aderant, ad coercendos hoſtes properat. Præterea per præconem denuntiari iubet, vt e copiis naualibus, quotquot eſſent ingenui, ſuppetias ferrent. Quo factum, vt multi ex his adcurrerent, inſtructi armorum genere, quodcumque ad manum eſſet. Poſteaquam primi locum inſidiarum præteriiſ-

Chabriæ strategema.

ſent,

sent, surrexere Chabriæ milites: statimque iacula in hostem, ac tela vibrabant. Iam & grauis armaturæ pedites irruebant, qui e nauibus in terram descenderant. Itaque primi celeriter interempti sunt, quod copiæ numerosæ non essent. In iis & Gorgopas, & Lacedæmonij periere. Posteaquam hi occubuissent, ceteri fugam arripiunt. Interfecti ex Aeginetis CL, conductitij milites, inquilini, nautę, qui de nauibus adcurrerant, non pauciores CC. Ex eo tempore non aliter ac si pax esset, mari Athenienses vtebantur. Nam parere nolebant Eteonico nautæ, quantumuis eos vrgeret, vt naues ingrederentur, quia stipendium non numerabat. Secundum hæc rursus eo Lacedæmonij Teleutiam mittunt, vt classis illius præfectus esset. Quem vbi venientem videre milites, mirifice sunt exhilarati. Conuocatis omnibus, huiusmodi orationem habuit: Equidem, milites, nullas mecum pecunias adfero: verum si Deo visum erit, ac vos alacriter operam mihi dabitis, enitar maximam vobis parare necessariorum copiam. Hoc equidē optare me, scitote, vt quamdiu vobis pręero, nō minus meipso victum habeatis. Ac mirabimini fortasse, si dicam etiam me malle, vt a necessariis vos potius instructi sitis, quam ego. At- 547
qui Deos testor, lubentius me passurum, vt biduum ipse cibo caream, quam vos diem vnum. Patuit ante hac ianua mea cuiuis a me quiddam petenti, ac nunc quoque patet. Quapropter vbi vobis abunde necessaria suppetent, tum me quoque videbitis victitantem largius. At si me frigora, calores, vigilias perferentem adspicitis: etiam vobis hæc omnia toleranda putate. Nam nihil horum idcirco vos facere iubeo, vt cum molestiis conflictemini: sed vt ex his aliquid emolumenti capiatis. Etenim patriam quoque nostram, milites, quatenus esse beata videtur, scitote non per secordiam hæc bona, atque hæc decora consecutam esse: sed perferendi labores, obeundique pericula studio, quoties necessitas posceret. Vos quoque viros antehac fortes fuisse scio, sed nunc opera danda erit, vt virtutem etiam pristinā superetis: quo fiet, vt & iucunde labores vna obituri simus, & communi felicitate fruituri. Quid enim iucundius esse possit, quā si hominum nemini, neq; Græ-

» co, neque barbaro, ſtipendij nomine adulemur: ſed ad
» paranda neceſſaria ſatis ipſi virium habeamus, & quidē
» inde, vnde hæc peti honeſtum inprimis eſt? Nam belli
» tempore hoſtibus ademta rerum copia, mihi credite, nō
» ſolum alimenta: ſed inſignem quoque famam inter o-
» mnes homines ſuppeditat. Hæc quum Teleutias dixiſ-
ſet, clamare vniuerſi, quidquid vellet, mandaret: ſe para-
tos eſſe ad faciundum imperata. Forte iam rem ſacram
fecerat, quum eos compellans: Agite, inquit, cœnam ſu-
mite milites, quam ceteroqui ſumturi eratis: atque etiā
cibi tantum comparate, quantum in diem vnum ſuffi-
ciat. Deinde mox ad naues prȩſto ſitis, vt quo Deo viſum
fuerit, nauigemus: atque in tempore veniamus. Vbi iam
adeſſent, naues eos conſcendere iubet, ac noctu portum
Athenienſium petit: nonnumquam interquieſcens, ſuis
ſomno ſe recreare iuſſis, nōnumquam remigio propius
accedens. Quod ſi quis eum feciſſe putat imprudenter,
qui XII triremibus illos adortus ſit, qui magnam nauiū
copiam poſſidebāt: is velim ratiocinationem ipſius con-
ſideret. Exiſtimabat Athenienſes, interempto Gorgopa,
claſſem in portu ſuam negligentius cuſtodire. Quod ſi
etiam maxime triremes quædam in ſtatione diſpoſitæ
eſſent, arbitrabatur pergi tutius aduerſus naues XX, quæ
Athenis eſſent: quam aduerſus decem alibi. Nam in na-
uibus ſingulis, quæ abeſſent domo, ſciebat cubaturos
548 nautas: de iis vero, quæ Athenis eſſent, ſtatuebat, præfe-
ctos earum domi ſuæ ſomnum capturos, nautas alios a-
libi hoſpitium habituros. Hæc ratiocinatus ſecum Te-
leutias, nauigationem eam inſtituit. Ceterum vbi iam
quinque vel ſex ſtadiis aberat a portu, inhibito curſu nō-
nihil interquieuit. Prima luce recta in portū, ſubſequen-
tibus ſuis, ducit. Ac nauium quidem †teretem vllam a ſuis
demergi non ſinebat, neque corrumpi: at ſi alicubi trire-
mem in ſtatione viderent, eam ad nauigādum ineptam
reddi volebat. Oneraria, mercibuſque referta nauigia
religari ad naues ſuas, & abduci iubebat: itidem in ma-
iora ſuos inuadere, ac vbicumque poſſent, homines cō-
prehendere. Nonnulli exſtitere, qui in* Digma deſili-
rent, & mercatores ac nauicularios quoſdam correptos
ſuas in naues comportarent. Iam perfecerat hæc Teleu-
tias,

Teleutias magnum quiddam molitur.

†Sic adpellantur onerariæ, quia bellica longiores sunt. Interp. Thucyd.

** Locus in Piraeo, vbi ſpecimina mercium exhi-*

tias, quum Athenienses alij tumultu in vrbe audito, extra vrbem currebant, vt quinam is clamor esset, viderēt: qui extra vrbem erant, partim domum ad arma properabant, partim in vrbem, vt rē suis nuntiarent. Tandē vniuersi tum grauis armaturæ milites, tum equites ad ferendum suppetias concurrebant, quasi captus esset Piræeus. Interim nauigia Teleutias in Aeginam mittit, & cum eis tres vel quatuor abduci triremes iubet: ceteris suis cum nauibus Atticæ litus legens, quia nauigabat ex ipso portu, multa cepit nauigia piscatoria, multa quibus homines ex insulis traiiciebant, eaque vectoribus plena. Posteaquam Sunium quoque venisset, onerarias partim frumento, partim mercibus refertas intercepit. Quibus iam rebus gestis, Aeginam versus nauigat: distractisq; manubiis, stipendiū mēstruum militib. necdū debitum numerat. Itidē ex eo tempore circumuectus, quidquid poterat diripiebat. Ea ratione tum naues milite plenas alebat, tum milites ipsos ad faciundum imperata lubenter ac celeriter, paratos habebat. Interim cum Teribazo ex Asia rediit Antalcidas, impetrata regis societate, si quidem Athenienses, eorumque socij pacem, quam ipse proposuisset, aspernarentur. Quum autem obsideri Nicolochum, vna cum nauibus, ab Iphicrate ac Diotimo Abydi accepisset: itinere terrestri se Abydum contulit. Inde accepta classe, noctu in altum prouehitur: rumore didito, quasi Chalcedonenses eum arcesserent. Percopes autem portum ingressus, quiescebat. Hac de re Dimænetus, Dionysius, Leontichus, Phanias certiores facti: qua in Prœconesum nauigatur, eum persequi statuunt. Eis iam præteruectis, Antalcidas itinere conuerso Abydum rediit. Inaudierat enim, Polyxenum aduentare, secum Syracusanas & Italicas naues xx adducentem, quas coniungere cum suis cogitabat. Secundum hæc Thrasybulus Colyttensis cum nauib. viii, relicta Thracia, ceteris se nauibus Atticis coniungere volebat. Eas vbi propius accedere de speculatoribus Antalcidas accepisset, nautis quibusdam in naues xii expeditissimas impositis, ac si qui desiderarentur, eorum numero expleri iusso de nauibus, quæ istic relinquebantur: quam occultissime poterat, insidias locat. Quum iam

bebantur. Interp. Aristob.

545

Antalcidæ strategema.

præterueherentur, persequi incipit. Illi vero, conspectis hisce, fugam arripiunt. Iam tardissime nauigantes, suis nauibus expeditissimis celeriter admodum adsequutus erat: quum suis in prima fronte denuntiat, ne in postremas irruerent: simul ipse precedentes persequitur. Quas vbi cepisset, ac iam postremi etiam primos ex suis captos viderent: præ deiectione animi, etiam a tardioribus occupabantur. Ita factum, vt vniuersæ hostium in potestatem venirent. Ceterum posteaquam ad Antalcidam naues Syracusanæ xx venissent, & aliæ ab Ionia, quæ Teribazo parebat, aliæ ab ea, cui Ariobarzanes præerat: (& erat iam olim Antalcidas Ariobarzanis hospes: Pharnabazus quidem arcessitus ad regem, in Asiam perrexerat, vbi hoc ipso tempore filiam regis vxorem duxit) tum igitur Antalcidas, classe nauium LXXX numerum excedēte, maris imperium obtinebat. Atque adeo prohibebat iam, quo minus naues e Ponto Athenas proficiscerentur, easq; suos ad socios subducebat.

Caussa quamobrē Antalcidea pax a Græcis accepta.

Quapropter Athenienses, qui magnam esse classem hostium viderent, ac ne nunc quoque perinde, vt prius, bello frangerentur, metuerent: posteaquam rex Lacedæmoniis belli socius factus esset, atque etiam ex Ægina tantum non a prædonibus obsiderentur: ob hasce caussas omnes, pacem vehementer expetebant. Itidem Lacedæmonij, quibus esset necesse cohortis vnius præsidio Lechæum tenere, alterius Orchomenum: itemque copiis vrbes munire, ne vel ipsis perirent eæ, quibus fidebant, vel deficerent
550 aliæ, quibus diffidebant: qui denique apud Corinthum ab aliis vexarentur, ac vicissim alios infestarent: & ipsi bellum geri, permoleste ferebant. Argiui autem, qui copias aduersus se decretas scirent, & animaduerterent caussas, quas prætexere consueuissent, nihil eis amplius profuturas: itidem pacis cupidi erant. Quo factum, vt vbi adesse Teribazus eos iussisset, qui pacis ex Asia superiori missæ a rege formulæ obœdire vellent: mox vniuersi conuenirent.

Formula pacis Antalcideæ.

Itaque præsentibus ipsis Teribazus regiis signis commonstratis, quæ a rege perscripta essent, legit. Eorum hæc erat sententia: Rex Artaxerxes æquum esse censet, vt vrbes in Asia sitæ, vna cum insulis Clazomeniis, & Cypro, sibi pareant. cetera Græci nomi-

nominis oppida, parua, magna, sui iuris sunto. Lemnus, "
Imbrus, Scirus excipiuntor: quas, vt olim, ita nunc etiam "
Athenienses obtinento. Hanc pacem quicumque reie- "
cerint, iis equidem bellum, vna cum adprobatibus eam, "
mari, terra, pecunia, classe inferam. Hæc quum vrbium "
legati audirent, singuli de iis ad suas respublicas referebant. Tamdem iusiurandum præstiterunt omnes, rata se hæc habituros: tantum Thebani Bæotorum omnium nomine præstare iusiurandum volebant. Id vero negabat accipiendum Agesilaus, nisi iurarent ex sententia regiarum litterarum: oppida parua, magna, sui iuris fore. Ad ea Thebanorum legati respondebant, sibi nihil eiusmodi mandatum esse. Abite igitur, subiecit Agesilaus, ac de hoc vestros consulite, simul eis hoc quoque renuntiate, ni pareant, fœderis in societate nequaquam futuros. Discedentibus illis, Agesilaus ob eas, quas cum Thebanis exercebat inimicitias, non cunctabatur: sed suam in sententiam adductis Ephoris, statim exta consulebat. Ea quum de traducendis copiis ei fausta contigissent, Tegeam profectus, partim equites hinc inde mittebat ad finitimos, qui eos properare iuberent: partim externarum copiarum ductores suas ad vrbes ablegabat. Priusquam Tegea moueret, Thebani aderant, oppidaque se libertati suæ restituere significabant. Ita Lacedæmonij quidem domum rediere, Thebani vero tum fœderis condiciones accipere, tum oppida Bœotica relinquere libera coacti sunt. Restabant Corinthij, qui præsidium Argiuum non dimittebant. His quoque denuntiat Agesilaus, bellum se moturum aduersus Corinthios, ni Argiuos dimitterent: aduersus Argiuos, ni Corintho excederent. Posteaquam vtrisque metu perterritis, excessissent Argiui, iamque Corinthiorum vrbs suo iure libertateque frueretur: cædis auctores, & quotquot adfines culpæ fuerant, sponte sua Corintho excedũt, & ciues ceteri non inuite in vrbem eos, qui antehac exsulabant, admittunt. His rebus confectis, præstitoque ab vrbibus iureiurando, ratam se pacem habituras, cuius esset a rege missa formula: tum deinde non solum terrestres, verumetiam nauales copiæ dimissæ sunt. Ita tunc inter Lacedæmonios, & Athe-

Agesilai aduersus Thebanos odium.

551 *Agesilaus pacis exsequutor.*

nienses, eorumque socios, post bellum ab euersione muro- rum vrbis Atticæ gestum, hæc prima pax constituta fuit. Quumque Lacedæmonij bello durante non inferiores aduersariis fuissent, multo tamen ampliorem ex pace, quam Antalcideam vocant, gloriam sunt consequuti. Nam quia pacis a rege missæ præsides facti erant, vrbesque in libertatem vindicabant: simul Corinthum societate sibi deuinxerunt, & oppida Bœotica Thebanorum potestati erepta, quod iam olim expetiuerant, libertati suæ restituerũt. Præterea copiarum delectu aduersus Argiuos, ni Corintho excederent, decreto: perfecerunt, vt illi Corinthum sibi vindicare desinerent. Hæc quum ipsis ex animi sentẽtia cessissent, ex sociis suis eos, qui hoc ipsis bello molesti fuerant, & amiciore se erga hostes animo, quã ipsos gesserant, mulctare decreuerunt: eoque redigere, vt deinceps inobedientes esse non possent. Primum ergo missis ad Mantinæos legatis, murum

Lacedæmonij Mãtinæos opprimere cogitant.

vti diruerent, edixerunt. Aiebant enim, ceteroqui se minime credituros, cum hostibus eos suis non conspirasse. Nam comperisse se, frumentum Argiuis missum ab ipsis esse id temporis, quum Lacedæmonij bellum eis facerent. Præterea nonnumquam ipsos per caussam induciarum adesse sibi in bello gerendo noluisse, ac si maxime sequuti essent, ignauiter rem gessisse. Nec non animaduertere se commemorabant, Lacedæmoniis eos inuidere, si quid ipsis prospere cessisset: contraque lætari, si qua calamitas accidisset. Etiam addebatur, hoc anno finem earum induciarum esse, quas in annos XXX cum Lacedæmoniis Mantinæi a commisso ad Mantinæam
552 prœlio pepigerant. Posteaquam mœnia diruere Mantinæi recusassent, Lacedæmonij delectum aduersus eos

Agesilaus Mantinæum bellum gerere deprecatur.

habendum statuunt. Hac in expeditione Agesilaus, ne imperatorio munere fungi cogeretur, a republica petebat: quum iis in bellis, quæ cum Messeniis essent gesta, patri suo Mantinæorum rempublicam multis in rebus obsequutam diceret. Itaque copias eas Agesipolis duxit, quamquam huius quoque pater Pausanias erga Mantinæos populi principes animo perbeneuolo esset. Posteaquam fines eorum ingressus esset, primum agros vastabat. Vbi ne tunc quidem muros diruerent, vrbem

fossa

fossa circumdedit, dimidia militum parte cum armis fodientium in obsidione persistente, reliquis opere perficiundo occupatis. Ducta iam fossa, nullo cum periculo vrbem muro cingebat. Quia vero animaduerteret, magnam in vrbe frumenti copiam esse, quod anni superioris fertilitas insignis fuerat, & idcirco molestum fore suis duceret, diuturnis expeditionibus rempublicam ac socios exhauriri: amnem sane amplum, qui vrbem mediam perlabitur, aggere obiecto auertit. Quapropter obstructo alueo, quo decurrebat, aqua se supra ædium ac murorum fundamenta adtollebat. Quumque lateres inferiores humectarentur, iamque superiores amplius haud sustinerent: primum rimas agere murus, deinde ruinam minari. Mantinæi tignis aliquantisper eum fulcire, neue turris collaberetur, opere facto prohibere. Verum vbi ab aqua vinci se conspexere, veriti, ne muro vndique corruente, vi caperentur: eum se dirituros adsensi sunt. Tum vero Lacedæmonij sibi satisfactum fore negabant, nisi per vicos sparsim habitarent. Mantinæi necessario sibi sic faciundum rati, hac etiam in parte adsentiebantur. Quumque metuerent sibi, qui Argiuis fauebant, ac populo præerant, ne interficerentur: † Pausanias pater impetrat ab Agesipolide, vt eis, qui omnino erant sexaginta, ex vrbe tuto discedere liceret. Itaque inde vsque ab ipsis portis Lacedæmonij cum hastis ex vtraque viæ parte stabant, & exeuntes intuebantur. Ac tametsi eos odissent, facilius tamen manus ab eis abstinebant, quam Mantinæorum optimates fecissent: quod a nobis vt ingens erga magistratus obœdientiæ argumentum, commemoratum esto. Secundum hæc murus est dirutus, & quatuor in partes Mantinæa sparsa, quemadmodum olim habitari consueuerat. 553 Erat autem initio molestum ipsis, quod ædes iam exstructas diruere, ac pro eis alias exstruere cogerentur. Verum quia propius a prædiis suis, quæ iuxta vicos habebant, opulentiores aberant, & optimates summæ rerum præerant, liberata republica popularis a factionis principibus, quos graues experti fuerāt: etiam ex iis, quæ acciderant, voluptatem capiebant. Præterea Lacedæmonij non singulatim, sed vicatim co-

Agesipolis arte Mantinæā occupare nititur.

† Qui apud Tegeam exsulabat. Supra in extre. III huius historia libr.

pias cogentem mittebant Itaque longe promtius e vicis signa Lacedæmoniorum sequebãtur, quam in statu populari fecerant. Hic rerum apud Mantinæam gestarum fuit exitus, qui esse hominibus documento potest, ne per muros amnem in vrbem ducant. Ceterum ij, qui exsulabant Phliunte, quum animaduerterent, considerare Lacedæmonios, quo pacto socij singuli tempore belli se gessissent: idoneam se nãctos occasionem arbitrati, Lacedæmonem proficiscuntur, atque commemorant, ciuitatem suam, quamdiu in ea vixissent ipsi, Lacedæmonios in vrbem admisisse, signaque illorum sequi consueuisse, quocumque duxissent. Nunc posteaquam ipsi eiecti essent, nolle suos homines Lacedæmoniorum militiam sequi, ac solos omnium mortalium intra portas eos non admittere. Quæ quum audiissent Ephori, visa sunt animaduersione digna esse. Quapropter missis ad Phliasiorum ciuitatem legatis, exsules hos reipublicæ Lacedæmoniorum amicos esse, ac per iniuriam in exsilium actos significabant. Proinde se petere, ne tam vi, quam bona cum ipsorum voluntate reduci eos paterẽtur. Iis auditis metuebant Phliasij, ne qui ex iis ciuibus, in vrbe qui erant, Lacedæmonios intromitterẽt, si cum exercitu aduenissent. Nam exsules ipsi multos in vrbe propinquos habebant, multos erga se beneuolos: denique nonnulli erant, qui, vt plurimis in rebuspublicis fieri consueuit, nouarum rerum cupidi, exsules reducere vellent. Quapropter huiusmodi quædam veriti Phliasij, de recipiendis in patriam exsulibus decretum promulgant: & addunt, possessiones, de quibus palam cõstaret, eisdem restituendas esse, pretiumque persoluendum illis, qui a fisco exsulum bona coemissent. Quod si esset aliquid inter eos vtrimque controuersiæ, de hoc iure disceptandum. Atque hæc tum temporis in Phliasiorum

Phliasij reducunt exsules.

554 exsulũ caussa gesta fuerunt. Inde missi Acantho & Apollonia, quæ vrbes inter alias propter Olynthum sitas maximæ sunt, legati Lacedæmonem veniunt: quumque accepissent Ephori, quamobrem adessent, eos ad concilium publicum, & socios, deducunt. Ibi tum Cligenes Acanthius hanc orationem habuit: Existimamus, Lacedæmonij, vosque socij, nec dum vos comperisse quid-

quam

quam de re, quæ in Gręcia nunc primum quasi pullulat. Id quidem prope vos vniuersos scire necesse est, Olynthum inter vrbes Thraciæ maximam esse. Atque hi quędam oppida sibi adiunxerunt ea condicione, vt legibus iisdem, tamquam in eadem republica, viuant. Mox quędam etiam de maioribus oppidis ad se pertraxere. Secūdum ea porro ad liberandum vrbes Macedoniæ ab Amyntæ Macedonum regis imperio, animum adiecere. Parentibus iis, quæ ipsis erant proximę, confestim etiam ad remotiores ampliore sque perrexerunt. Nos quidem domo proficiscentes ita reliquimus eos, vt iam præter alias complures vrbes, Pellam quoque tenerent, inter oppida Macedoniæ reliqua longe maximam. Amyntam ipsum intelligimus oppidis suis excedere, tantumque nō Macedonia tota iam excidisse. Denique iidem Olynthij missis ad nos & Apollonienses suis, denuntiarunt nobis: ni nostras ad ipsos copias mitteremus, quæ se cum ipsis coniungerent, recta se nos inuasuros. Cupimus autem nos, Lacedæmonij, legibus vti patriis, & nostram ipsi rempublicam administrare: verum si nemo suppetias nobis tulerit, adiungere nos ipsis cogemur. Habēt grauis armaturæ pedites non pauciores ıↄ ccc, cetratos his longe plures. Quod si nos etiam cum ipsis coniūgamur, equites plures habituri sunt, quam cıↄ. Præterea legatos Atheniensium ac Bœotorum istic reliquimus, quibus Olynthios decreuisse suos ad easdem vrbes legatos adiungere, qui cum eis de ineunda societatę agant, audiebamus. Atqui si ad vires Atheniensium, Thebanorūque tanta potentiæ fiat accessio: videte, Lacedæmonij, ne deinceps illis haud facile obuiam ituri sitis. Et vero quia Potidæam tenent, ad Pallenes Isthmum sitam existimare debetis, etiam ea mox oppida, quæ intra illam sita sunt, ipsorum in potestatem ventura. Sit autem hoc vobis argumēto, quantopere sibi ciuitates illæ metuāt.
Nam quum Olynthios maximo prosequantur odio, nō 555
tamē ausæ fuerunt legatos nobiscum mittere, qui hæc vobis exponerent. Quin & illud vobiscum expēdite, qui par sit vos operam dare, ne se Bœotia coniūgat, ac multo maiorem potentiam coeuntem negligere, quæ quidem non terra modo, sed etiam mari crescat. Nam quid

illis impedimento fuerit? quum ipsorum in finibus ad classem ædificandam materies suppetat, neque desint partim multis ex portubus, partim emporiis vectigalia, multitudine denique hominum, ob fertilitatem soli, abundent? Accedit ad hæc, quod Thraces nullius regis imperio subiectos, vicinos habeant: qui quidem nunc etiam Olynthios obsequiis demulcent. Quod si etiam ab ipsis subigentur, aucti erunt Olynthij potentia non exigua. Iam si hæc omnia sequantur, manum eis etiam auri fodinæ in Pangæo porrigent. Atque horum nihil a nobis dicitur, quod non millies in ipsa Olynthiorũ plebe prolatum sit. Animos autem quos gerunt, quamobrem quis commemoret? Fortasse diuinitus ita comparati sumus homines, vt vna cum potentia nobis animi quoque crescant. Quapropter nos quidem, Lacedæmonij, vosque socij, rerum istic statum hunc esse vobis nuntiamus: vos, an operæ pretiũ sit, ea nõ negligi, deliberate. Omnino tamẽ hoc quoq; vos scire volumus, potentiã illam, quam esse diximus amplam, necdum inexpugnabilem putari debere. Nam quotquot oppida nunc præter voluntatem suam reipublicæ ipsorum societate cõtinentur, si quam potentiam aduersariam conspexerint, mox ab eis deficient. At si connubiis mutuis, & bonorũ alternis adquisitionibus, quod facere decreuerunt, inter se coalescent, ac esse fructuosum animaduertent, sequi eos, qui rerum potiuntur, quemadmodum Arcades, quum vobiscum in hostem pergunt, simul & sua conseruant, & aliena depopulantur: fortasse non tam facile dissipari vires ipsorum poterunt. Hæc vbi fuissent dicta, Lacedæmonij sociis dicendi potestatẽ faciunt, & in medium consulere iubent, quidnam Peloponeso, reliquisque sociis maxime ex vsu fore quisque censeret. Ibi tum complures expeditionem instituendam vno suadebant ore, ac inprimis ij, qui gratificari Lacedæmoniis volebant. Itaque decretum, vt mitteretur ad ciuitates singulas descriptio conferendorum militum ad
556 decies mille. Facta eius quoque rei mentio, liberum esse cuiuis ciuitati, vt pro arbitratu suo pecuniam militũ loco mitteret, nimirum †ternos obolos Aegineticos in singulos milites. Quod si quis equites suppeditaret, nume-

† Id est, drachmæ semissem. Suid.

numerandum singulis esse stipendium, quod peditum quatuor stipendium æquaret. Si qua vero ciuitas expeditionem hanc subterfugeret, ius esse Lacedæmoniis, multæ nomine † staterem in singulos pro die quouis exigere. Posteaquam hæc statuissent, rursus Acanthij surgere ac præclara quidem hæc esse decreta dicere: fieri tamen non posse, vt breui perficerentur. Quapropter esse consultius, vt interea, dum hæ copiæ cogerentur, quamprimum & dux & exercitus a Lacedæmoniis, ceterisque sociis ciuitatibus mitteretur, quantus quidem celeriter discedere posset. Nam id si fieret, perstituras in sententia sua ciuitates eas, quæ nec dum ad Olynthios accessissent; & vi ab eis coactas, minus ad bellum auxilij præstaturas. Quibus ita comprobatis, Eudamidam Lacedœmonij mittunt, & cum eo nouos populares, circum vrbem habitantes, Sciritas, plus minus IICIↃ. Quum autẽ discederet Eudamidas, rogabat Ephoros, vt frater ipsius Phœbidas cum iis militibus, quos sibi decretos a tergo relinqueret, collectis se subsequeretur. Ipse posteaquam ad oppida Thraciæ peruenisset, præsidia ciuitatibus iis mittit, quotquot ea postularent, ac Potidæam societate iam Olynthiis coniunctam, deditionem sponte sua facientem occupat. Atq; hinc hostem inuadens, bellum gerebat, vt eum par erat facere, qui a copiis minus esset instructus Phœbidas interim collectis iis, qui Eudamidam sequuturi erant, iter ingreditur. Posteaquam Thebas copiæ venissent, extra vrbem haud procul a gymnasio castra locant. Dissidebant inter se Thebani, & forte tunc prætores militares erant Ismenias ac * Leontiades. Inimicitias illi mutuas exercebant, & quia suarum factionum vterque dux erat, Ismenias propter odium, quo Lacedæmonios prosequebatur, ad Phœbidam non accedebat: Leontiades contra, vt officiis eum ceteroqui demulcebat, ita posteaquam, familiarior factus esset, huiusmodi verbis eum compellat: Offertur tibi Phœbida, facultas hodierno die præclarissime de patria tua merendi. Nam si me cum armatura graui sequaris, in arcem ego te introducam. Quare confecta, velim existimes, omnino Thebas in Lacedæmoniorum, ac nostra, qui amico 557
sumus erga vos animo, potestate futuras. Iam quidem

† *Nummum aureũ, pondere IV drachmarum Atticarum. Iosephus.*

* *al. Leontides.*

» certe proclamatum edicto publico est, quod ipse vides,
» ne quis Thebanorum aduersus Olynthios tecum mili-
» tatum eat. Ac si tu hæc nobis adiuuãtibus perficias, mox
» tibi mox & grauem armaturam nõ exiguam, & equites
» multos adiũgemus. Quo fiet, vt magnis cum copiis fra-
» tri suppetias sis laturus: adeoq; interim, dum is Olynthũ
» occupabit, tu Thebas in potestatem rediges, vrbem O-
» lyntho longe ampliorem. His auditis Phœbidas, efferri
animo cœpit. Magis enim splendidi alicuius facinoris e-
dendi desiderio, quam vitæ, ardebat: quamquam nec in-
genij acrimonia, nec prudentia valere admodum vide-
retur. Postea quam de re conuenisset, progredi Leontia-
des eum iubet, ita vti tunc ad iter paratus erat. Vbi vero
tempus erit, inquit, ad te veniam, & viæ dux ero. Itaque
dũ Senatus in fori porticu sederet, mulieribus in † Cad-
mea Cerealia peragentibus, iamq; maxima esset in viis
hominum solitudo: (erat enim æstas, & meridies adpe-
tierat) equo aduectus Leontiades, ex itinere Phœbidam
reuocat, eumq; recta in arcẽ ducit. Eam quũ Phœbidæ,
& militum, qui cum ipso venerant, præsidio muniuisset,
ac portarum obicis clauem ei tradidisset, ac vt neminẽ,
nisi se iubẽte, in arcem admitteret, edixisset: in Senatum
» deinde se cõfert, & hac oratione vtitur: Non est cur ter-
» rori vobis sit, viri, arcem teneri a Lacedæmoniis. Quippe
» non hostili in quemquam animo se venisse aiunt, qui
» quidem nõ ipse belli cupidus sit. Ego vero, quũ lex præ-
» tori militari potestatem faciat comprehendendi eius,
» qui mortis supplicio digna committere videtur: Ismeniã
» hunc, bellum molientem, capio. Vosq; adeo cohortium
» ductores, & quotquot eis adiuncti estis, surgite: cõpre-
» hensumq; Ismeniam constitutum ad locum abducite.
Tum illi, quotquot erant rei conscij, accedere, dicto au-
dientes esse, Ismeniam capere: ceteri, qui nihil horũ sci-
rent, ac Leontiadis factioni aduersarentur, partim mox
vrbem fuga deserere, veriti, ne interficerentur: partim
prius se domum conferre. Verum posteaquam Ismeniã
in Cadmea teneri captum ij sensere, qui Androclidæ
Ismeniæq; partes sequebãtur: Athenas se fuga recipiũt,
558 maxime ad cccc. Quę vbi accidissent, Ismenię loco prę-
tor militaris alius deligitur, & Leontiades mox Lacedę-
monem

Pœbidas Thebanã arcem occupat.

† Id erat arcis nomen, a Cadmo Thebarũ conditore.

monem proficiſcitur. Eo quũ veniſſet, offendit & Ephoros & plebem vrbanam grauiter Phœbidæ ſuccẽſentes, quod iniuſſu reipublicæ illa feciſſet. Ageſilaus tamẽ aiebat, æquum eſſe, vt ſupplicio multaretur, ſi quidem aliquid perpetraſſet, quod Lacedæmoni detrimẽto foret. Sin egiſſet ex vſu patriæ, priſcum inſtitutũ eſſe, vt aliquid eiuſmodi celeriter & iniuſſu facere liceat. Quapropter hoc ipſum, inquit, conſiderãdũm eſt, vtiliane ſint, an cũ detrimento coniuncta quę fuere geſta. Deinde Leontiades in conſilij publici cœtum progreſſus, huiuſmodi oratione vſus eſt: Fuiſſe Thebanos, Lacedæmonij, hoſtili erga vos animo prius, quam ea, quæ nunc geſta ſunt, accidiſſent: vos ipſi fateri ſolebatis. Nã erga veſtros hoſtes peramãter ſe gerebant, idq; vobis ipſis erat videre: & infeſti erant iis, qui vobis eſſent amici. An nõ aduerſus populũ in Piræeo ſe continentẽ, infeſtiſſimum vobis, arma ferre recuſarunt? An non Phocenſibus, quod eos vobis addictos eſſe cernerẽt, bellũ intulere? Quinetiam cum Olynthiis ſocietatẽ coiere, quibus vos bellum facturos ſciebant. Vos ipſi tum ſemper intentis animis obſeruabatis, quando eſſetis audituri, Thebanos vi Bœotiam in poteſtatẽ ſuã adigere. Nunc rebus hiſce cõfectis, nõ eſt, quod Thebanos metuatis: exigua † ſcytala ſufficiet ad hoc, vt omnia, quibus fuerit vobis opus, illinc ſumminiſtrentur: modo nos cura veſtra perinde complectemini, ac de vobis nos ſolliciti ſumus. Quæ vbi audiiſſent Lacedæmonij, decreuere arcẽ ita, vti occupata erat, eũ præſidio tenere: ac in iudicio de Iſmeniæ cauſſa cognoſcere. Miſſi deinde iudices ex Lacedæmoniis tres, ex ſociorum quolibet paruo, magnove oppido, ſinguli. Poſteaquã ad tribunal cõſediſſent, accuſatus fuit Iſmenias, quod faueret barbaris: quod cũ rege Perſico, magno cũ malo Græciæ, neceſſitudinẽ hoſpitij cõtraxiſſet: quod miſſæ ab rege pecuniæ particeps factus eſſet: quod Androclidas, & ipſe, turbarum auctores in Græcia principes exſtitiſſent. Purgabat ille quidẽ ſe de his omnibus, verum perſuadere non poterat, vt non res arduas & pernicioſas tentaſſe exiſtimaretur. Itaque iudicum ſuffragiis damnatus, mortem oppetiit. Hinc iam Leontiadis factio ſua in poteſtate Thebas habebat, qui quidem Lacedæmoniorum

Ageſilaus Phœbidæ patrocinatur.

† Genus epiſtolæ Laconicæ. Plutarch. in Lyſan.

559 *Iſmenias damnatur.*

in gratiam plura faciebant, quam iussi essent. Atque his rebus gestis Lacedæmonij multo alacrius in bellum aduersus Olynthios decretum incumbebant. Quumque Teleutiam, vt illic præesset, ablegarent, simul & ad complendum CCIↃↃ agmen suos vniuersi mittebant, & ad fœderatas vrbes hinc inde missis scytalis, vt Teleutiã sequerentur, prout a sociis decreto sancitum esset, imperabant. Quamobrem tum alij Teleutiæ perlubenter obsequebantur, quod videretur haudquaquam ingratus erga illos esse, qui operam aliquam ei nauarent: tum respublica Thebana grauem armaturam, & equitatum suum alacriter ipsi adiungebat, quem Agesilai fratrem esse sciret. Ceterum inter proficiscendum, non admodum properabat, & operã imprimis dabat, vt in itinere nullis iniuriis amici adficerẽtur, & maximas ipse copias colligeret. Præmittebat etiam nonnullos ad Amyntam, vtque militem cõduceret, ac pecunia vicinos reges ad belli societatem permoueret, postulabat: si quidem de recuperando regno cogitaret. Præterea mittebat ad Derdam Elimeæ principem, eumq; monebat: maiorem iam Macedoniæ potentiam subactam ab Olynthiis esse, neque minorem missam facturos, nisi quis ipsorum insolentiam reprimeret. Interim dum hæc ageret, cum magno admodũ exercitu fœderatorũ in fines peruenit. Quumque Potidæam ingressus esset, instructis inde copiis hostilem in agrum pergit. Inter eundum Olynthum versus, neque flamma, neque ferro quidquam vastabat: quod existimaret, si quid eiusmodi faceret, sibimetipsi tum progredienti, tum abscedenti hæc impedimentum adlatura. Nimirum recte facturum, si tum cæsas arbores iis obiiceret impedimenti loco, qui forte a tergo se inuadere vellent, vbi pedem ab vrbe relaturus esset. Quum iam vix stadiis decem abesset ab vrbe, subsistere suos in armis iussit: & erat ipse læuo in latere, quandoquidẽ ita conuenerat, vt versus portas ipse pergeret, qua exibant hostes: reliqua sociorum phalanx ad dextrum latus erat disposita. Itidem Laconicos, Thebanos, Macedonum equites quotquot aderant, dextro in latere collocarat:
560 Derdam cum equitibus suis plus minus CCCC, apud se retinebat: partim quod equitatum hunc admirãdo suspiceret

Teleutias aduersus Olynthios mittitur:

Amyntas Macedonum rex.

ſpiceret, partim quod Derdam coleret, vt expeditioni lubens intereſſet. Poſteaquam hoſtes etiam egreſſi vrbe ſub ipſis mœnibus aciem inſtruxiſſent, conglobati equites ipſorum in Lacedæmonios ac Bœotos impetum faciunt, Polycharmum Lacedæmonium, præfectum equitum, equo ſuo deiiciunt, humi iacentem valde vulnerant, alios quoſdam interficiunt, equitatum denique dextrum cornu obtinentem dare terga cogunt. Ibi tum fugientibus equitibus, etiam peditatus eis proximus inclinare cœpit: adeoq; periculum erat, ne vniuerſæ copiæ ſuccumberent, ſi non Derdas cum equitibus ſuis recta Olynthiorum ad portas perrexiſſet, quem deinde a tergo Teleutias ſuo cum agmine inſtructo ſequebatur. Id quum ab equitibus Olynthiis animaduerſum eſſet, ne a portis intercluderentur, veriti; conuerſo agmine, multa cum properatione ad ſuos ſe recipiebāt. Multi tum equites ipſorum a Derda ſunt interemti, dum eum præterirent. Itidem peditatus Olynthiorum in vrbem abſceſſit, non multis tamen amiſſis, quod prope a mœnibus illi abeſſent. Hac victoria potitus Teleutias, & excitato tropæo copias abducens, arbores excidit. Et quia conſumta in hac expeditione æſtas erat, tum Macedonicas, tum Derdę copias dimiſit. Nihilominus Olynthij ſępenumero ciuitates Lacedæmoniis fœderatas excurſionibus vexando, non prædas modo abigebant, verumetiam nonnullos homines trucidabant. Iam ver adpetierat, quum equites Olynthij numero fere ıↄ c ſub meridiem Apollonienſium in agrū infuſi, paſſim omnia depopulabantur. Forte Derdas eo die ſuo cum equitatu Apolloniam venerat, & in vrbe prandebat. Is quum incurſionem hanc conſpiceret, continebat ſeſe inſtructis iam equis ſuis, & armatis equitibus. Poſteaquam Olynthij cōtemtis hoſtibus in ſuburbium, & ad ipſas vſque portas equos agebant, tum vero cum ſuis inſtructis erumpit. Quod vbi videre hoſtes, in fugam ſe coniiciunt. Derdas quia ſemel eos terga dare coegerat, ad ſtadia x c perſequi & occidere non deſiit: donec ad ipſos Olynthiorum muros fugientes compuliſſet. Ferebatur hoc facinore Derdas equites plus minus x x c trucidaſſe. Ab eo tempore mœnibus ſe magis hoſtes continebant, & omnino parum agri ſuis 561

Derdas egregiam ſuis operā nauat.

Alterum Derdæ præclarū facinus.

in finibus colebant. Succedente tempore, quum Teleutias etiam denuo copias ad Olynthiorum vrbem adduceret, vt si qua vel arbor, vel terra culta reliqua esset, eam prorsus vastaret: egressi Olynthiorũ equites sensim procedebãt, & amne secundũ vrbem labẽte traiecto, placide in aduersas hostiũ copias pergebãt. Eos quum Teleutias conspexisset, indignatus ob ipsorum audaciam, mox Tlemonidam cetratorum ducem cursu in eos irrumpere iubet. Olynthij vero vt cetratos ante reliquas copias procurrere vident conuerso agmine placide pedem referunt, amnemque rursus transeunt. Sequuntur hos illi audacter admodum, ac fugientes vt vrgerent, amnem & ipsi transeunt. Tum vero equites Olynthij transgressos opprimi ab se posse rati, conuertũt sese, ac in eos irruũt, ipsumque Tlemonidam cum aliis pluribus, quam c, occidunt. Id vbi Teleutias fieri vidit, excanduit: ac sumtis armis, celeriter grauem armaturam ducit, simul vt cetrati, & equites hostem persequerentur, ac nihil ei spatij relinquerent, imperat. Itaq; factum, vt quemadmodum & alij complures intempestiue hostem propius ad mœnia persequuti, perincommode pedem retulere: sic illi quoque de turribus telis petiti simul & retrocedere perturbato agmine cogerẽtur, & a telis sibi cauere. Tum vero equites in eos emittunt Olynthij, quibus opem laturi etiam cetrati excurrunt: deniq; grauis armatura consequitur, & turbatam phalangem inuadit. Atq; heic Teleutias pugnans interficitur. quod quum accidisset, statim & illi pedem referre cœperunt, qui erant ei proximi: neq; iam quisquam amplius subsistebat, sed omnes fuga se partim Spartolum, partim Acanthum recipiebant, nonnulli Apolloniam, pars maxima Potidæam. Atque vt alius alio fugiebat, ita & hostes diuersis eos itineribus subsequuti maximo numero cædunt, ipsumq; adeo florem tanti exercitus delent. Equidem cladibus huiusmodi homines erudiri censeo, maxime vt sciant, ne quidem in seruos animaduertẽdum esse, commoto ad iram animo. Quippe domini quum irati sunt: sæpenumero plus detrimenti accipiunt: quam aliis inferant. Hostes autem non consulto, sed iracunde adoriri, quantum quantum est, insigne delictũ putari debet. Est enim ira quid-

Teleutias excandescens infeliciter dimicat.

Alterum Teleutiæ erratum ex iracundia.

Teleutias occiditur.

562

dam

dam temerarium, quum ratio non minus consideret, ne quid sibi accidat aduersi: quã vt hostes damno adficiat. De hac clade posteaquam certiores facti essent Lacedæmonij, re deliberata statuerunt, haud tenues mittendas esse copias: vt & victorum elatos animos reprimerent, & frustra esse gesta, quæ acciderãt, non paterẽtur. Quo decreto facto, regẽ Agesipolim bello præficiunt: eique sicut & Agesilao proficiscenti in Asiam, xxx Spartanos adiungunt. Sequebãtur eumdẽ sponte sua multi circum Spartam habitãtes: homines virtute singulari, multi exterorum, qui † Trophimi adpellantur, itemq; Spartanorum spurij egregia indole, nec præclarorum ciuitatis institutorum ignari. Præter hos intererant expeditioni huic sponte sua tum sociis ex oppidis quidam, tum Thessali equites, vt Agesipolidi innotescerent. Amyntas etiam Derdasque longe, quam ante hac, alacrius militabant. His tum rebus occupatus erat Agesipolis, ac simul Olynthum proficiscebatur. Interim Phliasiorum ciuitas ab Agesipolide collaudata, quod & magnam ipsi pecuniam, & celeriter ad hanc expeditionem suppeditasset: quia putabat, dum Agesipolis abesset peregre, copias aduersus se non ducturum Agesilaum, minimeque adeo futurum, vt ambo reges Sparta simul abessent: audacter admodum cum eis, qui ab exsilio redierant, præter iuris & æqui rationem agebant. Etenim petebant exsules, vt de rebus controuersis apud æquum tribunal cognosceretur: Phliasij vero cogebant eos, vt sua in vrbe caussam disceptarent. Quibus quum reuocati ab exsilio ciues responderent: Et quodnam hoc ius fuerit, eos, qui auctores iniuriæ sunt, iudicum partes sibi sumere? nemo ipsos audiebat. Ita deinde pridem reducti exsules Lacedæmonem proficiscuntur, ciuitatem suam accusaturi: deducentibus eos etiam aliis quibusdã ciuibus qui magnæ ciuium suorum parti videri dicerent, nõ æqua ratione cum exsulib. agi. Cõmoti ob eã rem Phliasij multarunt omnes, quotquot nõ a republica missi Lacedæmonem profecti fuerant. At illi posteaquam multati erant, domum redire præ metu nõ ausi Spartæ manebant, ibique significabant, ab iis hæc violẽter agi, qui & 563

Altera Lacedæmoniorũ aduersus Olynthios expeditio.

† Alumni, quod stipendio publico alerentur.

Phliasiorum insolentia.

ipsos eiecissent, & Phliunte Lacedæmonios exclusissent: Hos illos esse, qui res exsulum coemerint, vique perficere cogitarent, quo minus eas restituerent. Hos esse denique qui nunc quoque dederint operam, vt quotquot Lacedæmonem iuissent, multarentur: ne quis deinceps eo se conferre audeat, quid Phliunte rerum geratur, indicaturus. Ephori, quod re abs se viderentur insolentes esse Phliasij, delectum aduersus eos habendum statuūt: quod quidem Agesilaus haud moleste tulit. Nam & Podanemus cū suis, patris ipsius Archidami fuerat hospes, qui quidē nūc eorum erant in numero, quibus ab exilio Phliuntem reditus concessus fuerat: atque etiam ei cum Proclis Hipponici filij, familia hospitij ius intercedebat. Posteaquam de traducendis in agrum hostilem copiis exta consulens perlitasset, neque iam amplius cunctaretur, sed expeditionem susciperet: complures ei legationes occurrebant, ac pecunias offerebant, ne ipsorum fines inuaderet. Respondebat Agesilaus, non idcirco se hanc expeditionem suscepisse, vt ipsos per iniuriam vexaret: sed vt illis, qui perpessi iniurias essent, opitularetur. Tamdem legati omnia se imperata facturos aiunt, simulque ne cum exercitu Phliasiorum fines ingrederetur, obsecrāt. Rursum Agesilaus verbis se nō posse fidem habere, quod antehac quoque promissis non stetissent: facto fidem sibi faciendam esse dicebat. Rogatus, quodnam illud esset: Nimirum, inquit, hoc ipsum si feceritis, quod quum ante hac faceretis, adfecti a nobis nulla estis iniuria. Erat autem hoc, vt arcem traderet. Quod quum recusarent facere, copias in agrum ipsorum traducebat, castrisque munitis cinctam vrbem obsidebat. Quia vero multi ex Lacedæmoniis aiebant, paucorū hominum caussa offendi ciuitatem, in qua essent ad v c i ɔ virorum (hoc enim vt omnibus innotesceret, Phliasij palam ad obsidentes quasi concionari solebant) Agesilaus huic etiam rei ratione quadam occurrere instituit. Quoties enim aliqui ex vrbe vel quod cognati, vel quod amici exsulibus essent, profugiebant: monebat suos, vt ipsis conuiuia sodalicia pararent Lacedæmoniorum more quantumque satis esset ad res necessarias, iis suppeditarent, quicumq; exerceri vellent. Mādabat item vt arma quo-

Agesilaus aduersus Phliasios copias ducit.

Agesilai sollertia.

que

que sumministraret omnibus, neq; in hoc pecunias mutuas sumere cunctarentur. Hæc quum illi facerent, plures quam CIↃ viros exhibuerũt, qui & corporibus essent probe exercitis, & militaris disciplinæ gnari, & armis instructissimi. Quo factum; vt tamdem Lacedæmonij dicerent, huiusmodi commilitonum opera sibi opus esse. 564
Dum his rebus Agesilaus occupatur, Agesipolis e Macedonia recta pergens, ad Olynthiorum vrbem suos in armis subsistere iubet. Quum eorum nemo contra prodiret, quidquid erat Olynthiorum in agro, vastabat: & ad ciuitates, quæ in ipsorũ erant societate, cum copiis profectus, segetem corrumpebat. Etiam copiis ad Toronem admotis, oppidum illud vi cepit. His in rebus dum adulta iam æstate versaretur, ardore quodam ignis instar vrente corripitur. Et quia non ita pridem Bacchi fanum apud * Aphytem viderat, mirifice opacorum illorum tentoriorum, limpidarumque ac frigidarum aquarum desiderio teneri cœpit. Quamobrem viuus quidem eo delatus est, sed die, a quo cœpisset ægrotare, septimo, extra fanum viuendi finen fecit. Melle oblitus domum deportatur, ac regiam sepulturam consequitur. Quod vbi Agesilaus audiisset, non quasi aduersario sublato, quod existimare quis posset, lætatus est: sed eius morte deplorata lacrumis, etiam consuetudinem ipsius desiderabat. Nam reges eodem vtuntur contubernio, quum domi sunt. Et poterat Agesipolis cum Agesilao conuenientes adulescentiæ, itemq; de venationibus, de re equestri, de amoribus sermones cõmunicare: ac præter hæc, quoties eodem vterentur contubernio, Agesilaum natu maiorem, ceu par erat, reuerebatur. Eius loco Lacedæmonij Polybiadem præfectum ad oppugnandam Olynthum mittunt. Ceterum Agesilaus iam plus temporis in obsidenda Phliunte contriuerat, quam quo suffecturum obsessis frumentum diceretur. Tantum enim inter gulam & abstinentiam interest, vt quum Phliasij communi decreto statuissent, dimidio minus in vsum cottidianum impendere, quam prius, idq; deinde fecissent: tempore duplo maiori, quam esset credibile, sustinendæ obsidioni suffecerint. Itidem audacia nonnumquam vsque adeo præstat vecordiæ, vt Delphio quidam, vir illustri

Oppidum Pallenes peninsulæ in Thracia. Plutar. & Steph.

Agesipolis rex moritur.

Humanitas Agesilai.

Delphionis audacia.

apud suos loco, ccc Phliasiorũ adiunctis sibi partim prohibere potuerit, quo minus ab iis qui in hoc propendebant, pax cõficeretur partim eos in vincula coniectos custodire, quibus diffidebat. Idẽ ad obeũdas excubias cogere plebẽ poterat eamq; more circitorũ inuisendo fidã reddere. Sępenumero cũ iis, quos habebat apud se, facta eruptione, hostium excubitores alias alibi de ambitu, quo
565 circumuallatum erat oppidum, deturbabat. Tamdem quũ hi delecti omnibus rationibus excogitatis frumentum in vrbe nullum amplius reperirent, missis ad Agesilaum suis petebant: vt illis induciæ concederentur, qui legati Lacedæmonem profecturi essent. Aiebant enim, se decreuisse Lacedæmoniorũ magistratibus agendi secum ex ipsorum arbitratu potestatem facere. Tum indignatus Agesilaus, quod auctoritatẽ agendi cum ipsis sibi detraxissent: ad amicos in patriã mittit, ac per eos impetrat, vt sibi Phliũtiorum caussa permitteretur, simulque legatis indutias cõcedit. Interim maiores etiã excubiæ, quam prius, habebantur: vt oppidanorum nemo egrederetur. Delphio tamen, & signatus seruus quidã, qui multa obsidentibus arma eripuerat, nocturna fuga sunt elapsi. Posteaquam Lacedæmone rediissent, qui renũtiarent Agesilao, rempublicã ipsi potestatem statuendi de Phliuntiorũ rebus, pro lubitu suo, fecisse: decreuit ex iis, qui ab exsilio reuocati essent, debere legi L, itidẽ quinquaginta ciues alios vrbis qui primũ cognoscerent, cuinam vita concedenda, quemue capitali supplicio plecti æquum esset. Deinde ferẽdas ab his esse leges, secundum quas administraretur respublica. Verum inter ea, dũ hæc perficerentur, præsidium in vrbe relinquit: decreto præsidiariis in VI menses stipendio. Posteaquam hæc gessisset, sociorum copias ab se dimittit, & ciues suos domum reducit. Hic rerũ apud Phliuntem anno integro & VIII mensibus gestarum, fuit exitus. Ceterum Polybiades Olynthios ad extremam famem redactos, quod iam neque terra frumentum acciperent, neque mari quidquam importaretur, Lacedæmonem legatos de pace mittere compulit. Illi plena cum potestate Spartam profecti eiusmodi condicionibus fœdus ineunt: vt eosdem cũ Lacedęmoniis & hostes & amicos haberẽt: quocumque

Agesilaus Phliuntẽ occupat.

Pax cum Olynthiis facta.

que Lacedæmonij ducerent, sequerentur: socij denique ipsorum essent. Hæc vbi se præstaturos, iureiurãdo confirmassent, domum rediere. Quum autem Lacedæmoniis hæc prospere cessissent, vt iam Thebani ac Bœoti reliqui omnino ipsorum essent in potestate, Corinthios fidelissimos experirentur, Argiui demissis essent animis, quod nihil iis caussis proficeret, quas prætexere consueuerant, Athenienses ab aliis deserti essent, socios denique suos Lacedæmonij quum multassent quotquot animis in eos non satis amicis fuerant: omnino imperium ipsorum præclare comparatum, satisque munitum 566
esse videbatur. Quamquam vero multa tum de Græcis, tum barbaris cõmemorari possint, [quibus declaretur] eos, qui se impie gerant, ac nefaria designent, a Diis haud negligi: tamen nunc exponere malo, quæ modo nobis proposita sunt. Nam Lacedæmonij, qui se libertatem ciuitatibus concessuros iurauerant, ac nihilominus arcem Thebanam in potestate sua retinebant: ab iis solis puniti sunt, aduersus quos iniurij fuerant, quum ante id temporis a nemine mortalium vmquam victi fuissent. Itidem ad eos opprimendos, quotquot ex Thebanis ciuibus Lacedæmonios in arcem introduxerant, ac Thebas seruire Lacedæmoniis voluerant, vt imperio ipsi potirentur, soli septem exules suffecere. Quo pacto id acciderit, exponam. Phyllidas quidam erat, * polemarchorum (magistratus hoc nomen) Archiæ collegarum scriba: ceteroqui suo in munere, quemadmodum existimabatur, perindustrius. Hunc negotij cuiusdam caussa venientem Athenas, vnus e Thebanis exsulibus Mello cõuenit, cui iam ante notus erat: quumque de tyrannide, quam Archias polemarchus ac Philippus exercerent, Phyllidam percunctatus esset, eique statum illum patriæ magis etiam displicere, quam sibi, animaduertisset: fide data & accepta, quo pacto singula gerenda essent, cum eo transigit. Secundum ea Mello, adiunctis sibi ex omni exsulum numero sex huic rei perficiendæ in primis idoneis, qui cetera inermes, tantum sicas secum sumerent: primo Thebanum agrũ noctu ingreditur. Deinde proximo die quodam in loco solo exacto, ad portas accedũt, quasi qui ex agro reuerterentur id temporis, quo solent,

Initium debilitatæ potentiæ Laconicæ:
** hoc est, prætorum militarium.*

qui a rusticis operis tardissime in vrbem redeunt. Posteaquam ingressi essent, noctem illam, diemque proximum se Charonis cuiusdam in ædibus continẽt. Interim Phillidas tum res alias polemarchis procurabat, qui magistratũ decessuri Veneralia celebrabant: tum eas se feminas id temporis adducturũ ad ipsos aiebat, quas ex omni Thebanarum numero lõge splendidissimas ac pulcherrimas adducturum se iamdudum policitus fuerat. Illi vero, quod homines eiusmodi essent, periucũde noctem illam vt agerent, exspectabant. Posteaquam cœnati fuissent, ac vino iam incaluissent, dante opera Phyllida, vt id fieret: dudum hortantibus ipsis, vt mulierculas adduceret, egressus ab eis Mellonem cum suis * adfert. Quũq; tres ex eis ornatu dominarum induisset, ceteros ancillarum: in penitius eos curiæ polemarchorum cõclaue deducit. Hinc ad polemarchos ingressus; tum Archiæ, tum sociis ipsius significat, negare feminas se ingressuras, si ministrorum aliquis adsit. Tum illi mox omnes egredi iubent, ac Phyllidas dato ipsis vino, in ædes cuiusdam ex ministris publicis eos ablegat. Deinde meretriculas introducit easque apud singulos collocat. Et antea conuenerat, vt quamprimum adsidere iussi essent, velis reiectis polemarchos cæderẽt. Hoc modo illos occubuisse nonnulli commemorant. Alij narrant, Mellonem cum suis, vt comesatores, ingressos occidisse polemarchos. Inde Phyllidas sumtis secum tribus ipsorum, ad Leontiadis ædes pergit. Quumque pulsasset fores, indicare se quiddam ipsi velle polemarchorũ iussu dixit. Forte tunc Leontiades a cœna seorsum recubabat, adsidente ipsi vxore, quæ lanificium exercebat. Et quia Phyllidam hominem fidum esse arbitrabatur, ingredi eum ad se iubet. Mox illi ingressi Leontiadem trucidant, & vxorem ipsius iniecto metu silere cogunt. Quum egrederentur, occludi fores iubent: additis minis, si apertas offenderent, omnes se, qui in ædibus essent, interfecturos. His rebus gestis duos secum Phyllidas sumit, & ad carcerem accedit: narrat custodi carceris, quemdam a polemarcho se adducere, quem vinculis constringi oporteat. Is vbi carcerem aperuisset, mox interficitur; ac vincti deinde liberantur: quos quum armis de porticu detractis in-

Phyllidæ facinus insigne.

567

** Adducit. Æ. P.*

Polemarchorum et Leotiandis interitus.

instruxissent, & ad * Amphium deduxissent, vt isticin armis subsisterent, imperant. Secundum ea Thebanos omnes, & equites, & grauis armaturæ pedites, egredi suis ædibus per præconem iubent: quod iam tyranni peremti essent. At ciues, quam diu nox erat, nulla his fide habita, se domi continebant: Posteaquam illuxisset, iamque palam, quid accidisset, consiceretur: mox & grauis armatura, & equestres copiæ suppetias latum adcurrunt. Miserunt etiam exsules, qui iam redierant, equites ad illos, qui Atheniensium in finibus erant, & ad duos ex prætoribus Atheniensium. Illi quum nossent, quam obrem isti misissent, abiere. Præfectus arcis, posteaquam de eo, quod noctu proclamatũ fuerat, certior factus esset: mox Platæas ac Thespias, qui euocarẽt subsidia, mittit. Thebani equites cognito, Platæenses aduentare: obuiam eis pergunt, ac plures ex eis, quã xx, occidunt. Qua re patrata, quum Thebas ingressi essent, iamq; a finibus etiam Athenienses aduenissent: copias oppugnandæ arci admouent. Ibi quũ illi, qui arcem obtinebant, se paucos esse intelligerent, ac omnium accedentium alacritatem intuerentur, magnis per prœcones etiam præmiis propositis, si qui primi adscendissent: metu inde perterriti, cessuros se arce significant, si tuto sibi cum armis abeundi facultas fiat. Concedunt eis Thebani perlubenter, quod postulabant: & pactis induciis, sacramentoque confirmatis, eos dimittunt. Quum illi exirent, quoscumq; hostiũ e numero adgnoscunt, comprehensos necant. Nonnulli ab Atheniensibus, qui ab ipsis finibus opem Thebanis latum accesserant, clam surrepti, incolumes euasere: quum Thebani etiam interfectorum liberos, quibus quidem erant liberi, cõprehensos trucidarent. De his rebus Lacedæmonij certiores facti, præfectum illum, qui arcem reliquerat, & subsidia non exspectauerat, interficiunt: simul aduersus Thebanos delectus habent. Agesilaus, quum se diceret ante annos iam XL pubertatem excessisse: ac demonstraret, itidem vt alios, tam grandi ætate, necesse non sit extra patriæ limites militatum ire, sic & reges eodẽ iure, vti: hæc quum inquam diceret, ea se expeditione liberauit. Neq; tamen hæc erat caussa, quamobrem domi maneret: sed

** al. Amphieum. id est, Amphionis Thebarũ conditoris monumẽtum. Consule Notas.*

568 *Atheniẽses Thebanis opẽ ferunt.*

Arx Cadmea recipitur.

Thebanorum crudelitas.

Agesilaus militiam detrectat.

quod futurum non ignoraret, vt si munus imperatoris acciperet, dicerent ciues, Agesilaum reipublicæ negotium facessere, saltim vt tyrannis opem ferret. Itaq; permittebat eis, vt de hoc ex animi sui arbitratu statuerent. Tamdem Ephori admoniti, ab iis, qui post factas Thebis cædes exsulatum abierant, hyeme aspera Cleombrotum cum copiis mittunt, qui tunc primum ducis officio fungi cœpit. Et quia quod per Eleutheras erat iter, a Chabria, cetratisq; Atheniensium custodiebatur: Cleombrotus via Platæas versum ducente adscendit. Præcedentes reliquos cetrati montis in iugo in eorum incidunt præsidium, qui de carcere liberati fuerant, homines plus minus centum quinquaginta. Eos vniuersos extraquam si fuga sibi quispiam consuluisset, cetrati occidunt. Interim Cleombrotus ad oppidũ Platæas descendit, quod adhuc Lacedæmoniorum erat in fide. Thespias quũ venisset cũ copiis progressus ad † Kynos Kephalas, Thebanorũ oppidum, castra locat. Istic dies sex & decem quũ substitisset. Thespias reuertit: vbi Sphodriã præfectũ cũ tertia quorũlibet sociorum parte, relinquit. Eidem & pecunias tradit, quas quidem domo secum adlatas tunc habebat: vtq; stipendiarium militem conduceret, imperat. Id quum faceret Sphodrias, interim Cleõbrotus via, qua per oppidum Creusim itur, domum abducit milites suos; dubios admodũ, paxne cum Thebanis, an bellum esset. Nam Cleombrotus copias quidem ille Thebanorum in agrum duxit, sed ita tamen discessit: vt quamminimum detrimenti eis inferret. Quumque digrederetur, ventus immanis quidam exortus est; quem ipsum nonnulli de futuris aliquid significare augurabantur. Nam is vt alia non pauca valido cum impetu fecit, ita etiam tum temporis, quum e Creusi Cleombrotus cum copiis montem, qui ad mare pertinet superaret: multos asinos vna cum ipsis sarcinis præcipites egit, armaque complura abrepta in mare deiecit. Tamdẽ quum multi cum armis progredi non possent, ex vtraque verticis parte scuta supina lapidibus oppleta relinquebant. Cœnati sunt Ægosthenis eo die, vti quidem poterant, quod agri Megarensis est oppidum. Postridie reuersi, arma sua tollunt: ac deinde singuli domum se dimissi a Cleõbroto, con

Cleõbrotus aduersus Thebanos mittitur.

569

† Latine dixeris, Caput caninum.

Ventus inauspicatus.

to, conferunt. Athenienses, qui Lacedæmoniorum vires perspicerent, iamq; non amplius apud Corinthum bellum geri viderent, sed Lacedæmonios Atticam prætergressos, Thebas inuasisse: tanto metu exanimati sunt, vt duos illos prætores suos, qui conspirationis a Mellone aduersus Leontiadem initæ conscij fuerāt, in iudicium arcesserent, & alterum quidem morte multarent; alterū vero, quia iudicium exspectare noluerat, in exsilium agerent. Thebani autem, quum & ipsi metuerent, ne extra se, alij nulli bellum Lacedæmoniis facerent, huiusmodi quemdam dolum reperiunt. Sphodriæ Thespiis præfecto largitionibus persuadent, vti quidem erat suspicio, vt Atticam cum copiis inuaderet, ac Athenienses ad bellum aduersus Lacedæmonios suscipiendum proritaret. Is quum obtemperaret eis, ac Piræeum se capere velle simularet, nullis adhuc portis occlusum: milites summo mane cibo sumto Thespiis educebat, ac se ante diem in Piræum itinere confecto peruēturum aiebat. Verum ad Thria quum accessisset, dies exortus est: ac ne hoc quidē perfecit, vt eius cōsilium ignoraretur: sed vbi reuerti cœpisset, pecora diripuit, & domos spoliauit. Nonnulli ex eis, qui in ipsum inciderant, noctu in vrbem fugientes, nuntiabant Atheniensibus, magnas accedere copias. Quamobrē celeriter correptis armis tum equites, tum grauis armaturæ pedites, vrbem custodiebant. Forte tūc & Lacedæmoniorum legati Athenis apud Calliam, hospitem publicum ciuitati suæ, aderant: Etymocles, Aristolochus, Ocellus. Eos Athenienses hac re nūtiata, cōprehensos custodiebāt: quasi qui & ipsi cū aliis insidiati essent. At illi perturbati re noua, purgabāt se: nūquā ita se fatuos futuros fuisse, vt si præsciuissent, capiēdū esse Piræeū, seipsos in vrbe Atheniēsiū potestati traderēt, præsertim apud hospitē ciuitatis suę publicū, vbi quāprimū inuēti fuissent. Addebāt pręterea plane cogituros ipsos etiā Athenienses, ne Lacedęmoniorū quidē rempublicam harū rerum consciā esse. Nā scire se futurum omnino, vt Sphodriam a republica sua morte multatum aliquando audiant. Itaque iudicati minime conscij facinoris huius esse, dimissi sunt. Ephori autem Sphodria reuocato, capitis in eum iudiciū constituerunt. Itaq; metu

Qua ratione Thebani Athenienses aduersus Lacedæmonios concitarint.

570

Sphodriæ conatus irritus.

consternatus, non paruit: & quamquam ne ad iudicium quidem compareret, nihilominus est absolutus. Quæ res multis visa est iniquissime apud Lacedæmonios esse iudicata. Fuit autem hæc omnino caussa. Erat Sphodriæ filius Cleonymus, qui & recens e pueris excesserat, & inter æquales suos omniū erat tum formosissimus, tum probatissimis moribus. Hunc Archidamus Agesilai filius amabat: Propendebant autem in hoc amici Cleombroti, sodales Sphodriæ, vt absolueretur: verum & Agesilaum cum suis amicis metuebant, & qui inter vtrosque quasi medij erāt. Existimabatur enim atrociter deliquisse. Quamobrem Sphodrias ad Cleonymū: Potes, inquit, patrem seruare fili, si Archidamum rogaueris, vt Agesilaum mihi propitium hoc in iudicio reddat. Quibus ille auditis, tantū audaciæ sibi sumsit: vt Archidamū accederet, eumq; rogaret, patrem vti sibi seruare incolumē vellet. Archidamus vbi Cleonymum flentem vidit, adstabat & ipse lacrumans. Posteaquam autem obsecrantem audiisset: Enimuero, inquit, scito mi Cleonyme, non posse me patrē vel adspicere: sed si quid in republica impetrare cupio, quosuis potius, quam patrem adpello. Nihilominus quia tu iubes, existimato me omne studium cum aliis adhibiturum, vt voti compos fias. Ac tū quidem ex* philitio domum reuersus, quieti se dabat. Mane posteaquam surrexisset, obseruabat, ne clam ipso pater exiret. Vbi iam exeuntem videbat, primum si qui ciues aderant, eis colloquendi cum ipso facultatem cōcedebat: deinde si qui hospites, †ac si qui denique ministri essent, qui ipsum conuenire cuperent, cedebat omnibus. Tamdem quum discedens Agesilaus ab Eurota domum suam ingrederetur: Archidamus etiam patre non conuento abibat. Eadem faciebat & postridie. Suspicabatur autem Agesilaus, quamobrem ita se sectaretur: non tamen eum interrogabat, sed abire patiebatur. Interim Archidamus tenebatur quidem ille, ceu par est credere: videndi Cleonymi desiderio: verum vt eum accederet, necdum expositis iis patri, quæ Cleonymus postulauerat, imperare sibi minime poterat. At amici Sphodriæ quum Archidamum non amplius Cleonymum, cui ante id temporis frequens adfuerat, accedere viderent: ne es-

Quo pacto Sphodriā filius periculo liberarit.

571

** Epulum commune Laconicū. Vide Plutarchi Lycurgū, cui phiditium scribitur.*

† al. ac si qui essent, qui cultus et obsequij caussa ipsum conuenire cuperent.

ne esset oblurgatus ab Agesilao, sollicite verebantur. Tamdem Archidamus conuenire patrem ausus est, eũque sic compellare: Iubet, mi pater, Cleonymus, vti te rogem, patris sui salutem tuearis. Idem vt fiat, ego quoque abs te peto, si fieri potest. Cui Agesilaus: Equidem, ait, ignosco tibi, verum quo pacto a republica sim impetraturus, vt ignoscat mihi, si non ob iniustum quæstum hominem condemnauero, quem is cum detrimẽto reipublicæ fecit, non video. Ad ea tum quidem nihil dixit Archidamus, sed æquitate responsi victus, discessit: verũ deinceps siue re per seipsum animaduersa, seu edoctus ab alio quodam: Equidem, inquit, scio mi pater, liberaturum te fuisse culpa Sphodriam, si nihil designasset iniqui. Nunc si quid deliquit, velim nostra caussa veniã abs te consequatur. Ad quæ Agesilaus: Si honestum hoc nobis erit, inquit, esto sane. His auditis Archidamus, admodum exigua cum spe discedebat. Secundum illa quũ 572 quidam amicus Sphodriæ sermonem cum Etymocle haberet: Vos, inquit, omnes amici Agesilai, vt equidem arbitror, capitis pœna in Sphodriam animaduertetis. Cui Etymocles: Profecto, ait, cur non idem, quod Agesilaus, faciamus? Nam is ad omnes, quibuscum hac de re loquitur, fieri non posse dicit, quin Sphodrias egerit iniuste: verum graue esse, virum eiusmodi interfici, qui & puer, & adulescens, & iuuenis semper honestissime se gesserit. Spartam enim huiusmodi militibus indigere. Quæ ille audita Cleonymo refert. Is mirifice delectatus, mox ad Archidamum adcurrens: Esse nos, inquit, tibi curæ, iam intelligimus. Te quidem certe scire volumus, mi Archidame, nos quoque daturos enixe operam, vt numquam tibi amicitia nostra sit dehonestamẽto. Qua quidem in re non eum fefellit. Nam & quam diu viueret, omnia quæ Spartæ præclara ducuntur, præstitit: & apud Leuctra dimicãs ante regem vna cum Dinone polemarcho, quum primus e ciuibus hostẽ adortus esset, medios inter hostes occubuit. Quare adtulit quidem ille mœrorem Archidamo extremum, non tamen ei dedecori fuit, vti policitus erat, sed potius ornamento. Huiusmodi quodam modo Sphodrias fuit absolutus. Tum vero quotquot apud Athenienses Bœotis fauebant, si-

Archidamus verecunde pro Cleonymo intercedit.

Quo pacto Sphodriã Agesilaus excusarit.

Cleonymus gratũ se ergæ Archidamum declarat.

gnificare populo, tantum abesse, vt in Sphodriam Lacedæmonij animaduertant: vt eumdem etiam collaudēt, quod Athenis insidiatus sit. Itaque secundum ea Piræeū portis occludunt, naues ædificant, animorum alacritate summa Bœotis opem ferunt. Lacedæmonij vero nouos aduersus Thebanos delectus habendos esse decernunt, & quia prudentius Agesilaum copias ducturum existimarent, quam fecisset Cleombrotus: hunc ipsum orant, exercitum vti duceret. Ille quum diceret, nulla se in re, quæ reipublicæ placeret, aduersaturum: ad profectionem se comparabat. Quia vero animaduerteret, non facile quemquam Thebanum in agrum irrupturum, qui non Cithæronem antecepisset: certior autem factus esset, Cletorios aduersus Orchomenios bellum gerere, militemque conducticium alere: cum eis egit, vt copias illas conducticias sibi concederent, si eis opus esset. Quamprimum exta de traducendis copiis ei fausta obtigissent, antequam Tegeam cum eis peruenisset, ad

Agesilaus aduersus Thebanos mittitur.

573 conducticij militis apud Cletorios ducem mittit, datoque ipsis stipendio menstruo, Cithæronem vt occuparent, iubet. Simul Orchomeniis denuntiat, vt huius expeditionis tempore ipsi a bello abstinerent. Quod si qua ciuitas interim, dum peregre abessent copiæ, aduersus ciuitatem arma caperet: eam se primum ait de sententia decreti, a sociis facti, adgressurum. Posteaquam Cithæronem superasset, ac Thespias venisset: inde productis copiis, Thebanorum in agrum pergebat. Quumque planiciem, & eximia quæque regionis loca, vndique fossa valloque munita reperiret: alias alibi locatis castris, & eductis a prandio copiis, ea loca populando vastabat, quæ versus ipsum extra vallum fossamque sita erant. Nam hostes, vbicumque se Agesilaus ostenderet, intra vallum ei occurrebant, vim propulsaturi. Et accidit aliquando, vt ipso ad castra reuertente, Thebani equites, ab hostibus non conspecti, subito per exitus in vallo factos erumperēt: eoque tempore, quo cetrati ad cœnam discedebant, ac iam illam parabant, equites autem partim ab equis descenderant, partim in eos conscendebāt: impetum in hostes facerent, ac non paucos e cetratis prosternerent, Cleonemque & Epilytidam, Spartanos equi-

equites, cum Eudico, qui ex vrbi Spartanæ finitimis erat, cumque nonnullis Atheniensibus in exsilio degentibus, qui nondum equos adscenderant, interimerent. Quum autem Agesilaus cum graui armatura conuersus, opem suis ferret, equitesque in aduersum hostium equitatum irruerent, quos ex graui armatura cursu subsequebantur, quotquot ab annis x iã ex ephebis excesserant: tum vero Thebanorum equites similes erant iis, qui paullo facti sunt in meridie languidiores. Quippe tamdiu exspectabant eos, qui adequitabant, donec hastas eiacularentur, non tamen eos contingerent. Et in conuertendo perierunt hinc ex eis duodecim. Posteaquam Agesilaus animaduertit, semper a prandio se hostes ostentare: prima luce facta re sacra, quam poterat celerrime suos ducit, ac loco deserto intra vallum penetrat. Deinde omnia, quæ vallo continebantur, ad ipsas vsque Thebas ferro & igni vastat. Quare patrata Thespias reuersus, mœnibus oppidum illud munit: relictoque ibidem Phœbida præfecto, Megara traductis copiis socios dimittit, ciuium exercitum ipse domum abducit. Ex eo tempore Phœbidas prædonum manipulos emittens, Thebanorum res ferebat, agebat: & excursionibus agrũ ipsorum vexabat. Eius iniurias Thebani quum vindicare vellet, vniuersis cum copiis Thespiẽsium in agrũ expeditionẽ suscipiunt. Ingressi iam ditionẽ ipsorum erant, quum Phœbidas eis vna cum cetratis incumbens, quo minus a phalange vsquã dispergerentur, impediebat. Quo factum, vt Thebani grauiter se hostilẽ agrum inuasisse ferrent: citiusq;, quã vellent, recederent. Quin & muliones abiectis, quas collegerãt, frugibus, domum mulos agebant. Tantus exercitum metus inuaserat. Vrgebat tum hostẽ audacter Phœbidas, quum cetratorum copias secum haberet, grauem autem armaturam sequi agmine instructo iuberet. Nam in spem veniebat, † posse se Thebanos in fugam vertere: quod & ipse totis virib. præcederet, & alios hortaretur ad inuadendum eos, grauemque Thespiensium armaturam subsequi iuberet. Equites Thebani, quum pedem referentes ad inuium quemdam saltum peruenissent: primum se colligebant, deinde se in hostem conuertebant, quod transeun-

574 *Phœbidas Thebanos vexat.*

† *Consule Notas.*

di & euadendi nulla eſſet copia. Tum primi ex cetratis, qui pauci eſſent numero, metu perterriti, in fugam ſe coniiciunt: quod vbi viderũt equites, ab illis terga dantibus edocti ſunt, eſſe ipſos inuadẽdos.

Phœbidas a Thebanis interficitur.

Interfectus Phœbidas ipſe cum duobus aut tribus, qui vna cum ipſo dimicabant. Id quum accidiſſet, conducticij milites vniuerſi fugam arripiebant. Quum inter fugiendũ ad Theſpienſium grauem armaturam veniſſent, illi quoq; terga dabãt: quamquam nec admodum eos quiſpiam perſequeretur, quod iam eſſet ſerius, & prius elatis animis ſe minime Thebanis ceſſuros exiſtimaſſent. Occubuere quidem pauci, non tamen prius fugere deſtiterunt Theſpienſes, quam intra muros ſe recepiſſent. Poſtea rurſum Thebanorum res quaſi reuiuiſcere, atque ipſi iam aduerſus Theſpienſes, reliquaque finitima oppida, bellum mouere. Quamobrem populus ex eis Thebas migrabat.

Thebanorum res proſperæ.

Nam omnibus in oppidis eiuſmodi conſtituta erãt imperia, qualia Thebis. Quo factum, vt amici Lacedæmoniorum in oppidis illis ſubſidio & ope indigerent. Poſt Phœbidæ interitum Lacedæmonij polemarcho quodam, & cohorte mari miſſa, hoc ipſo præſidio Theſpias tenebant. Vere autem ineunte, rurſum Ephori copias
575 aduerſus Thebanos decernunt: & Ageſilaum, vt antea quoque, rogant imperatoris vti munere fungeretur. Ille, quod idem cum eis de hac expeditione ſtatueret:

Ageſilai ſtrategema.

prius, quam exta de traducendo exercitu conſuleret, miſſo ad polemarchum, qui Theſpiis erat, nuntio, verticem vti præoccuparet, qui viæ per Cithæronem ducenti imminet, eumque cum præſidio teneret, donec adueniret ipſe, mandat. Poſteaquam hoc ſuperato, Platæas acceſſit: rurſum Theſpias primum ſe pergere ſimulabat. Mittebat etiam, qui rerum venalium forum parari, ac legatos ibidem ſe exſpectare iuberent. Quo factum, vt Thebani magnis viribus eum, qui verſus Theſpias eſt, aditum cuſtodirent. Verum Ageſilaus poſtridie, cum prima luce, facta re ſacra, verſus Erythram profectus eſt: cumque vno die cum copiis iter bidui confeciſſet, prius id vallum, quod ad Scolum eſt, ſuperauit: quam ab eo excubiarum loco, quo antehac ingreſſus fuerat, Thebani aduenifſent. Hoc facto, Thebanorum agrum verſus

ſolem

solem orientem situm depopulatur, ad ipsos vsque Tanagræorum fines: (adhuc enim Tanagram †Hypatodorus cum suis, Lacedæmoniis addictus, tenebat) ac deinde pedem refert, quum mœnia vrbis ad læuam haberet. Thebani autem vt superuenere, in loco, qui Vetulæ pectus dicitur, aciem aduersam instruebant: vbi & fossam, & vallum habebant a tergo, atque idcirco recte facturos se arbitrabantur, si aleam istic prœlij subirent. Erat enim locus is satis angustus, accessuque difficilis. Quod quum Agesilaus videret, aduersus ipsos non ducebat: sed auersa deflectendo acie, ad vrbem pergebat. Thebani vero metuentes vrbi, quod esset a præsidiis nuda: relicto loco, quo instructi stabant, via Potnias ducente, quæ tutior erat, ad vrbem cursu se conferebant. Enimuero præclarum hoc Agesilai videbatur inuentum esse, quod ab hostibus longe abductis copiis perfecerit, vt illi cursu discederent. Ac nihilominus eos prætercurrẽtes polemarchi quidam cum cohortibus inuadebant. Thebani contra, de collibus hastas eiaculabãtur: quo factum, vt vnus ex polemarchis Alypetus, hasta traiectus occumberet. Hoc tamen etiam de tumulo Thebani deiecti fugiebãt. Itaque illo conscenso Sciritæ, & equites quidam, cædebant extremos in agmine Thebanorum, qui ad vrbem præteruehebantur. Vbi propius ad muros peruẽtum esset, Thebani se conuertunt. Eo conspecto Sciritæ, celerius aliquanto, quam gradatim, regrediuntur. Quamquam autem ex eis interemtus esset nemo. Thebani tamen & tropæum excitabant, quod hostes inde, quo cõscenderant, discessissent: . . . . . . Agesilaus ita tunc poscẽte tempore, digressus illinc, castra metabatur eo loco vbi hostes prius instructos conspexerat. Postridie via, qua Thespias itur, exercitum abducebat. Quumque cetrati, qui apud Thebanos stipendia faciebant, audacter eum insequerentur, & Chabriam non subsequentem inclamarent: conuersi Olynthiorum equites, quod illi iam ex fœdere socij expeditionis huius erant, adcliuem ad locũ eos compellebant, ita vti sequebantur, ac magno numero interficiebant. Nam facile pedites ab equitibus loco adcliui, & equitibus accessu non difficili, capiũtur. Postea quam Thespias Agesilaus venisset, ciues inter se dissi-

† al. Hypantodorus.

Aliud Agesilai strategema.

576

Thespienses Agesilaus inter se reconciliat.

dentes reperit: quumque vellent ij, qui Laconicis se fauere partibus profitebãtur, aduersarios interficere, quorum erat in numero etiam Meno: nequaquam hoc fieri permisit, sed reconciliatis ipsis inter se, coactisque sacramentum sibi inuicem præstare: ita demum rursus per Cithęronem via, quę Megara ducit, discedit. Inde socios dimittit, ac vrbanas copias domum abducit. Quia vero Thebani admodum annonæ inopia premebãtur, quod iam duobus ab annis ex agro suo fruges nullas habuissent: quosdam suorum duabus triremibus Pagasas ad comparandum frumentum mittunt, datis eis decem talentis. Alcetas autem Lacedæmonius, qui Oreum cum præsidio tenebat, dum frumentum illi coemerent, triremes tres instruit, cauens singulari studio, ne quid enuntiaretur. Vbi iam frumentum auehebatur, Alcetas & frumentum, & triremes, & homines ipsos, non pauciores CCC, viuos capit. Eos in arce carceribus mandat, in qua ipse habitabat. Quum autem puer quidam sane quam elegans, vt fertur, & egregius, qui esset Oreitæ cuiusdam filius, eum comitari soleret: de arce descendens, apud hunc versabatur. Hac hominis negligentia captiui animaduersa, arcem capiunt, moxque vrbs ipsa a Lacedęmoniis deficit. Ita factum, vt magna copia Thebani frumentum in vrbem aduehe rent. Vere rursum ineunte, Agesilaus in lecto decumbebat. Nam quo tempore copias Thebanorum e finibus Megara deduxerat, inter ascendendum e fano Veneris magistratuum in curiam, incertum qua vena rupta sanguis e corpore sanum in crus defluxerat. Quumque sura nimium quantum intumesceret, ac dolores intolerandi accederent: medicus quidam Syracusanus ei propter † malleolum venam aperit, atque vbi semel cœpisset, noctu dieque sanguis profluebat. Quidquid tentarent, fluxionem hanc inhibere non poterant, donec Agesilaus tamdem animo defecisset. Tunc enim fluere desiit. Hoc modo Lacedæmonem deportatus, quod æstatis reliquum erat, totamque hyemem ægrotauit. Lacedæmonij vere se ostendente, rursum copias aduersus Thebanos decernunt, eisque ducem Cleombrotum præficiunt. Is vbi cum exercitu iam ad Cithæronem accessisset, cetratos

Thebani fame premuntur.

Alcetas Thebanos quosdam capit.

Alcetæ negligentia.

577

† pars corporis infra suras, alia tamen a talis. Galen. & Pollux.

Cleõbrotus fru-

præ-

præmittit, vt imminentia viæ loca præoccuparet. At quum Thebani & Athenienses quidam verticem hunc iam ante tenerent, aliquantulum illi quidem adscendẽdi facultatem hostibus concedunt: verum vt iam prope ad ipsos accesserant, consurgunt, & in fugam eos agunt, fereque ad quadraginta interficiunt. Quod quum accideret, Cleombrotus minime fieri posse ratus, vt Thebanorum in agrum transcenderet: copias inde abductas dimisit. Quumque socij Lacedęmonem conuenissent, commemorabant fieri quadam ignauia, quod bello adtereretur. Nam posse se naues longe plures, quam Athenienses habeant, instruere: atque vrbem ipsorum ad deditionem fame compellere. Posse item se hisce nauibus etiam aduersus Thebanos exercitum deportare vel Phocensium in fines, si ita videatur, vel Creusim. Hoc inito consilio, triremes sexaginta complent, eique classi Pollis præficitur. Neque fefellit eos hæc sententia, qui consilij auctores fuerant. quippe hoc modo Athenienses obsidebantur. Etenim naues ipsorum annonarię Geræstum illæ quidem adpulerant, verum inde non iam amplius discedere cogitabant: quod Lacedæmoniorum classis propter Æginam, & Ceum, & Andrum stationes haberet. Hac necessitate compulsi Athenienses, & ipsi conscendunt naues, Chabriaque duce nauali cum Polle congressi prœlio, victoria potiuntur. Ita factum, vt Atheniensibus deinde frumentum subueheretur. Quum autem Lacedæmonij se pararent ad mittendas aduersus Bœotos copias, Thebani Athenienses rogabant, vt & ipsi exercitum in Peloponesum mitterent. Existimabant 578 enim, si hoc fieret, haudquaquam satis virium Lacedæmonios habituros ad defendendum eodem tempore tum fines suos, tum sociarum in iis locis vrbium: & ad traducendum in agrum Thebanum satis magnas copias. Athenienses autem, quod ob Sphodriæ facinus Lacedæmoniis succenserẽt, instructas LX naues ad Peloponesi litora perlubenter misere, dato his prætore Timotheo. Atq; hoc tẽpore, quod hostes Thebanorũ in agrũ non irrupissent, neq; dum copias Cleõbrotus duceret, neq; dum Peloponesum Timotheus cum classe circumueheretur: peraudacter oppida finitima Thebani ado-

stra aduersus Thebanos pergit.

Lacedæmonij classem instruunt.

Athenienses nauali pugna Pollim vincunt.

Timotheus præclarus Atheniensium dux.

riebantur, eaque recipiebant. Timotheus quidem circumuectus, statim Corcyram occupauit: neque tamen eam in seruitutem redegit, neque quemquam multauit exsilio, ac ne leges quidem immutauit. Quo factum, vt ciuitatum iis locis finitimarum omnium maiora essent erga Timotheum studia. Contra Lacedæmonij & ipsi classem instruunt, & præfectum ei Nicolochum, hominem admodum audacem, aduersus hostes mittunt: qui quum naues, quas secum Timotheus habebat, conspexisset: quamquam adhuc sex Ambracioticæ abessent, nihil tamen cunctatus, cum LV nauibus aduersus LX, quibus Timothei classis constabat, prœlio naualı dimicat. In eo quum victus esset, apud Aelyziam tropæum Timotheus statuit. Postea Nicolochus, quum Timothei naues in portum subductæ essent, ac reficerentur: aduectis ad se iam sex illis Ambracioticis triremibus, Aelyziã nauigat, vbi tum Timotheus erat. Posteaquam is obuiã sua cum classe non pergeret, ipse quoque tropæum proximis in insulis statuit. Timotheus autem refectis nauibus iis, quas habebat, & e Corcyra paratis & instructis aliis, vt iam plures essent, quam septuaginta: longe classe superior erat. Et quia magna pecuniarum vi ob classis magnitudinem indigebat, Athenis eas adferri curabat.

XENOPHONTIS HISTORIARVM GRÆCARVM LIBER VI.

ARGVMENTVM.

1. Thebani Phocensibus bellum inferunt. 2. Polydamas Pharsalius aduersus Iasonem Thessalum a Lacedæmoniis auxilium petit. 3. Ingenuum Lacedæmoniorum responsum. 4. Iason Pheræus, Thessalorum dux, quomodo, & cur creatus. 5. Iasonis copiæ quantæ fuerint. 6. Athenienses cur pacem cum Lacedæmoniis facere studuerint;

rint, & quibus condicionibus facta. 7. Timothei facto pax violatur. 8. Lacedæmonij legatos ad Dionysium Siciliæ tyrannum cur miserint. 9. Mnasippus Corcyram vastat. 10. Corcyræi legatos Athenas auxilium petituros mittūt. 11. Atheniēses Timotheo imperiū abrogant, & Iphicratem Imperatorē creant. 12. Mnasippus ob auaritiam, se, suosque perdit. 13. Lacedæmonij post Mnasippi cædem, post fusas, & fugatas eius copias, e Corcyra fugiūt. 14. Iphicratis singularis industria, & stratagema. 15. Melannipi Rhodij prudentia in vitando periculo. 16. Athenienses cur pacem cum Lacedæmonijs iterum facere conarentur. 17. Pacis factæ condiciones. 18. Agesilaus cur Thebanos e fœdere cum Atheniensibus facto excluserit. 19. Æquissima Prothoi sententia exploditur. 20. Lacedæmoniorum imperium, atq; potentia, quando, quomodo, cur aperte debilitari cœperit. 21. Perniciosum consilium, quod amici Cleombroto dederunt de prælio cū Thebanis intempestiue committendo. 22. Oraculum de loco redditum, in quo Lacedæmonij cladem accepturi dicebātur. 23. Varia prodigia, quæ Leuctricum prœlium antecesserunt. 24. Thebanorum conditio longe melior, quam Lacedæmoniorum caussæ. 25. Insignis Lacedæmoniorū ad Leuctra clades accepta, quæ totius Laconicæ Reipub. vires afflixit. 26. Lacedæmoniorum in rebus asperrimis magnanimitas. 27. Archidamus Agesilai filius copijs Laconicis præficitur. 28. Athenienses cladem Lacedæmoniorum miserantur. 29. Iasonis Thessali in auxilio Thebanis ferendo celeritas, & prudentia. 30. Iason Thebanos ab inuadēdis Lacedæmonijs qua ratione deterruerit, & inducias inter vtrosque fieri curauerit. 31. Iasonis potentia. 32. Iason vbi, quando, cur, a quibus, quomodo, cæsus. 33. Mortuo Iasone, fratres ipsius Polydorus, & Polyphro duces creantur: at Polydorus a Polyphrone fratre noctu cæditur. 34. Alexāder Thessalorū dux quorū opera, & cur interfectus. 35. Athenieses pacis auctores. 36. Mantineorū, & Lacedæmoniorū contētio. 37. Arcadū dissidia. 38. Bellum Mantineū. 39. Agesilaus cū exercitu aduersus Mantineos missus, quid fecerit. 40. Thebanorū potentia. 41. Thebani cū suis copijs Laconicū agrum inuadūt. 42. Lacedæmonij opē ab Atheniensib. petunt, ac eā impetrant.

Bellum in Phocide.



HIs tum rebus Athenienses & Lacedæmonij occupati erant. Thebani verò, posteaquam oppida Bœotiæ suam in potestatem redegerāt, etiam Phocensium in fines expeditionē suscipiebant. Ibi quum legatos Lacedæmonem Phocenses misissent, ac significassent se, nisi suppetias ipsi ferrent, non posse non Thebanorum imperio parere: mari Cleombrotum regem, cum quatuor cohortibus, & sociorum parte, Lacedæmonij Phocensium in agrum ire iubēt. Eodem prope tempore Polydamas Pharsalius Lacedæmoniorum ad communitatem e Thessalia venit. Eius viri vt reliqua in Thessalia nomen erat illustre, ita sua in republica tanta virtute præditus existimabatur: vt quum Pharsalij domesticis seditionibus ac dissidiis laborarent, arcem ipsi traderent, annuosque prouētus ad se recipere permitterent, deque iis tum ad sacrificia, tum reliquam administrationem impensas facere, quæ præscriptæ legibus essent. Ac ipse quidem ex hisce pecuniis & arcem ipsis præsidio tuebatur, & alia quoq; administrans, quotannis rationes reddebat. Quod si quando a pecuniis publicis destitueretur, de suo nonnihil ad eas adiiciebat: idque, vbi quid prouentuum superat, recipiebat. Et erat ceteroqui Thessalorum more magnificus ac hospitalis. Hic vbi Lacedæmonē peruenisset, hac vsus est oratione: Equidem Lacedæmonij, quum hospes sim vestræ ciuitatis publicus, nostraque in vos exstent beneficia inde vsque ab omnibus maioribus, quorum meminisse possumus: æquum esse censeo, vt si qua ipse difficultate premar, ad vos me conferam: itemque si quid aduersum vos rei molestæ in Thessalia oriatur, id vti vobis significem. Non dubito autem, vos quoque Iasonis nomen audiisse. Nam is vir & copias ingentes habet, & percelebris est. Hic cum mecum congressus esset, factis inter nos induciis, in hunc modum me compellauit: Posse me, mi Polydama, ciuitatem vestram Pharsalum vel inuitam imperio meo subiicere, vel de his tecum existimare potes. Nam & plurimas, & maximas Thessaliæ vrbes equidem mihi societate deuinctas habeo, quas ipsas in potestatem meam redegi, quū

Polydamas Pharsalius.

Polydamas aduersus Iasonē Thessalum opē postulat.

vos

Vos vna cum ipsis coniuncti bellum aduersus me gereretis. Non ignoras autem, habere me conducticios milites exteros non pauciores vicio: quibus meo iudicio resistere nulla ciuitas possit. Quippe numerus quidem hic militum, ait, etiam aliunde promi possit: sed oppidani exercitus partim quosdam natu grandiores habent, partim qui necdum ætatem vegetam adtigerint. Præterea per sane pauci quidam vnaquaque in vrbe corpora sua exercent. Apud me vero nemo stipendia facit, qui non eosdem, quos ego, labores tolerare possit. Iason ipse (dicendum est enim apud vos, quod verum est) per est robustus corpore, ac laborum ceteroqui patientissimus. Quinetiam cottidie virtutis suorũ periculum facit. Nã & in gymnasiis, & in expeditionibus, quascumque suscipit, primus ipse arma gestat: ac si quos e conducticiis militibus esse molles animaduertit, eos exauctorat: sin qui & laborum tolerantes sunt, & ad subeundum pericula in re aduersus hostem gerenda, promti, eos stipendio partim duplo, partim triplo, partim quadruplo, ac præterea muneribus aliis ornat. Eosdẽ & in morbis curat, & mortuos funerum magnificentia cohonestat. Quo fit, vt omnes ipsius conducticij milites sciant, virtute bellica vitam se honoratissimam, ac rebus omnibus adfluentem consequi. Idem mihi non ignoranti demonstrabat, parere iam ipsius imperio Maracos, & Dolopes, & Alcetã, qui Epiro pręest. Quidnam igitur, ait, mihi metuendum sit, quo minus existimare debeam, me facile vos imperio meo subiecturum? Fortassis heic mihi secum aliquis cogitet, mearum rerum ignarus: Quamobrem igitur cunctaris? Cur non iam bellum aduersus Pharsalios suscipis? Quia profecto mihi pręstare omnino videtur, vt vos mihi potius spõte vestra, quã inuitos adiungã. Nam si coacti a me fueritis, & ipsi de me, quacumq; ratione fieri poterit, lædendo consilia agitabitis: etiam vos ego vicissim quammaxime fractos volam. Sin persuadendo meas in partes vos adduxero, facile intelligi potest, futurũ, vt pro virili vires mutuo nostras adaugeamus. Non aũt nescius sum, mi Polydama, in te vnũ oculos patriæ tuæ cõiectos esse. Eius si beneuolentiam mihi conciliaueris, policeor tibi equidem, inquit, facturum me, vt omnium in Græ-

De Iasone Pheræo.

cia ſis hominum ſecundum me maximus. Quarũ autem rerum tibi ſecundas deferam, audi: neq; mihi fidei quidquam in vllo habueris, quod tibi ratiocinanti non vero conſentaneum viſum fuerit. Primum hoc manifeſtum eſt futurum, vt ſi Pharſalus iis cum oppidis, quæ a vobis pendent, ad nos acceſſerit: facile Theſſalorum omnium †imperator ego conſtituar. Iam ſi vni pareat imperatori Theſſalia, cogi equitum ıↃↃ CIↃ poterunt, ac peditum ſupra CCIↃↃ: quorum & corpora, & animi magnitudinẽ dum intueor, nullam fore gentem arbitror, ſi recte quis eorum curam gerat, cuius Theſſali ſint obœdituri imperio. Et quamquam ipſa per ſe latiſſime pateat Theſſalia, tamen imperatore creato, etiam finitimæ nationes omnes ei parent. Sunt item in his locis vniuerſi prope iaculandi periti. quo fiet, vt copias noſtras etiam cetratorum numero abundaturas, ſit veriſimile. Præterea mihi cum Bœotis, ac reliquis omnibus, quicumque cõtra Lacedæmonios bellum gerunt, ſocietas eſt: quos ſi tãtum a Lacedæmoniorum iniuriis vindicauero, perlubenter me ducem ſequentur. Neque dubito, quiduis facturos Athenienſes, nobiſcum vti ſocietate coniuncti ſint: quamquam eorum mihi amicitiam minime expetendam arbitrer. Sic enim ſtatuo, facilius nos maris, quã terræ conſequuturos imperium. An vero probabiles ſint meæ ratiocinationes, vt videas: etiam hæc, ait, mihi velim conſideres. Nimirum ſi Macedoniam habebimus, e qua Athenienſes ligna petunt, multo plures ipſis naues ædificare poterimus. Iam quod homines adtinet, nũ iis Athenienſes facilius poſſe complere naues credibile ſit, quam nos, quibus tanta mancipiorum eſt copia? Nũ item magis ſit conſentaneum, nobis ad alendos nautas omnia ſuffectura, qui præ copia frumentum etiam alio vehimus: an Athenienſibus, quibus ne tantum quidem frumenti ſuppetit, quantum ipſis ſatis ſit, niſi alicunde pretio comparent? Etiam pecuniæ nos vim maiorem habere veriſimile eſt, qui vt paruas quaſdam ad inſulas reſpiciamus, neceſſe non habemus: ſed mediterraneis a nationib. tributa noſtros ad vſus exigimus. Quoties enim vni paret imperatori Theſſalia, finitima omnia tributum pendent. Nec ignoras, Perſicum etiam regem fruen-

† *Græce ταγὸς, quo peculiariter ſummus apud Theſſalos magiſtratus ſignificatur.*

fruentem non insularum, sed terræ continentis fructi-
bus, omnium hominum esse opulentissimum: quē qui-
dem ego minori negotio redigi posse in ordinem arbi-
tror, quam Græciam. Scio enim homines istic omnes, v- 582
no excepto, magis seruituti, quam fortitudini addictos
esse. Scio præterea, quali ab exercitu discrimen in extre-
mum adductus rex fuerit: siue illum respicias, qui in A-
siam cum Cyro, siue qui cum Agesilao adscendit. Hæc
quum apud me disseruisset, respondebam ego: Cetera
quidem digna consideratu ab ipso dici, sed videri mihi
multum in hoc difficultatis, si nos Lacedæmoniis amici,
quum nihil habeamus, quod de ipsis queramur, ad ho-
stes ab eis deficiamus. Tum ille me collaudato addebat,
magis se me adiunctū sibi cupere, siquidem talis essem.
Simul potestatem fecit proficiscēdi ad vos, ac rem ipsam
exponendi: cogitare nimirum ipsum de bello Pharsaliis
inferendo, si non sponte nostra ipsi adsentiremur. Iussit
igitur, a vobis suppetias postularem: ac si quidē, inquit,
persuadendo impetraueris, vt copias tibi auxiliares mit-
tant, quæ ad oppugnandum me satis amplæ sint: consu-
lamus id sane boni, quod belli sors tulerit. At si tibi non
satis magna subsidia mittere visi fuerint, merito culpa
non carebis in patria, quæ te amat, & in qua tu præstan-
tissima es cum dignitate. Has ob res veni equidē ad vos,
Lacedæmonij, vobisque omnia, quæ istic vidi, & ex Iaso-
ne audiui, expono. Esse autem eiusmodi rerum statū ar-
bitror, vt si copias illuc miseritis, quæ non mihi solum,
sed reliquis etiam Thessalis ad resistendum Iasoni satis
amplæ videātur, ciuitates ab eo sint defecturæ. Metuunt
enim omnes, quo tamdem euasura sit hominis potētia.
Sin nouos populares, cum aliquo rerum gerendarū im-
perito, suffecturos hoc in negotio putatis: ab hoc vti
bello abstineatis, equidem vobis cōsulo. Nam certo sci-
tote, bellum aduersus vires magnas vobis gerendū esse,
ac talem aduersus hominem, qui tam prudens dux est:
vt quæcumq; tamdem vel clam, vel alios anteuertendo,
vel vi perficere conatur, nō facile fine suo frustretur. Et-
enim & nocte vti perinde ac die potest, & celeritate quū
opus est, prandio cœnaque simul sumta labores perfer-
re. Præterea tum demum sibi quiescendum arbitratur,

posteaquam eo peruenerit, quo contendebat, remque animi ex sententia confecerit. Itidem eos, quos secum habet, consuefecit. Nouit etiam militum animos explere, quoties laborãdo præclarum aliquid effe-
583 cerunt. Quo fit, vt omnes, qui cum eo sunt, didicerint, ex laboribus etiam voluptates oriri, quamquam ipse omnium, quos equidem noui, corporis in voluptatibus abstinentissimus est: adeoque propter has tantopere non occupatur, vt minus id semper faciat, quod ex vsu sit. Vos igitur re deliberata significate mihi, quemadmodũ vos decet, quid hac in re præstare tum possitis, tum velitis. Hæc Polydamantis fuit oratio. Lacedæmonij vero dilata eo die responsione, alteroque ac tertio quoque die secum ipsi expendentes, quod cohortes foris quot circa Lacedæmonem triremibus Atheniensium oppositas haberent, quodque bellum etiam aduersus finitimos gererent: respondent, in hoc quidem tempore non posse satis se magna mittere ad eum subsidia. Quamobrem domum rediret, ac tum suis, tum patriæ rebus quam posset optime consuleret. Itaque Polydamas, collaudata reipublicæ Laconicæ simplicitate, discessit: & arcẽ quidem Pharsaliorum ne dedere cogeretur, Iasonem orabat: vt hanc illis, qui fidei suæ commisissent eam, conseruaret: liberos autem suos obsides dabat, simulque policebatur, persuadendo se patriam adducturum, vti sponte se societati ipsius adiungeret: atque etiam cum alijs daturum operam, vt Thessalorum imperator Iason constitueretur. Quapropter quum vltro citroque data fides esset, statim & Pharsaliis pax cõcessa fuit, & Iasoni munus imperatoris Thessalorum sine cõtrouersia delatum. Quod vbi accepisset, equitum grauisque armaturæ peditum numerum ciuitatibus singulis, pro cuiusque facultatib. imperabat. Ita factum, vt equites haberet Thessalos, ac de socijs coactos, plures quã vincio: grauis vero armaturæ pedites recenserentur non pauciores xxcIↃ. Denique cetratorum eas habebat copias, quæ quibusuis in acie opponi possent. Ciuitates quidem certe Thessalorum vel enumerare fuerit operosum. Denuntiabat etiam finitimis omnibus, vti tributum penderent, quod Scopæ temporibus impositum fuisset. Atque hæc quidem hoc

Ingenuum Lacedæmoniorum respõsum.

Iason Pheræus, Thessalorum dux creatur.

Iasonis copiæ quãtæ fuerint.

hoc modo peragebantur. Ego vero vnde Iasonis ad res
gestas deflexeram, reuertor. Cogebantur & Lacedæ-
monij, & eorum socij, Phocensium in agrum: & Theba-
ni pedem referentes intra fines suos, viarum aditus prę-
sidiis tenebant. Athenięses autem, quod opera sua The-
banos creuisse cernerent, qui nihil pecuniæ ad alendam
classem conferrent, quum interim de ipsorum faculta-
tibus, ob pecuniarum conferendarum exactiones item-
que prædationes ex Ægina, & Atticæ præsidia decede- 584
ret: finem imponere bello cupiebant. Itaque missis La-
cedæmonem legatis, pacem faciunt. Mox Lacedæmo-
ne duo ex legatorum numero, quemadmodum reipu-
blicæ decreto iussi fuerant, ad Timotheum nauigant: ei-
que significant domum vti classem reduceret, quod pax
esset inita. Timotheus inter redeundum exsules Zacyn-
thios in patriam exponit. Quamobrem quum Zacyn-
thij legatis Lacedæmonem missis, quid ipsis a Timotheo
illatum esset iniuriæ, commemorassent: mox Lacedæ-
monij læsos se ab Atheniensibus existimare rursumque
classem instruere, ac naues plus minus LX Lacedæmone,
Corintho, Leucade, Ambracia, Elide, Zacyntho, Achaia,
Epidauro, Trœzene, Hermione, Haliësibus cogere. Mna
sippũ ei classi pręficiunt, quem pręter alia, quę in illa ma-
ris ora curaret, Corcyram quoque bello adgredi iubent.
Legatos etiam ad Dionysium mittunt, qui docerent, nõ
minus ex ipsius esse re, quam sua, Corcyram Atheniensiũ
imperio non parere. Mnasippus itaq; collecta iam classe
sua, Corcyrã cum ea petit. Habebat præter eos quos La-
cedæmone secũ adduxerat, cõductitios milites nõ pau-
ciores CIↃ IↃ. Posteaquam de nauibus copias exposu-
isset, insulam mox occupat, eamq; pulcherrime excul-
tam & consitam, ac magnificis ædificiis, cællisq; vina-
riis passim ruri exstructis ornatã, vastat: estq; adeo prodi-
tũ milites eo progressos esse luxus, vt vinum bibere, nisi
fragrans esset, haudquaquam vellent. Capta ex agris
etiam ingens mancipiorũ pecorumq; copia. Deinde ter-
ra quidem Mnasippus pro castris locum capit in tumu-
lo, qui anteriore situs in parte insulæ stadiis ab oppido
v aberat, vt aditum omnibus intercluderet, ne quis il-
luc Corcyrensiũ agrum ingredi posset: classem vero ab v-

Athenięses pacem cum Lacedæmoniis faciunt.

Timothei facto pax violatur.

Lacedæmonij legatos ad Dionysiũ Siculum mittunt.

Mnasippus Corcyram vastat.

traque parte oppidi in statione collocat, vnde tum prospici aduentus eorum, qui nauigiis accederent, tum impediri posset. Præterea quoties a tempestate non prohiberetur, etiã in portu stationes habebat, ac oppidum hoc modo obsidebat. Corcyrenses autem, posteaquam nec suo quidquam ex agro accipiebant, quod is ab hostibus occupatus esset: nec mari quidquam inueheretur, quod
585 a classis amplitudine superarentur: magna rerum inopia laborabant, ac suos Athenas mittebant, qui opem ab eis poscerent, simulque docerent, magnam facturos iacturam Athenienses, si Corcyram amitterent: contraque, magnum hostibus robur accessurum, si ea potirentur. Nec enim ipsos vllo ex oppido, Athenis exceptis vel naues, & pecunias maiores consequi. Præterea sitam esse Corcyram loco peropportuno, siue quis Corinthiacum sinum spectet, siue reliquas vrbes ad eum pertinẽtes, siue agrum Laconicum infestare vellent; multo denique maxime opportunam esse ratione * continentis oppositæ, ac traiectus e Sicilia in Peloponesum. Quibus auditis Athenienses summopere sibi hac in parte laborandum existimabant. Itaque Stesiclem ducem cum cetratis plus minus I Ↄ C mittunt, & Alcetam rogant daret operam, vt in Corcyram exponerentur: qui quidẽ noctu quemdam in insulę locum transportati, oppidũ Corcyrense sunt ingressi. Præterea decretum ab Atheniensibus factũ, vt LX naues instruerentur, quibus omniũ suffragiis Timotheus imperator præficitur. Is quum Athenis numerũ illum explere non posset, ad insulas nauigans operã dabat, vt inde classem compararet: rem minime contemnendam esse ratus, aduersum naues iam collectas temere pergere. Verum Athenienses, quod existimarent hominem tempus id nauigãdum idoneum frustra conterere, nequaquam ei parcentes, summam rerum Iphicrati mandãt, abrogato illi alteri imperio. Iphicrates vbi factus imperator esset, celeriter admodum naues complebat, ac triremium præfectos vel inuitos cogebat. Pręterea sumebat secum naues omnes, quæcumq; oram Atticæ legebant, ac inter alias tum * Paralum, tum Salaminiam. Dicebat enim, si res in Corcyra prospere cederent, multas se naues ipsis remissurum. Hoc modo septuagin-

Corcyrensium ad Athenienses legatio.

**Vel. Epiri opposita. Nam e regione Corcyræ oppidi Buthrotus est, Epiri quondã regia, paruo interuallo Vnius miliarij Germanici.*

Timotheo imperium abrogatur:

**naues Atheniẽsiũ publicæ. Consule Suidam.*

tuaginta nauium numerum omnino expleuit. Interim Corcyrenses ad tantam famem redigebantur, vt ob trãsfugarum multitudinem Mnasippus proclamari per præcones iuberet, omnes se venditurum pretio, quicumque transfugerent. Quum autem nihilominus transfugerẽt tamdem eos etiam flagris cæsos dimittebat. Contra, qui erãt in vrbe, seruos suos amplius in vrbẽ non recipiebãt, sed eorum pleriq; foris peribant. Quæ quum Mnasippus videret, tantum non oppidum habere se iam existimabat, nouaq; ratione cum militibus conductitiis agebat. Quippe nonnullis eorum adimebat stipendia, nonnullis quos secum retinebat, duum mensium stipendium debebat: nec id propterea, quemadmodum ferebatur, quod pecuniarum inopia laboraret. Vrbes enim pleræque militum loco pecuniam miserãt, quippe quod esset hæc expeditio traiecticia. Interim oppidani conspecto de turribus, excubias negligentius agi, quam prius, & milites per insulam passim palatos obuagari: facto in eos ex oppido impetu nonnullos capiunt, nonnullos occidũt. Qua re Mnasippus animaduersa, non ipse solum arma corripiebat: sed etiàm tota cum graui armatura suis ferebat subsidium, & cohortiũ præfectis ac tribunis, vti conductitios milites educerẽt, imperabat. Heic quũ ductores quidam cohortium respondissent, non facile contineri posse in officio militẽ ab eo, qui necessaria nõ subministraret: Mnasippus hunc baculo, cuspide alium verberabat. Itaque tunc omnes animis exasperatis, odioq; plenis aduersus Mnasippum egrediuntur: quod sane ad pugnã minime conducit. Acie instructa Mnasippus hostes, qui ad oppidi portas erant, in fugã versos persequebatur. At hi posteaquã propius ad muros accessissent, cõuersi de monumẽtis tela iaculaq; coniiciebant. Præterea nonnulli ex ipsis per alias portas excurrentes, confertim in extremos irruebant. Illi, quod in octonos disposita esset ipsorum acies, rati hanc phalangis extremitatem imbecillam esse, conuertere se conabãtur. Quãprimum autẽ referre pedem cœpissent, hostes quidem in eos irruebant, quasi fugæ se darent: ipsi vero non iam amplius aciem conuertebant. Itaque etiam his proximi terga dabant. Non poterat tum suppetias iis ferre Mnasippus, qui

Mnasippus ob auariciam se cum suis euertit. 586

ab hoste premebantur, propter illorum impetum, quos aduersos habebat: & semper eorum numerus, qui cum ipso erant, imminuebatur. Tamdem hostes conferti Mnasippum cum iis, quos penes se perpaucos habebat, adoriuntur. Id quum grauis armaturæ pedites fieri cõspexissent, ipsi quoque de oppido in hostem pergunt. *Interitus Mnasippi.* Quumque Mnasippum interemissent, vniuersis inde cũ copiis hostem persequebantur: adeoque parum aberat, quin ipsa castra cum vallo caperent: quod quidem accidisset, si non hominum circumforaneorum, & calonum & mancipiorum turba conspecta, quoddam in his robur esse arbitrati, pedem retulissent. Ac tum quidem erecto tropæo Corcyrenses etiam mortuorum cadauera per indutias reddebant. Ceterum ab eo tempore firmioribus oppidani animis erant, contraque illi, qui foris eos obsidebant, omnino deiectis. Nam & fama ferebatur, tantum non adesse Iphicratem; & Corcyrenses reipsa naues suas instruebant. *Lacedæmoniorũ e Corcyra fuga.* Itaque Mnasippi legatus Hypermenes classem omnem, quæ istic erat, complet: ac circumnauigans ad vallum, naues vniuersas mancipiis & opibus oneratas dimittit. Ipse cum classiariis, reliquisq; militibus, qui e prœlio supererãt, vallum custodit. Tamdem hi quoque perturbati admodum conscensis triremibus discedunt, magna istic frumenti, vini mancipiorum copia cum militibus ægris relicta. vehemẽter enim metuebant, ne ab Atheniensibus in insula deprehenderentur. Ac hi quidem salui Leucadem peruenerũt. *Iphicratis singularis industria.* Ceterum Iphicates vt primum cum classe proficisci cœpit: eadem opera tum nauigabat, tum naualem ad pugnam omnino se comparabat. Nam mox vela magna domi relinquebat, vti qui ad prœlium nauale pergeret: atque etiam maioribus malis tametsi ventus secundus esset, raro vtebatur. Nimirum remigio classem agens efficiebat, vt & classiariorum corpora melius exercita, & agiliores naues essent. Sæpius etiam iis locis, vbi vel prandendũ vel cœnandum erat exercitui, a terra cornu classis abducebat. Quum autem conuersa deinde classe, ac triremibus terram aduersis proris spectantibus, ipse signo dato, certatim vt terram peterent, iuberet tum vero inter primos & aquã aliasq; res necessarias sumere, & prandere posse, magnum

magnum habebat propositum victoriæ præmium. Contra, satis erat magna multa, postremũ venientibus; quod & harum rerum tantam copiam non consequerentur, & naues rursum conscendere statim, vbi signum ipse dedisset, cogerentur. Ita enim fiebat; vt primi omnia per otiũ agerent, postremi magna cum festinatione. Quod si forte in hostico prãderet, excubias in terra, ceu par erat, cõstituebat: in nauibus autem malos adtollebat, ac de his omnia speculabatur. Quamobrem plerũq; longius his pspectus patebat, quã iis, qui plana in terra de loco subli miori speculabantur. Quod si alicubi vel pranderet, vel quieti se daret, ignem in castris noctu non accendebat: sed ante castra lumen excitabat, ne quis accedere clam posset. Sępenumero si trãquillitas esset, mox cœna sumta in altum prouehebatur: ac si quidem aura spiraret, inter nauigandum classiarij quietem capiebãt: sin vtendũ esset remigio, vicissim modo hos, modo illos quiescere iubebat. Interdiu nauigans signis datis nonnumquam in cornua, nonnumquã in phalangẽ aciem explicabat: quo fiebat, vt simul & nauigarent, & in omnibus ad prœlium nauale necessariis instructi atq; exerciti, mare illud ingrederentur: quod vti quidẽ ipsi arbitrabantur, ab hostibus teneretur. Prandebant autem plerũque, & cœnabãt in hostili solo. Et quia tantũ agebat hoc Iphicrates, quod factu esset opus: soluebat prius, quam succurri ab hoste posset, idq; ipsum celeriter conficiebat. Quo quidẽ tempore Mnasippus occubuit, forte ad Laconicę Sphageas erat. Inde profectus Eleorum in fines, & Alphei ostium prætervectus, ad locum qui * Piscis dicitur, portũ ingressus est. Hinc postridie soluens Cephalleniam versus, ita classis aciem ordinarat, & ita nauigabat: vt, si opus esset, instructus a necessariis rebus omnibus, nauali prœlio decerneret. Nã quæ Mnasippo accidisse ferebãtur, a nemine audierat, qui ipsus interfuisset: ideoque fallendi caussa spargi suspicabatur, & sibi eo cautius prospiciebat. Posteaquam vero ad Cephalleniam adpulit, certo, quod gestũ erat, intellexit: ideoq; suos istic aliquãtisper recreabat. Enimuero nõ ignoro equidẽ huiusmodi hominũ exercitationes institui, quoties existimatur futurũ vt pugna nauali decernatur: sed hoc laudo, quod quũ ce-

588

*Ichthys

leriter eo contendendum esset, vbi se Iphicrates prœlio nauali cum hoste congressurum arbitrabatur, rationem eam repererit, vt ipsius copiæ propter nauigationem rudes earum rerum non essent, quæ res ad nauale prœlium requiruntur: & propter has ipsas exercitationes tardius iter non facerent. Posteaquam oppida Cephalleniæ suam in potestatem redegisset, Corcyram petit. Heic quum primum audiisset, aduentare triremes decē, a Dionysio Lacedæmoniis in subsidium missas: insulam ingressus ipse, consideratoq; loco, vnde tum illi, qui aduentabant cum classe, conspici possent: tum sui qui daturi signum erant, in oppido cerni: speculatores ibidem constituit, eisq; significat, quo pacto aduentantibus, ac portum occupantibus hostium nauibus signum dandū esset. Interim ipse præfectis triremium x x mandata dat, quos, vbi opus esset, ad præconis vocem sequi se vellet: eisdem denuntiat, non esse, quòd de pœna querantur, si non sequerentur. Posteaquam de classis hostilis ad-

Iphicratis strategema.

589 uentu signum datum fuisset, auditaq; præconis vox: tum vero festinatio digna spectatu sequi. Etenim nemo erat eorum, qui naues conscendere iussi fuerant, qui non cursu ad eas contenderet. Itaque quum nauigasset ad eum locum Iphicrates, vbi triremes hostium erant, e ceteris quidem nauibus homines in terram egressos deprehendit: solus Melanippus Rhodius & aliis consulebat, vt istic non subsisterent, & ipse suis in nauem coactis discedebat. Quamobrem is, tametsi nauibus Iphicratis occurreret, nihilominus euasit. Syracusanæ vero naues vniuersæ vna cum ipsis vectoribus captæ sunt. Eas Iphicrates quum ornamentis rostrorum & aliis spoliasset, Corcyrensium in portum perduxit: hominibus autem certam pecuniam, quam persoluerent, Anippo duce excepto, constituit. Illum enim custodiebat, vt vel ab eo ingentē auri summam exigeret, vel hominem venderet. Verum is præ mœrore animi sponte sua sibi manus adtulit, ceteros Iphicrates dimisit, quum Corcyrenses pro debita pecuniæ summa sponsores se obtulissent. Alebat autem nautas suos ea ratione potissimum, vt Corcyrensibus in colendis agris operam suam locarent: cum cetratis vero, grauisq; armaturæ militibus classiariis, in Acarnaniam

Melanippus ceteris prudētior.

traici-

traiiciebat. Ibi & amicis oppidis ferebat opē, siquod ipsius
auxilio egeret: & bellum Thyriensibus, fortissimis viris,
oppidumq; sane munitum tenentibus, faciebat. Secundū
hæc Corcyrensium classe secū sumta, vt iam naues habe-
ret prope xc. primum in Cephalleniam, quum nauigaſ-
ſet, pecunias partim a volentibus, partim inuitis exige-
bat. Deinde se parabat, vt Lacedæmoniorum fines infe-
ſtaret, aliasque vrbes hoſtiles iis in partibus ſitas aut vo-
lentes ſibi adiungeret, aut dicto non audientes bello co-
geret. Ego quidem certe Iphicratis expeditionem hanc
inter alias, quas imperatorio munere fungens ſuſcepit,
non minima laude dignam ſtatuo: deinde hoc etiam
probo, quòd iuſſerit adtribui ſibi Calliſtratum oratorem
hominem gerendis rebus non admodum idoneum, vna
cum Chabria, qui ſummus tunc imperator habitus fuit.
Nam ſiue putabat hos eſſe prudentes, ac propterea vti
eis tanquam conſiliariis volebat, ſapienter feciſſe mihi
videtur: ſiue aduerſariorum eos loco habebat, hoc ipſum
fuiſſe viri audacter magno ſibi animo confidentis arbi-
tror, nequaquam futurum, vti vel per ignauiam, vel ne-
gligentiam quidquam committere deprehenderetur.
Atque hæc fuere tunc ab eo geſta. Ceterum Athenien- 590
ſes, vt eiectos Bœotia Platęenſes, reipublicæ ſuæ amicos,
ad ſe confugere: prætereaque Theſpienſes ſuppliciter o-
rare videbant, ne ſe patria carere paterentur: non iam
illi quidem Thebanos laudabant, bellum tamen eis ne
facerent, partim verecundia præpediebantur, partim re-
bus id ſuis haud conducere ſtatuebant. Verum poſtea,
quam eos cernebant bello Phocenſes perſequi, amicos
reipublicæ ſuæ veteres: itemque vrbes euertere, quæ &
fidem in bello aduerſus barbarum regem geſto ſummā
ſibi declaraſſent, & ipſorum amicitia tenerentur: non
amplius horū facinorum eſſe participes volebant. Qua-
propter ex eo tempore plebiſcito de pace ineunda facto,
primum Thebas legatos mittunt, qui Thebanos horta-
rentur, vt ſi quidem ita videretur ipſis, ineundæ p[illegible]is
cauſſa ſe Lacedæmonem ſequerentur: deinde ſuos La-
cedæmonem ire iubent, in quibus lecti fuere Callias
Hipponici filius, Autocles Strombichidæ, Demoſtra-
tus Ariſtophontis, Ariſtocles, Cephiſodotus, Mela-

Atheniē ſes rurſū pacem facere conātur.

nopus, Lycanthus. Posteaquam hi ad concilij Laconici principes, eorumque socios accessissent, præsente oratore Callistrato (nam quum is Iphicrati policitus fuisset, se, si ab ipso dimitteretur, vel pecuniam pro naualibus copiis missurum, vel confecturum pacem: ita tunc ex eo tempore versabatur Athenis, deque pace agebat) ad cōcilium inquam Laconicum, & ad socios horum posteaquam venissent: primus ex eis Callias † Daduchus verba fecit, qui vir eiusmodi erat, vt non minus ab se, quā ab aliis laudari se gauderet. Atq; is in hanc sententiam dicere cepit: Ius hospitij publicum, Lacedæmonij, quod mihi vobiscum est, non ego primus sum consequutus: sed auus meus a patre quum accepisset, familiæ nostræ tradidit. Quo autem animo semper erga nos patria nostra sit, itidē significare vobis volo. Nam ea belli temporibus imperatores nos creat. Rursus vbi quietem desiderat, nos pacis conciliatores ad alios mittit. Ego ipse bis antehac ad vos belli componendi caussa veni, ac vtraque in legatione perinde nobis ac vobis pacem confeci. Nunc tertium ad vos venio, meque arbitror optimo iure mutuam reconciliationem nunc impetrare debere. Video enim non iam alia vobis, nobis itidem alia videri: sed vos æque, ac nos, euersionem Platæensium & Thespiensium grauiter, molesteque ferre. Cur igitur non æquum sit eos, qui eadem sunt in sententia, potius amicos inter se, quam hostes esse?

591 Hominum quidem certe sapientum est, ne quidem si graues sint controuersiæ, bellum suscipere. Iam si prorsus etiam cōsentiamus, an non mirum omnino videri debeat, nolle nos pacem facere? Quin æquum erat, nos ne arma quidem alteros alteris inferre. Nā memoriæ proditū est, ex maioribus nostris Triptolemum Cereris ac Proserpinæ arcana sacra primum exteris ostendisse, nimirum Herculi summo præsidi vestro, & ciuibus vestris, † ambobus Dioscuris. Idem frugum Cereris semina primæ omnium Peloponeso donasse fertur. Qui ergo fuerit æquum, vel vos ad eorum fruges vastandas pergere, a quibus semina ipsi acceperitis: vel nos nolle maximam illos alimenti copiam habere, quibus hoc antea donauerimus? Quod si diuinitus ita decretum est, vt bella inter homines exi-

† qui facē præfert, aut tædifer. Ita vocabantur Cereris sacerdotes

† Castori & Polluci.

stanti

rant: sane nos quamtardissime initium belli facere con-
uenit, atque exortum quam fieri potest celerrime com-
ponere. Post hunc Autocles, qui orator esse sollers & a-
cris existimabatur, huiusmodi quædam protulit: Quã-
quam non ignorem, Lacedæmonij, minime iucunda
vobis auditu fore, quæ dicam: tamen statuo debere illos,
qui amicitiam, quam ineunt, diutissime solidam esse cu-
piunt, belli caussas inuicem sibi commonstrare. Vos au-
tem semper liberas esse debere ciuitates dicitis, quum
libertati earum maxime sitis impedimento. Hanc enim
in primis condicionem fœderatis vrbibus fertis, vt vos,
quocũq; tandẽ duxeritis, sequãtur. At vero quid hoc ad
libertatẽ? Iidẽ hostes declaratis re prius cũ fœderatis nõ
cõmunicata: deinde aduersus eos ducitis. Quo fit, vt sæ-
penumero cogãtur ij, quos liberos dicitis, aduersus ho-
mines amicissimos arma ferre. Præter hæc multo ma-
xime libertati aduersatur, quod heic Decemuiratus,
illic Trigintauiratus instituitis. Atque hi magistratus
non vti legitime cum imperio præsint, operam datis:
sed vt oppida vi retinere possint. Quo fit, vt potius vos
tyrannides, quam respublicæ delectare videantur. Iam
quum rex Persicus ediceret, debere Græcas vrbes esse li-
beras: plane præ vobis ferebatis, quasi Thebanos con-
tra litteras regias facturos censeretis, si non ciuitatibus
singulis potestatem administratione legibusque suis
vtendi facerent. Post vbi Cadmeam occupassetis, ne
ipsos quidem Thebanos frui libertate sua passi estis. 59A
At enim eos, qui esse amici cupiunt, ab aliis exigere
non oportet, vt ex æquo & bono secum agatur: atque
interim ipsos declarare, se nihil non iniuste concupisce-
re, modo potentiam maximam consequantur. Hæc v-
bi proloquutus fuisset, non silentium modo sequu-
tum est: sed illi etiam de oratione ipsius voluptatem vti
caperent, fecit: qui Lacedæmoniis infensi erant. Post
eum Callistratus hanc orationem habuit: Equidem, La-
cedæmonij, dicere non possum, nulla vel a nobis, vel a
vobis errata profecta esse. Neque tamen ea sum in sen-
tentia, vt iis amplius vtendum esse negem, qui delique-
re. Video enim, neminem hominum perpetuo immunẽ
a peccatis esse. Quin & hoc perspicio, nonnumquam

» homines maiorem prudentiæ copiam peccando parare?
» præsertim si peccatis erudiantur, id quod nobis vsu ve-
» nit. Itidem vobis nonnumquam video propter inique
» acta multa accidisse aduersa, quorum in numero est &
» Cadmea Thebis a vobis occupata. Nam quum modo
» summo in id studio incumberetis, vt ciuitates in liber-
» tatem adsereretis: vbi primum iniuria Thebani a vobis
» adfecti fuerunt, rursus vniuersæ illorum partes sequutæ
» sunt. Quapropter equidem bona in spe sum, futurum: vt
» edocti, libidinem habendi nimiam minime fructuosam
» esse, deinceps in amicitia mutua colenda æquiores sitis.
» Nam quod illi, qui pacem hanc impedire volunt, falso
» criminantur: venisse nos huc, nõ expetitum amicitiam
» vestram, sed quod vereamur, ne cum pecuniis Antalci-
» das a rege redeat: hi homines quas nugas agant, velim
» cum animis vestris expendatis. Rex enim perscripsit, v-
» niuersas in Græcia ciuitates esse debere, liberas. Hac in
» parte quum nos idẽ & dicamus, & faciamus: quid caus-
» sæ fuerit, quamobrem a rege nobis metuamus? Regem-
» ne quis arbitratur magnis pecuniarum impẽsis aliorum
» opes amplificare velle potius, quam sine sumtu suo ea,
» quæ esse ex re sua maxime statuat, sibi ipsi effecta dare?
» Verum esto: quamobrem tamdẽ huc venimus? Ob ino-
» piam quidem certe non venisse nos, intelligetis facile:
» si, quæ in hoc tempore sit potentia nostra mari, quæve
» terra, respexeritis. Quid igitur est caussæ? Nimirum li-
» quido patet, plerosque sociorum ea designare, quæ ne-
» que nobis grata sint, neque vobis placeant. Præterea lu-
» benter vobis ea, quæ recte a nobis animaduersa sunt, in-
» dicauerimus: idque propterea, quod & ipsi nos conser-
593 uaueritis. Iam si vtilitatis etiam facienda mentio est, vr-
» bes vniuersæ partim nobis, partim vobis addictæ sunt: &
» in singulis alij Lacedæmoniorum, Atheniensium alij
» partibus fauent. Itaque si nos ipsi amicitiam ineamus,
» vnde tamdem quidquam nobis exspectandum merito
» sit rei molestæ? Nam si vos amici nobis sitis, quis terra
» nos possit lædere? quis item mari detrimentum rebus
» vestris adtulerit, si nos amicos habeatis? Enimuero sem-
» per & oriri, & rursum componi bella, nemo est qui ne-
» sciat: nos ipsi si non modo, tamen aliquando pacem ex-
pete-

petemus. Cur igitur id tempus exspectemus, quo victi malorum multitudine deficiamus, ac nō potius quammaturrime pacem faciamus prius, quā malum aliquod immedicabile oriatur? Equidē nec illos laudo, qui quū in certaminibus potiti sunt victoria sæpius, atque etiam gloriam retulere, adeo tamen contentiosi sunt, vt prius non desistant, quam victi, exercitationem omnem abiiciant: nec item aleatores, quibus si vnum aliquid ex animi sententia succedat, de duplo talos iaciunt. Nam plerosque horum video extremam ad inopiam redigi. Quę quum & ipsi perspiciamus, in eiusmodi certamen haudquaquam descendamus, vt omnia vel cōsequi, vel amittere velimus: quin potius dum vires integræ sunt, fortunaque vtimur prospera, amicitiam inter nos contrahamus. Ita enim & nos vestra opera, & vos nostra lōge ampliores, quam superioribus temporibus, in Græcia erimus. Posteaquam hi præclare disseruisse visi fuissent, etiam Lacedæmonij decreto sanciunt, pacem hanc accipiendam esse condicionibus huiusmodi: Vt præfectos suos ex vrbibus educerent: exercitus tam maritimos, quā terrestres dimitterent: vrbes libertate frui sinerēt. Si quis aliquid aduersus hæc designaret, posse quemuis vrbibus per iniuriam oppressis opem ferre, qui quidem velit: si quis autem nolit, eum † sacramento ad ferendum adfectis iniuria suppetias, minime teneri. Secundum hæc Lacedæmonij, tum suo, tum sociorum nomine iusiurandū præstiterūt: Athenienses autem, eorumque socij, singuli suarum rerumpublicarum nomine. Quumque Thebani etiam inter vrbes alias, quæ sacramentum præstiterant, nomen suum professi fuissent: postridie reuersi eorum legati petebant, vti mutata scriptura, pro Thebanis substitueretur iurasse Bœotos. Respondebat iis Agesilaus, nihil eorum se mutaturum, quæ prius & sacramento confirmassent, & fuissent professi. Quod si fœderis participes esse nollent, deleturum se nomen ipsorum aiebat, si quidem ita iuberent. Hoc modo ceteris pacem facientibus, quum Thebanorum in caussa tantum controuerteretur: arbitrabantur Athenienses, expectandum nunc esse, vt Thebani decumarentur, vti quidem ferebatur. Quin & ipsi Thebani mæsti protinus discedebāt.

Condiciones pacis initæ.

† Lectio marginis.

594

Agesilaus Thebanos excludit e fœdere.

Post hæc deducunt præsidia ex vrbibus Athenienses, ac Iphicratem vna cum classe reuocant, eumque cogunt omnia restituere, quæcumque post sacramento confirmatum Lacedæmone fœdus cepisset. Itidem Lacedæmonij ceteris ex vrbibus præfectos, cum præsidiis, educebât: excepto Cleombroto, qui Phocensium in finibus copiis præerat, & quid faciundum sibi esset, a magistratibus Spartanis quærebat. Heic quum sententiam dixisset Prothous videri sibi dimittendas esse secundum iurisiurandi formulam copias, ac significandum passim ciuitatibus, vt singulæ tantum conferrent in fanum Apollinis, quantum quæq; vellet: ac si deinde quis vrbium libertati officeret, rursum excitandos esse socios, quicumque libertatem defendere suis auxiliis cuperent, atq; ita ducendum aduersus hostes exercitum: quod existimaret hoc modo tum deos maxime propitios futuros, tum vrbes ipsas haud grauatim ista laturas: auditis iis, conciliũ publicum nugas hominem agere cēsuit, quod iam a numine agitabātur, vt credi par est: simul Cleombroto denuntiant, minime copias dimitteret, sed quamprimum aduersus Thebanos duceret, ni ciuitatibus libertatem restituerent. Nam is postea, quam pacem esse factam audierat, miserat ad Ephoros interrogatum, quid sibi faciundum esset. Mandant illi, vt Thebanis bellum faceret, nisi ciuitates Bœoticas libertate frui finerent. Itaq; quũ animaduertisset, tantum abesse, vt liberas Bœoti ciuitates esse permitteret, vt non dimissis copiis, † etiam cōtra Cleombrotum suos in aciem educerent: ita demum in Bœotiam cum exercitu pergit, & qua quidem eum irrupturum e finibus Phocensium in suos Thebani arbitrabantur, non irrupit: sed via montana, eaque improuisa per Thisbas profectus Creusim peruenit, ac vna cum oppido triremes Thebanorum XII. cepit. Quibus rebus gestis, a mari adscendens ad Leuctra, Thespiensium in finibus, castra locat. Ei castra sua Thebani aduerso in tumulo, non magno ex interuallo, opponunt, quũ sociorũ copias, extra Bœoticas, omnino nullas haberent. Heic quum ad Cleombrotum amici accessissent: Si Thebanos, inquiunt, hinc non commisso prœlio, Cleombrote, discedere passus fueris: periculum erit, ne te extremo patria

Æquissima Prothoi sententia exploditur.

Inclinationis potentiæ Laconicæ initium.

† Lectio marginis.

595 *Importunum Cleōbroti amicorum cōsilium.*

tria supplicio multet. Repetent enim hoc quoque memoria, non vastatos abs te Thebanorum fuisse fines id temporis, quum ad Cynos-cephalas venisses: & quod deinceps suscepta aduersus eos expeditione, prohibitus aditu fueris, Agesilao semper in eorum fines per Cithæronem irrumpente. Quapropter si tua tibi curæ est incolumitas, si patriæ videndæ desiderio tangeris: in hostē modo tibi pergendum erit. Huiusmodi amicorum erat oratio. Qui autem a Cleombroto dissidebant: Nunc ostendet, aiebant, Thebanisne reuera faueat, vti perhibetur. Hæc quum Cleombrotus audiret, ad committendam pugnam iritabatur. Contra, Thebani quoque proceres ratiocinabantur, si prœlio non decernerent, ab ipsorum fide discessura finitima oppida, sequuturamque Thebarum obsidionem. Iam si commeatum populus Thebanus nullum habiturus esset, periculum fore, ne ipsa sit eis vrbs etiam aduersatura. Quamobrem colligebant secum, vt qui plerique antehac exsulassent: satius esse, pugnando mortem oppetere, quam rursus in exilium eiici. Præterea nonnihil eis addebat animi quoddam * oraculum, quo ferebatur, eo loci Lacedæmonios cladē perpessuros: quo virginum illarum monumentum esset, quę ob illatum sibi vi stuprum a Lacedæmoniis quibusdam, seipsas interemisse perhibentur. Atque hoc ipsum monumentum ante pugnam Thebani ornabant. Et nuntiabatur iisdem e ciuitate, fana vniuersa sponte sua se aperuisse, ipsasque sacerdotes dicere, portendi victoriam diuinitus. Ferebatur etiam, de Herculis fano arma euanuisse, quasi ad prœlium Hercules profectus esset. A nōnullis tamen proditur, reipublicæ præfectorum hæc omnia fuisse commenta. Lacedæmoniis autem aduersa ad hoc prœlium accidisse omnia constat, quum quæ a Thebanis fierent, præclare fortuna verteret omnia. Nam Cleombrotus a prandio de pugna postremum deliberabat. Et quia largius in meridie biberant, ferebatur etiā ipsos a vino fuisse nonnihil incitatos. Posteaquā vtriq; armis se munirēt, iamq; cuiuis pateret cōmittendam esse pugnā: primū excedere de Bœotorū exercitu incipiunt ij, qui forū rerum venaliū parauerant, itemq; nonnulli calones & alij, qui pugnare nolebant. Tū vero itinere flexo 596

**De hoc oraculo, monumento, totaq; historia, consule Pausania cōmentariū Bœoticum.*

Prodigia Leuctricā pugnam præcedūt.

Quā multis partib: potior fuerit Thebanorum cōdicio.

circumeuntes Hieronis ſtipendarij cum Phocẽſium cētratis,ac quibuſdam Heraclienſibus, Phliaſiiſq; equitibus: diſcedentes adoriuntur, & ad ſuos reuerti cogunt, fugiẽtes ad ipſa Bœotorũ vſque caſtra perſequuti. Quapropter Bœotorum exercitus ab ipſis hoſtibus lõge redditus eſt tum amplior, tum numeroſior, quam prius. Deinde Lacedæmonij, quod locus inter vtraſque copias interiectus campeſtris eſſet, equites prima in acie ante phalangem collocabant, quibus equites itidem ſuos Thebani opponebant. Erant autem equeſtres Thebanorum copiæ partim propter geſtum aduerſus Orchomenios,partim aduerſus Theſpienſes bellum exercitatæ: quum id temporis Lacedæmoniorum equitatus ignauiſſimus eſſet. Nam equos opulentiſſimus quiſque alebat,quotieſque delectus haberentur, veniebat is,qui militiæ deſtinatus erat:acceptoque tum equo, tum armis, qualiacumque tamdem ſuppeditarentur, in expeditionem ſubito properabat. Præterea milites equis erant impoſiti, qui & corporibus eſſent maxime imbecillis, & gloriæ cupiditate non admodum ducerentur. Atque huiuſmodi tunc erat vtriuſque partis equitatus. Ceterum perhibebatur,Lacedęmonios phalangem manipulis in ternos explicatis duxiſſe:quo fiebat, vt ipſorũ acies tantum milites XII eſſet denſa. Thebani contra, ſic aciem ſuam denſauerant:vt in latitudine non pauciores L ſcutatis eſſent. Nam ratiocinabantur futurum, vt illa hoſtilis aciei parte victa,quæ circum regem eſſet,reliqui facile ſuperarentur. Poſteaquam mouere Cleombrotus in hoſtem cœpiſſet, primum etiam ante, quã ipſius copiæ ſenſiſſent,eum aduerſus hoſtem ducere, iam conflixerant equites: inque hoc conflictu Lacedæmoniorum equitatus cito ſuccubuerat. Itaque is fugiẽs, in ſuos grauis armaturæ pedites irruerat. Præterea Thebanæ cohortes in eoſdem impreſſionem faciebant. Nihilominus copias Cleombroti ab initio ſuperiores in pugna fuiſſe,vel de hoc aliquis argumento certo animaduertere poſſit. Non enim tollere Cleombrotum, viuumque deportare extra aciem potuiſſent: ſi non id temporis ij, qui ante ipſum dimicabant, ſuperiores exſtitiſſent. At poſteaquam & ipſe, & Dino Polemarchus, & Sphodrias,

Clades Lacedæmoniorũ ad Leuctra.

vnus

vnus ex illis, qui † publico tabernaculo vtebantur, eiusque filius Cleonymus cecidissent: & equites cum iis, qui Polemarchi comites adpellantur, itidemque ceteri ab hominum turba impulsi pedem retulissent: alij Lacedæmonij, qui læuo erant in latere, premi cornu dextrum conspicati, & ipsi loco cederent: multis denique pereuntibus, quum victi fossa, quæ ante ipsorum castra erat, superata, in armis eo loco constitissent, vnde progressi fuerant: (& habebant loco non admodum plano castra, sed potius nonnihil accliui) tum vero nonnulli ex Lacedæmoniis erant, qui non ferendam hanc cladem arbitrarentur, ideoque dicerent haudquaquam permittẽdum hosti, vt tropæum statueret, tollendaque mortuorum cadauera non per inducias, sed commisso cum hostibus prœlio. Verum polemarchi, quod ex vniuersis Lacedæmoniis prope CIↃ occubuisse cernerent, atque etiam de ℩ↃCC Spartanis (tot enim istic fuerant) CCCC periisse: præterea socios omnes animaduerterẽt minime ad pugnãdum alacres esse: ac nonnullos ex eis id, quod accidisset, haud grauatim ferre: collectis hominibus maxime idoneis, quid agendum esset, deliberabant. Posteaquam omnes censuissent, interfectorum cadauera per inducias esse tollenda: caduceatorem mittunt, qui de induciis ageret. Secundum hæc Thebani tropæum excitant, ac per inducias mortuos reddunt. His actis, venit Lacedæmonem cladis nuntius, idq; die vltimo ludorum, qui a nudis exhibebantur, quum iam chorus virilis ingressus esset. Ephori de clade certiores redditi, erant illi quidẽ in mœrore, idque necessario, mea sane sententia: non tamen chorum exire iubebant, sed peragendi muneris copiam faciebant. Deinde nomina interfectorum propinquis tradunt, simulque mulieribus edicunt, ne clamorẽ tollerent, sed tacite calamitatem hanc ferrent. Postridie cernere erat illos, quorum propinqui occurrebant, nitidos ac lætos in publico versari: quorum autem cognati superstites esse nuntiati fuerant, perpaucos vidisses, eosque vultu tristi ac deiecto obambulantes. Secundum ea delectus Ephori reliquarum cohortium habebant, vsq; ad illos, qui annum a pubertate XL excesserant. Præterea quosdam mittebant eiusdem ætatis ex iis etiam cohor-

† Consule Notas. 597

Lacedæmoniorũ magnanimitas.

tibus, quas domi nō habebant. Nam ante prœlium hoc, suos aduersus Phocenses militatum miserant, omnes quotquot annos XXXV a pubertate exegerant. Iussi denique sunt & illi militatum ire, qui vt magistratus quosdam obirent, domi relicti fuerant. Necdum adhuc Agesilaus conualuerat. Quapropter Archidamum eius filium respublica suis copiis præfecit. Ei se perlubenter hac in expeditione Tegeatæ adiungebant, quod adhuc ij, qui Stasippo duce Lacedæmoniis fauebant, superstites essent, neque parum in republica sua possent. Itidem Mantinæi validis cum copiis, de vicis ipsorū collectis, hac in expeditione sequebantur: quod ab optimatibus regerentur. Præterea Corinthij, Sicyonij, Phliasij, Achæi alacriter admodum sequebantur, aliis etiam ciuitatibus milites suos mittentibus. Triremes quoque tum a Lacedæmoniis ipsis, tum Corinthiis instruebantur: simulque Sicyonij rogabantur, vt & ipsi quasdam instruerent, quibus Lacedæmonij copias suas transportare cogitabant. Hinc Archidamus exta de traiiciendo exercitu consulebat. Thebani vero statim a pugna nuntium coronatum Athenas mittunt, perque hunc tum victoriæ magnitudinem exponunt, tum ad ferendum opē Athenienses hortabantur. Aiebant enim, posse modo a Lacedæmoniis exigi pœnas eorum omnium nomine, quæ aduersus ipsos designassent. Forte tum Senatus Atheniensis in arce sedebat. Is quum de re tota certior factus esset, perquam grauiter molesteque casum hunc ferebat, id quod ab omnib. animaduerti poterat. Quippe nec vt hospitem excipiebant hunc nuntium, & de auxiliis respondebant omnino nihil. Itaque quum nuntius Athenis hoc modo rediisset, magna cum festinatione Thebani ad Iasonem, quem habebant socium, mittunt: eumque cohortantur, vti opem ipsis ferret. Nam secum ipsi, quo res euasura esset, discipiebant. Is confestim expediri triremes iubet, quasi mari laturus eis esset suppetias. Interim ipse sumtis secum mercenariis copiis, & equestribus, quas alebat, tametsi Phocenses bellū implacabile aduersus ipsum gererent: terrestri tamen itinere in Bœotiam profectus est, citius quibusdam in vrbibus visus, quam quo pergeret nuntiatum esset. Idem prius, quam

598

Archidamus Agesilai filius, copiis præficitur.

Atheniēsium erga Lacedæmonios cōmiseratio.

Iasonis Thessali celeritas.

quam colligi copiæ vndecumque possent, procul euaserat: qua quidem re declarabat, sæpenumero ea, quæ geri debeant, celeritate facilius, quam vi perfici. Posteaquam in Bœotiam venisset, ac Thebani tempus oblatum esse dicerent idoneum, quo Iason de superiori loco mercenario cum milite: ipsi ex aduerso Lacedæmonios inuaderent: ab hoc eos ille instituto auertit, quum moneret, re præclare gesta non operæpretium esse, vt in id periculum se rursus coniicerent, quo vel maiora perpetrarent: vel victoriam, quam adepti essent, amitterent: *Iasonis prudētia.* An non videtis, inquit, vos etiam eo tempore victoria potitos esse, quo maxima necessitate vrgebamini? Quapropter putandum est, Lacedæmonios quoque, si eo redigantur, vt vitæ spem abiiciant, salute desperata pugnaturos. Præterea Deo, vti quidem videtur, sæpenumero volupe est eos, qui parui sunt, magnos: qui magni sunt, paruos facere. Huiusmodi verbis Thebanos, quo minus de summa rerum periclitarentur, auertebat. 599 Ex altera parte Lacedæmonios docebat, cuiusmodi sit victus, cuiusmodi victor exercitus. Quod si, ait, obliuisci cladis eius, quæ vobis accidit, vultis: equidem hoc vobis consilij do, vt posteaquam nonnihil refecti eritis, maioremque potentiam nancti: sic deinde Thebanos, iam inuictos, adoriamini. Nam hoc tempore scire vos volo, quosdam e sociis vestris esse, qui de amicitia ineunda cum hostibus colloquantur. Quamobrem vobis omnino danda est opera, vt inducias impetretis. Atque hæc, inquit, ago tanto studio, quod vestræ saluti consulere cupiam: partim propter eam amicitiam, quæ patri meo vobiscum intercessit: partim quod hospes vester publicus sim. Huiusmodi quædam ab Iasone dicebantur, quamquam hæc fortasis idcirco faceret, vt vtrique inter se dissidentes ipsius opera indigerent. *Consilio Iasonis pax constituitur.* Ceterum Lacedæmonij, posteaquam ipsum audiissent: vti de induciis ageret, hortabantur. Posteaquam renuntiatum esset, inducias iam esse confectas: mandant polemarchi suis, vt omnes sumta cœna sese ad iter pararent, quod noctu faciundum esset, vt cum prima luce Cithæronem adscenderēt. Vbi cœnassent, militibus ante somnum sequi iussis, statim a vespera ducebant eos itine-

re, quo per Creusim pergitur, quod clandestinæ profectioni potius, quam induciis vellent fidere. Confecto difficili itinere (quippe quod & noctu, & magno in metu, & via permolesta discederent) ad oppidum Megaricæ ditionis Ægosthena perueniunt, vbi copias Archidami obuias habebant. Is vero cum isthic exspectasset, donec omnes socii conuenissent: exercitum vniuersum Corinthum vsque abducit, inde socios dimittit, & ciues ipse domum ducit. Iason per Phocidem discedens, Hyampolitarum suburbium cepit, agrum populatus est, multos occidit: reliqua Phocide sic peragrata, vt nihil amplius moliretur. Heracleam vbi venisset, Heracliensium mœnia † deiecit: non hoc veritus, ne si transitus is pateret, ditionem ipsius aliqui inuaderent: sed secum potius ipse cogitans, ne qui capta Heraclea, loco sita angusto, prohiberent; quominus in Græciam pergere posset, quocunque ipsi liberet. In Thessaliam vbi rediisset, vir magnus habebatur, partim, quod lege Thessalorum dux constitutus esset, partim quod magnas stipendiariorum militum copias, pedestres & equestres aleret, easque sic laboribus adsuetas, vt longe præstantissimi essent. Præterea maior erat eam ob causam, quòd & multos socios iam haberet, & plures ei se vellent adiungere. Denique hominum seculi sui maximus erat in eo, quòd nemini esset contemtui. Posteaquam adpetiissent Pythia, denuntiabat oppidis, vt boues, oues, capras, sues alerent, seque compararent ad sacrificium. Ferebatur verò, tametsi moderatè admodum oppidis singulis aliquid imperasset, tamen consequutus esse boues non pauciores quam c I ɔ, reliqui pecoris supra c c I ɔ ɔ. Præterea per præconem significari iussit, futurum victoriæ præmium coronam auream, si qua ciuitas bouem ducem pulcherrimum Deo pauisset. Etiam hoc Thessalis denuntiabat, vt ad expeditionem se pararent, quam id temporis, quo Pythia celebrantur, suscepturi essent. Nam cogitabat, vt aiunt, celebritatis eius ac ludorum moderator esse. Quid autem de sacris ipse pecuniis cogitarit, etiam nunc obscurum est. Fertur enim quærentibus Delphis, quid faciundum esset, si consecratas Apollini pecunias Iason adtrectaret: Deum illum respondis-

† al. cepit.

600

Iasonis potentia.

disse, sibi eam rem curæ futuram. Tantus vir, & qui talia tantaque haberet in animo, quum lustrationem equitatus Pheræorum instituerct, & periculum de eo facere vellet, iamque consedisset, ac responsurus illis esset quibus aliqua in re opera ipsius opus foret: a septem adolescentibus ad ipsum accedentibus, quasi quadã in caussa dissiderent, iugulatur & conficitur. Quumque viriliter satellites ij, qui aderant, ad opem ei ferendam accurrissent: vnus adhuc Iasonem feriens, hasta percussus interficitur: alius, quum equum conscendisset, cõprehensus, multis acceptis vulneribus & ipse moritur. Ceteri paratos in equos insilientes effugere, qui sane quascumq; in vrbes Græciæ venirent, maxima ex parte summis excepti sunt honoribus. Qua ex re patebat, Græcos ab eo vehementer sibi metuisse, ne tyrãnidem arriperet. Mortuo Iasone, fratres ipsius, Polydorus & Polyphro, duces creati sunt. Quumq; Larissam ambo proficiscerentur, noctu Polydorus a Polyphrone fratre interemtus est, vti quidem videbatur. Etenim morte subita, & cuius esset obscura caussa, extinctus est. Polyphro imperium anno vno tenuit, & administrationem instituit tyrannidi similem. Nam & Pharsali Polydamantem, aliosque ciues octo præstantissimos interfecit, & Larissa multos in exsilium eiecit. Verum & is quum talia patraret, interfectus est ab Alexandro, sub specie vindicandi mortem Polydori, & huius tyrannidem euertendi. Alexander quũ imperium accepisset, non Thessalis modo dux grauis erat: verumetiam grauis Thebanis, & Atheniensibus infestus, iniustusque terra & mari prędo. Talis autem quũ esset, opera quidem fratrum vxoris, sed consilio tamen eiusdem est interfectus. Nam ea fratribus enuntiarat, insidiari Alexandrum ipsis: ideoque diẽ totum domi cõclusos occultarat. Post, vbi Alexandrum ebrium ad se recepisset, quamprimum is obdormiuisset, ardente lucerna, gladium eius extulit. Quumq; cunctari fratres animaduerteret, quo minus ad Alexandrum ingrederẽtur: excitaturam se dixit hominem, ni mox rem perpetrarent. Itaq; illis ingressis, adtracta ianua, tam diu pessulũ tenebat: donec maritus interfectus esset. Ceterum orta inter ipsam & Alexandrum hæc inimicitia fertur esse se-

Iason interficitur.

Frater interficit fratrem. 601

Alexander interficitur.

cundum quosdam ex eo, quod quum amores suos adolescentem venustum, vinculis Alexander constrinxisset: ipsa rogante, vt eum liberaret, eductum iugulasset. Alij quidam referunt, quod quum ex hac vxore liberos nullos susciperet, missis Thebas suis vxorem Iasonis sibi iũgendam nuptiis iteratis desponsaret. Hæ fuisse perhibentur caussæ, quamobrem vxor ei fuerit insidiata. Ceterum natu maximus ex iis fratribus Tisiphonus imperium ad hoc vsq; tempus, quo historiæ liber hic scribebatur, obtinebat. Atq; hactenus res Thessalicas, quæcumque Iasoni obtigere, quæque post mortem illius vsq; ad Tisiphoni imperium gesta sunt, exposuimus. Nunc eo redeo, vnde ad hæc sum digressus. Etenim posteaquã Archidamus ab expeditione, qua suis ad Leuctra ferre suppetias volebat, domum copias reduxisset: secum ipsi cogitantes Athenienses, adhuc existimare Peloponesios, debere ceteros in Græcia se duces sequi, & Lacedęmoniorum eo loco res nec dum esse, quo Atheniẽses aliquan-
602 do redegissent: arcessunt ad se vrbes omnes, quotquot esse participes pacis eius vellent, quam rex præscriptam ad ipsos misisset. Vbi conuenissent, decretum faciunt vna cum iis, qui venire in societatem vellent, vt in hæc verba iurarent: Persistam in fœderibus, quæ rex ad nos misit, ac in Atheniensium sociorumq; decretis. Quod si quis bellum fecerit vlli ciuitatum, quæ iusiurandum hoc præstiterint: totis viribus opem feram. Atq; hoc iusiurãdum ceteris placebat omnibus, soli Elei aduersabantur, non esse cur sui iuris & liberi sint vel Marganenses, vel Scilluntij, vel Triphilij. Nam hæc oppida Eleorum esse. Verum Athenienses cum ceteris decreto facto ex regis litterarum sententia, vt pariter & exigua & magna oppida libera essent: mittunt quosdam sacramenti exactores, eosque singulis in vrbibus magistratus quosque amplissimos iureiurando adstringere iubent. Itaq; iuratum ab omnibus, extraquam ab Eleis. Quæ res fecit, vt etiam Mãtinæi, quasi qui iã prorsus essent iuris sui, omnes cõuenirent, decretumq; facerent de vno oppido Mantinęa condendo ac muniendo. Contra vero Lacedæmonij arbitrabantur, si hoc absque ipsorum consensu fieret, molestum sibi futurum. Quapropter Agesilaum ad Mantinæos

Atheniẽses pacis auctores.

næos legatum mittunt, quod is videretur paternus eis amicus esse. Hic quum ad ipsos venisset, nolebant Mantinæorum magistratus populum ei cogere; iubebantque, vt apud se, quæ vellet, diceret. At Agesilaus eis pollicebatur, perfecturum se, vt si in hoc tempore ab oppidi communitione abstinerent; deinceps cum Spartæ consensu, neque magno sumtu, mœnia exstruerentur. Quum autem respondissent, fieri non posse, vt ab hoc abstineretur, quando tota respublica nunc vrbem munire decreuisset: iratus Agesilaus discedit, quamquam aduersus eos id temporis bellum suscipi minime posse statueret, quod ea condicione pax esset constituta, vt ciuitates sui iuris essent. Ceterum etiam Archadicæ quædam vrbes Mantinæis suos mittebant, mœniumque iuuabant exstructionem: & Elei † x x x auri talenta conferebant ad sumtus, qui muro conficiundo requirerentur. Atque his tum rebus Mantinæi occupabantur. Ex Tegeatis vero quotquot Callibij Proxenique partibus fauebant, hoc agebant, vt tota Arcadica natio coiret, ac quæcumque pars ipsorum in communitate suffragiis superior esset, ea potestatem etiam in oppida maximam obtineret. Contra Stasippi factio in hoc erat, vt nihil in republica innouaretur, patriæque leges vigerent. Quum autem in theatris ij, qui Proxeno & Callibio adhærebant, inferiores discederent: rati si populus conuenisset, longe se numero superaturos, arma efferunt. Id quum Stasippi videret factio, armis & ipsi se muniunt, ac numero non inferiores erant. Vbi ad manus ventum esset, Proxenum vna cum paucis aliis occidunt, ceteros in fugam actos non persequuntur. Nam vir eiusmodi Stasippus erat, qui multos ex ciuibus interfici nollet. At socij Callibij quum sub castellum Mantineæ vicinum portasque retrocessissent, posteaquam nihil amplius aduersarij contra eos molirentur: ita vti collecti erant, quiescebant, iamdudum ad Mantinæos missis quibusdam, qui eos ad ferendum suppetias hortarentur. Interim etiam cum Stasippi factione de re conciliatione mutua colloquebantur. Posteaquam autem aduentare Mantinæos videbant, nonnulli ex eis in murum insilientes hortabatur, vti quamprimum opem la-

Mantinæorum & Lacedæmoniorũ contentio.

† al. tria.

Arcadum dissidia.

603

tum accurrerent, simulque vt properarent, clamabant: alii portas eis aperiebant. Stasippi factio intellecto, quid ageretur, per portas, quæ Palantium ducunt, elapsi, prius in Dianæ se fanum recipiunt, quam persequẽtes aduersarii eos adsequerentur. In eo quum se clausissent, quiescebant. At ipsorum hostes, qui persequebantur eos, posteaquam in fanum adscendissent: tecto diuulso, tegulis eos feriebant. Illi animaduerso, qua necessitate vrgerentur: vti ab hoc abstinerent hortabantur, policiti se exituros. Posteaquam in manus hostium venissent, illi vinculis constrictos, & in carpentum sublatos Tegeã auehũt: vbi vna cum Mantinæis capitis damnatos morte multant. His actis, nonnulli Tegeatæ qui Stasippo fauebant, Lacedæmonem fugiunt, plus minus ɪↄccc. Secundum ea Lacedæmonii quamprimum succurrendum ex iurisiurandi formula statuunt

Bellum Mãtinæũ. illis, qui ex Tegeatis vel occubuissent, vel in exsilium acti essent. Itaque bellum aduersus Mantinæos mouẽt, vt qui præter iurisiurandi religionem armati Tegeatas inuasissent. Posteaquam delectus habendos Ephori decreuissent, Agesilaum ciuitas exercitum ducere iubet. Conueniebant iam Arcades ceteri Aseam, sed quum

604 Orchomenij non solum contineri societate Arcadica propter odium, quo Matinæos persequebantur, nollent: verum etiam collectas Corinthi copias stipendiarias, quibus Polytropus præerat, suam in vrbem recepissent: domi Mantinæi manebant, vt hos obseruarent. Heręenses & Lepreatæ cum Lacedæmoniis aduersus Mantinæos hac in expeditione coniuncti erant. Agesilaus posteaquam facta de trãducendis copiis re sacra perlitasset, recta in Arcadiam tendebat. Quumque situm in finibus oppidum Eutæam occupasset, ac ibidem senes, fœminas, pueros in ædibus reperisset; reliquis, quotquot erant ætate militari, ad Arcadum copias profectis: nihilominus id oppidum re nulla lædebat, sed sinebat eos vrbem incolere: ac si quo egerent ipsius milites, id emtum pretio accipiebant. Quod si quid eis ereptum erat, quum vrbẽ ingrederetur, id repertum eis reddebat. Quin & ipsorum mœnia, quantum opus erat, reficiebat, dum isthic subsisteret, ac Polytropi stipen-

pendiarios exspectaret. Interim Mantinæi aduersus Orchomenios bellum gerebant,& a muris quidem difficulter admodum recedebant, nonnullis ipsorum interfectis: verum vbi pedem referentes Elymiam peruenissent, ac grauis quidem armaturæ pedites Orchomenij non amplius sequerentur, Polytropi autem milites audacter admodum ipsos vrgerent: tum scilicet animaduerso Mantinæi, futurum, vt ipsorum multi iaculis configerentur, ni aduersarios vi repellerent: conuersi, manum cum persequẽtibus conserunt. Periit in eo prœlio Polytropus,ex reliquis fugientibus interfecti complures fuissent,nisi equites Phliasij aduenissent, & equis circumactis a tergo Mantinæos adgressi,a persequendo inhibuissent. Hac re Mantinæi gesta, domum abierunt. Agesilaus certior de his factus, quod minime deinceps futurũ arbitraret,vt se mercenarij Orchomeniorũ milites cũ ipso cõiungerent, ꝓgrediebatur:ac die quidẽ primo in Tegeatarũ agro cœnabat, postridie vero Mantinæorũ fines ingreditur,ac sub montib. Mantineæ versus occidentem solẽ sitis castra munit.Istic eadem opera vastabat hostilem agrum,ac prædia populabatur. Interim Arcades illi,qui apud Aseam conuenerant, noctu Tegeam ingressi sunt.Postridie quum abesset Agesilaus a Mãtinæa fere viginti stadiis, ibidem castra locauit. Arcades autem illi Tegea magno cum armaturæ grauis numero digressi,posteaquã ad montes inter Mantineã ac Tegeã sitos propius accessissent:coniungere se cum Mantineis cupiebant. Nec enim Argiui vniuersis cum copiis suis eos sequebãtur.Erant tum nonnulli auctores Agesilao, vt seorsum hos adoriretur. Verum ille veritus, ne interea,dum in hos pergeret,vrbe sua Mãtinei egressi,a cornu ac tergo simul in ipsum irruerent: optime facturum se statuit,si conuenire ipsos pateretur:ac si quidem prœlio secum vellent cõgredi, ex æquo & aperto potestatem eis pugnandi faceret.Iam coiuerant Arcades, & qui Orchomeno venerant cetrati, vna cum Phliasiorum equitibus, noctu propter Mantineam itinere facto, in conspectum Agesilai pro castris rem sacram facientis prima luce veniebant.Ea re factum, vt alij quidem ad ordines suos accurrerent, Agesilaus autem ad agmen se recipe-

Agesilaus Mantinæos bello adgreditur. 605

ret. Verum vbi cognitum fuisset, hos amicos esse, ac iam perlitasset Agesilaus: prandio sumto copias promouit, ac sub vesperam clam hoste castra in sinu a tergo Mantinici agri nõ magno interuallo sito, ac montibus vndique septo locat. Postridie, cum prima luce, rem sacram ante castra faciebat: quumque videret e Mantinæa colligi quosdam in montibus, qui agmini nouissimo imminebant: statuit, quamprimum suos ex illo sinu educendos esse. Iam si præcederet ipse, metuebat, ne hostes extremum agmen inuaderent. Itaque ipse quiescens, & arma obuertens hostibus mandat: vt sui quotquot erant extremo in agmine, conuersi a tergo phalangis * hastam versus ad ipsum pergerent. Sic eadem opera de arto loco suos educebat, & paullatim phalangem firmiorem efficiebat. Posteaquam ea iam duplicata esset, instructa hoc modo graui armatura progressus in planiciẽ, rursum copias in scutatos IX vel X explicabat. Quapropter non iam amplius Mantinæi prodibant. Nam qui coniuncti cum eis erant hac in expeditione Elei, ne pugna prius consereretur, auctores erant: quam Thebani aduenissent. Scire autem certo se aiebant, eos aduenturos. Nam talenta decem illos ad expeditionem hanc

id est, versus dextram. Suidas.

606 ab se mutuo cepisse. Quibus auditis, Arcades intra Mantinæam se continebant. Agesilaus autem, quum copias percuperet abducere, quod hyems esset media; tamen triduum ibidem mansit haud procul ab vrbe Mantinęa, ne discessum præ formidine maturare videretur. Die quarto cum prima luce pransus exercitum abducit, quasi eo loco muniturus esset castra, vbi ea primum habuerat, quum Eutæa moueret. Quum Arcadum nemo se ostendisset, quamcelerrime suos Eutæam ducit, quamquam sub vesperam id faceret; quod armaturam grauem abducere prius cuperet, quam hostium ignes conspicerentur: ne quis diceret, eius discessum fugæ similem esse. Nam videbatur ex superiori mæsticia nonnihil recreasse patriam, quod Arcadiam inuasisset: ac nemo cum eo, vastante agrum conserere manum voluisset. Posteaquam Laconicos fines ingressus fuisset, Spartanis domum redeundi potestatem facit, ac finitimos ad oppida sua remittit. Arcades, Agesilao digresso, quum

copias

copias ipsius dimissas esse accepissent, ipsius adhuc collectis: aduersus Heræenses cum copiis proficiscuntur, quod ij societatem Arcadum respuissent, & cum Lacedæmoniis in Arcadiam irruissent. Itaque fines horum ingressi, ædificia concremabant, & succidebant arbores. Quum autem aduentasse Mantinæam suppetias latum, Thebani dicerentur: relicto Heræensium agro, cum iis se coniungunt. Posteaquam vtrimque conuenissent, satis esse factum Thebani arbitrabantur, quod & opem amicis tulissent, & nullam amplius hostem intra fines eorum conspicerent. iamque adeo se ad iter comparabant. Verum auctores eis erant Arcades, Argiui, Elei, vti quamprimum in Laconicam ducerent: indicata suorum multitudine, ac Thebanorum exercitu nimiopere collaudato. Nam Bœoti omnes in armis exercebantur, victoria, quam ad Leuctra consequuti fuerant, elati. Et sequebantur eos Phocenses, redacti iam ipsorum in potestatem, & Euboici ex omnibus oppidis, & vtrique Locri, & Acarnanes, & Heracleotæ, & Malienses. Præterea sequebantur eos e Thessalia tum equites, tum cetrati. Hæc quum gratulabundi proferrent, ac præterea, quæ solitudo esset Lacedæmone: obsecrabant, ne prius inde vllo modo discederent, quam Lacedæmoniorum fines inuasissent. Audiebant ea quidem Thebani, sed vicissim perpendebant, quod Laconica longe difficillima ingressu esse perhiberetur; & arbitrabantur iis locis, quæ aditus haberent faciles, disposita esse præsidia. Etenim Ischolaus ad Ium agri Sciritici erat, cum tironum & exsulum, Tegea profugorum, c c c c præsidio, qui erant ætate maxime vegeta. Præterea præsidium aliud erat ad † Leuctra supra Maleatidem. Expendebant secum hoc quoque Thebani, coituras nimirum celeriter Lacedæmoniorum vires: & nusquam promtius, quam suis in finibus ipsos dimicaturos. Quæ omnia secum putantes, non admodum in hoc propensi erant, vt Lacedæmonem peterent. Verum posteaquam Caryis venissent, qui solitudinem istic esse dicerent: se duces itineris fore policerentur: si fallere voluisse viderentur, interfici se iuberent: adessent item quidam finitimi, qui eos aduocarent, ac se discessuros a Lace-

Thebanorum potentia.

607.

Oppidum Laconicæ, diuersum ab eo, cuius supra mentio facta.

dæmoniorum fide profiterentur, si saltim ipsorum in agro Thebani se ostendissent: adderent eos vicinos, qui arcesserentur a Spartanis, opem tunc eis nullam laturos: his inquam vniuersis auditis, & quidem ab omnibus, adsensi sunt. Deinde ipsi quidem propter Caryas in hostium fines irrumpunt, Arcades autem iuxta Ium Sciritidis oppidum. Ac si quidem Ischolaus progressus ad loca transitu difficilia substitisset, neminem eo quidē loco fuisse adscensurum ferunt, iam vero, quum auxiliis Iensium vti vellet, eo in vico exspectabat, Arcadibus interim magno numero conscendentibus. Atque hoc loco milites Ischolai, dum aduersos in hostes dimicant, superiores erant: verum postea, quam & a tergo, & a lateribus, & ab iis, qui domos conscenderant, ferirentur ac telis peterentur: tum deinde non solum Ischolaus, sed & alij perierunt omnes, extra quam si quis incognitus aufugisset. His rebus gestis, Arcades ad Thebanos Caryas versus pergunt. Illi vero quum quæ ab Arcadibus essent acta: resciuissent: longe maiori cum audacia descendebant, ac primo quidem Sellasiam igne succendūt & depopulantur: deinde quum in planiciem venissent, ad lucum Apollinis castra metati, postridie rursus inde discedunt. Hinc per pontem ne conabātur quidem Spartam versus transire. Nam in Mineruæ fano, quæ Alea dicitur, oppositi grauis armaturæ pedites conspiciebātur. Quapropter ita faciebant iter, vt Eurotam amnem ad dextrā

Thebani Laconicā cum exercitu ingrediuntur.

608 haberent: ac ædificia, magna bonorum copia referta, cremabant & populabantur. Ceterum ex iis, qui erant in vrbe, mulieres quidem nec fumum adspicere poterāt, quippe quæ hostes numquam vidissent: at viri Spartani, alius alibi collocatus, quod vrbs ipsorum mœnibus careret, quamquam perpauci numero & essent & viderētur, eam tamen custodiebāt. Visum fuit etiam magistratibus, indicare iis, quos Helotas siue seruos vocant, vt si quis eorum arma capere vellet, ac inter ordines locum suum occupare: ei fides daretur, futurum vt quotquot hoc in bello suam nauarent operam, libertate donarentur. Ac initio quidem ferebatur, in tabulas relata pluriū fuisse nomina, quam victo. quo factum, vt illi metum in acie dispositi incuterent, ac valde multi esse viderentur.

tur. Verum, posteaquam apud ipsos manebant conducticij milites, qui Orchomeno venerant, & Lacedæmoniis præterea suppetias ferrent Phliasij, Corinthij, Epidaurij, Pellenenses, oppida quædam alia: tum deinde minus eos, qui nomina professi fuerant, formidabant. Exercitus hostilis progressus, Amyclas vbi venisset, ibidē Eurotam transiit: ac Thebani quidem iis in locis, vbi castra locabant, statim ante ordines eas arbores abiiciebāt numero quam fieri poterat maximo, quas succiderant, eoque pacto sibi cauebant: verum nihil huiusmodi faciebant Arcades, sed relictis armis ad direptiones ędium se conuertebant. Secundum hæc die tertio, vel quarto, equites Thebani omnes, cum Eleorum, Phocensium, Thessalorum, Locrorum equitatu, ad Hippodromum ac Neptuni † Gæaochi fanum vsq; procedunt. Eis in acie Lacedæmoniorum equites, qui perpauci videbātur, oppositi erant. Quumq; illi iuniores quosdā grauis armaturæ pedites, plus minus ccc, ad Tyndaridarum in insidiis locassent: eodē momento procurrebant hi, & equites adigebant equos. Verum hostes non ferebant eorum impetum, sed terga vertebant. Quod quum nōnulli pedites vidissent, & ipsi se in fugam coniiciebant. Post, vbi persequēdi finem Lacedæmonij fecissent, ac Thebanorum copię consisterent: rursus in castra est itum. Quumque facinus nonnihil audax fore videretur, si rursus vrbem adorirentur: mouerunt inde cum copiis, ac versus Helos, & Gytheum profecti sunt. Quod si quæ in oppida muris non munita inciderent, ea concremabant: Gytheum vero, quo loco naualia Lacedęmoniorum erant, triduum oppugnabant. Erant etiam finitimi quidam, qui & inuadebant Lacedæmonios, & Thebanorum sociorumq; signa sequebantur. Quæ quū Athenienses audiissent, quid Lacedæmoniorū in caussa faciūdum esset, sollicite dispiciebant: deq; Senatus consulto concionem aduocabant. Forte tunc legati Lacedęmoniorū, eorumque sociorum, quos necdum amiserant, Athenis aderāt. Quo fiebat, vt hi Lacedæmonij, nimirum Aracus, Ocyllus, Pharax, Etymocles, Olontheus, prope omnes similia dicerēt. Nam reuocabāt in memoriam Atheniēsibus, semper vtrosq; sibi inuicem maximis in rerū momentis

† *Consule Notas.*

609

Lacedæmonij opē ab Atheniensibus petunt.

ad vtilitatem communem ſuppetias tuliſſe. Lacedæmo-
nios enim adiuuiſſe dicebāt eiectionē tyrānorum: & vi-
ciſſim Athenienſes, quo tēpore a Meſſeniis Lacedæmo-
nij obſiderentur, alacriter eis opem tuliſſe. Præterea cō-
memorabant emolumenta, quæ vtrimq; percepiſſent,
quoties aliquid cōiunctis viribus geſſiſſent: reuocantes
eis in memoriā, quod & barbarum communi opera re-
puliſſent, & Athenienſes Lacedæmoniis auctoribus a
Græcis duces claſſis, publicarumq; pecuniarum cuſtodes
lecti fuiſſent: ſuadentibus viciſſim Athenienſibus, vt La-
cedæmonij extra controuerſiam terra Græcorum om-
nium duces legerētur. Inter alios quidam in hāc ſenten-
„ tiam verba faciebat: Quod ſi vos & nos, Atheniēſes, cō-
„ ſenſerimus: ſpes eſt hoc tempore futurum, quod iamdu-
„ dum fertur, decumādos eſſe Thebanos. Non admodum
hæc ab Athenienſib. accipiebātur, ſed muſſitabatur hinc
inde, nunc ea dici: quo vero tēpore ſecundæ res ipſorum
eſſent, tum nos premebāt. Vnum hoc grauiſſimum eſſe
videbatur, quod a Lacedæmoniis proferebatur, impe-
ditos a Lacedæmoniis id tēporis fuiſſe Thebanos, quū
debellatis Atheniēſibus euertēdas Athenas illi cenſuiſ-
ſent. Et erat hominib. id plurimum in ore, ferendas eſſe
ſuppetias ratione præſtiti ſacramenti. Non enim Arca-
des, & ipſorum ſocios, Lacedæmoniis ob illatam aliquā
iniuriam bellum facere: ſed eā ob cauſſam, quod Tegea-
tis opem tulerint, qui a Mantinæis cōtra datum iuſiurā-
dum bello vexabantur. Hæc quoq; quum dicerētur, tu-
multus quidā concionē peruagabatur. Quippe nonnul-
li aiebāt, Mantinæos iure ſuppetias iis tuliſſe, qui quum
Proxeni eſſent aſſeclæ, a Staſippi factione fuerant inter-
emti. Alij factum iniuſte dicebant, quod arma Tegeatis
610 intuliſſent. De his quum ipſa cōcio diſceptaret, Cliteles
„ Corinthius ſurgēs, hanc orationē habuit: Nimirū Athe-
„ nienſes de hoc controuertitur, a quibus iniuriæ factum
„ ſit initium. Verum nos, poſteaquā pax facta fuit, an quis
„ accuſare poteſt, quod vel bello vrbē aliquā adgreſſi ſi-
„ mus, vel pecunias quorumdā abſtulerimus, vel agrum a-
„ lienum vaſtauerimus? Nihilominus Thebani fines no-
„ ſtros ingreſſi ſucciderunt arbores, domos exuſſerunt, pe-
„ cunias ac pecora diripuerunt. Qui poterit ergo fieri, vt ſi
nobis

nobis auxilium non tuleritis, qui adeo manifestis iniuriis adficimur, non contra iurisiurandi religionē facturi sitis, præsertim quum vestra cura factum sit, vt vobis omnibus hæc sacramenta nos omnes præstaremus? Heic vero plausus excitatus est ab Atheniensibus, quasi recte, & quidem æquissima Cliteles dixisset. Post hunc †Patrocles Phliasius surgens, hoc modo loquutus est: Futurum, Athenienses, vt Lacedæmoniis e medio sublatis Thebani vos primos bello petant: nemini non esse perspicuum arbitror. Nam inter alios esse vos solos arbitrantur impedimento, quo minus ipsi Græcis imperent. Quod si ita est, arbitror equidem nihilo magis vos Lacedęmoniis hac expeditione suppetias, quam vobis ipsis laturos. Nā Thebanos vobis infestos, eosdemq; finitimos, principe apud Græcos loco potiri: id vero longe vos molestius laturos puto, quā si †procul aduersarios haberetis. Cōmodius quidē certe vos ipsos tuebimini, quā diu supererunt socij: quam si sublatis iis, soli aduersus Thebanos dimicare cogamini. Quod si qui verētur, ne, si nūc effugiant Lacedæmonij, negotia vobis aliquādo facessant: cogitetis velim, nō metuendū esse, ne illi, qui beneficiis, sed qui dānis adficiunt, aliquādo potentiā quandā nanciscantur. Quin hoc quoque cogitandum est, non solum homines priuatos, sed etiam respublicas decere: vt quum potentissimi sunt, aliquid sibi comparent, quod ex vsu sit: nimirum vt habeant, si quando vires amiserint, aliquid ex iis, quæ antea labore suo pepererunt, præsidij. Vobis quidem certe nunc Deum aliquis occasionem offert, qua Lacedęmonios in perpetuum vobis amicos adiungere sinceros possitis, si quidē eis ope vestra egētibus succurretis. Nam mea sane sententia non paucos estis habituri testes eorum beneficiorum, quibus ipsos adficietis: sed scient hæc primum Dij, qui cuncta & nunc & æternum vident: norunt, quæ agantur, non solum socij, sed etiam hostes: denique præter hos, Græci ac barbari vniuersi. Nam nihil horū negligetur, adeoque si se improbe aduersus vos gerere deprehendantur, quis deinceps vmquam animo in ipsos propenso fuerit? Enimuero sperandum est, eos potius se viros bonos, quam improbos declaraturos. Nam si vlli alij, hi certe perpe-

†Procles. male.

†quū procul ad. hab. Æ.P.

611

tuo laudis fuisse cupidi videntur, & a turpibus facinori-
bus abstinuisse. Præter hæc velim cogitetis, si quando
rursum Græcię periculum immineat a barbaris, quibus-
nam fidem potius habituri sitis, quam Lacedæmoniis?
quosnam lubentius paraturi sitis adstites, quam eos, qui
ad Thermopylas in acie collocati, maluerunt omnes
pugnando potius occūbere, quam viui barbaro ad Græ-
ciam aditum patefacere? Cur non igitur æquum sit, vt
quum vobiscum viros se fortes declararint, ac spes sit, i-
dem deinceps quoque facturos, omnem tum vos, tū nos
beneuolentiam eis exhibeamus? Est etiam operę pretiū,
vt eorum sociorum caussa, qui nunc quoq; ipsis adsunt,
vestrum erga eos studium declaretis. Nam certo scitote
illos, qui Lacedæmoniorum in fide manent hisce in ca-
lamitatibus præ verecundia numquam commissuros,
vt nullas vobis gratias referant. Quod si oppida esse vi-
demur exigua, quæ cum ipsis huiusce periculi participes
esse volumus: cogitate futurum, vt si accedat vrbs vestra,
non iam parua simus amplius oppida, quæ Lacedæmo-
niis opem ferant. Equidem, Athenienses, antehac rem-
publicam vestram admirabar, quod omnes, qui vel iniu-
riis adficerentur, vel sibi metuerent, huc confugientes
audiebam auxilium impetrare. Iam non amplius audio,
sed ipsus coram video, Lacedæmonios longe celeberri-
mos, & cum eis amicos ipsorum fidelissimos, ad vos ve-
nire, vestramque opem implorare. Præterea Thebanos
video, qui tum Lacedæmoniis persuadere non poterāt,
vt vos funditus perderent, nunc vos obsecrare, ne perire
patiamini eos, qui vos conseruarunt. Præclare de vestris
hoc maioribus commemoratur, nimirum eos nō fuisse
passos, vt Argiui ad Cadmeā interfecti iacerent insepul-
612 ti. Vobis autem lōge fuerit honestius, si Lacedęmonios,
quotquot adhuc viuūt, nec atrocibus adfici iniuriis, nec
deleri patiamini. Quum itidem hoc quoque præclarum
fuerit, quod aliquando repressa Eurysthei petulantia,
liberorum Herculis saluti consulueritis: qui non longe
sit hoc etiam præclarius, si nō modo duces eorum prin-
cipes, sed vniuersam rempublicam seruaueritis? Deniq;
omnium erit præclarissimū, si quum Lacedæmonij suf-
fragio suo periculi omnis experte vos id temporis con-
ser-

ſeruarint, vos iam & cum armis, nec ſine periculis, opem eis feretis. Enimuero quum nos exſultemus lætitia, qui verbis ſuadendo ferri opem fortibus viris petimus: profecto in vobis, qui re ſuccurrere poteſtis, generoſum hoc ducetur: ſi, quum ſæpenumero & amici, & hoſtes Lacedæmoniorum fueritis, non tam iniuriarum, quam beneficiorum memores eritis gratiamque referetis nõ veſtro ſolum nomine, ſed totius Gręcię, quod in ea defendenda viros ſe fortes præſtiterint. Secundum hæc Athenienſes de re conſultabant, ac illis quidem, qui aduerſabantur, exploſis: vniuerſis cum reipublicæ copiis opem Lacedæmoniis ferendam ſtatuunt. Inde ducem Iphicratem eligunt, qui quum litaſſet, ac in Academia cœnam ſuos ſumere iuſſiſſet: multos proditum eſt ipſum Iphicratem in exeũdo præceſſiſſe. Tamdem Iphicrates educebat copias, ſequente ipſum milite, qui exiſtimaret illum præclarum ad facinus quoddam edendum ipſos ducturum. Quumq; Corinthum veniens, dies iſtic aliquot tereret: confeſtim hanc ipſam ob moram eum reprehẽdebant. Vbi tamdem educeret, non ſolum alacriter ducem ſequebatur: verum etiam eadem alacritate, ſi mœnibus admouerentur, oppugnabant. Interim ex iis hoſtibus, qui erant in Laconica, Arcades, & Argiui, & Elei complures diſceſſerant, quod eſſent finitimi: ac partim agebant, partim ferebant, quidquid rapere potuiſſent. Thebani vero cum ceteris, vel hanc ipſam ob cauſſam excedere finibus iis cupiebant, quod imminui cottidie viderent copias: vel quod iam commeatus defeciſſet, abſumtus, direptus, effuſus, crematus. Præterea hyems erat. quo fiebat, vt omnes diſcedere vellent. Poſteaquam illi Laconica exceſſiſſent, etiam Iphicrates ex Arcadia Corinthum Athenienſes reducebat. Enimuero non eſt 613
quod equidem vituperem, ſi alias præclare ſe imperatorio in munere geſſit. ea quidem certe, quæ in hoc tempore fecit, omnia partim temere, partim nullo cum fructu ab eo geſta fuiſſe reperio. Nam dum in Oneo cum præſidio eſſet, ne Bœoti redire domum poſſent: tranſitum longe commodiſſimum iuxta Cenchreas incuſtoditum reliquit. Idem quũ certior fieri cuperet, an Thebani Oneum tranſiiſſent: equites vniuerſos tum Athe-

Atheniẽſes Lacedæmonijs ſuppetias eunt.

Iphicrates imperitus dux.

nienſium, tum Corinthiorum, ſpeculatum miſit. Atqui pauci æque aliquid, ac multi, videre poſſunt: ac ſi pedem referre neceſſe ſit, multo facilius pauci, quam plures, tū viam idoneam reperire, tum quiete diſcedere poſſunt. At multos adducere, neque tamen hoſtibus pares, qui non ingens dementia ſit? Nam quum equites illi amplum ſpatium acie ſua occuparent, quia multi erant: vbi referre pedem cogebantur, ad multa, eaque difficilia loca ſe recipiebant. Ita factum, vt non pauciores viginti equitibus interirent. Ac tum quidem Thebani ex animi ſententia diſceſſere.

XENOPHONTIS HISTORIARVM GRÆCARVM LIBER VII.

ARGVMENTVM.

1. Athenienſium & Lacedæmoniorum aduerſus Thebanos ſocietas, & ſocietatis cauſſæ. 2. Lacedæmonij multos de ſuis a Thebanis oppreſſos amittunt. 3. Celtarum, & Hiſpanorum auxilium a Dionyſio Lacedæmonijs miſſum. 4. Lycomedis Mantinæi genus, opes, ingenium, mores, ſtudia, res geſtæ. 5. Philiſcus Abydenus pacem inter Thebanos, & Lacedæmonios facere nititur. 6. Archidami in Arcadiā expeditio, in qua illuſtrem ab hoſte victoriam reportauit. 7. Pelipode Thebani legati apud Regem Perſarum auctoritas. 8. Res ab Epaminonda Thebano geſtæ. 9. Euphronis apud Lacedæmonios auctoritas. Res ab eo geſtæ. 10. Phliaſiorum fides erga Lacedæmonios ſocios. 11. Quanto ex periculo Phliaſij, maxima cum difficultate, præter ſpem, fortiter pugnantes euaſerint. 12. Hoſtem cædunt, & tropæum illuſtre ſtatuunt. 13. Phliaſiorum encomium. 14. Æneas Stymphalius tyrannidem Euphronis quomodo euerterit. 15. Euphro vbi, quando, cur, a quibus interfectus. 16. Euphronis

phronis interfectores in capitis iudicium vocantur. 17. Sed se purgant, & capitis periculo liberantur. 18. Atheniensium, & Arcadum fœdus. 19. Corinthij pacem a Thebanis petunt, ac impetrant. 20. Corinthij se gratos erga Lacedæmonios quomodo præstiterint. 21. Dionysius iunior, post patris mortem, Timocratem cum duodecim nauibus ad opem Lacedæmonijs ferendam mittit. 22. Eleorum cædes. 23. Arcades Elidem bis adoriuntur, & magnis maleficijs Eleos afficiunt. 24. Archidamus in prœlio ab Arcadibus vulneratur, & magnum suorum numerum desiderat. 25. Lacedæmonij propter cladem acceptam, inducias cum Arcadibus faciunt. 26. Arcades Olympicum certamen gubernare nituntur. 27. Eleorum nec opinata virtus. 28. Arcades sacram pecuniam rapiunt. 29. Quot mala hinc manarint. 30. Peloponesij se contra Thebanos coniungunt. 31. Epaminondas expeditionem aduersus Lacedæmonios suscipit. 32. Quam peritus imperator fuerit. 33. Eius stratagema. 34. Ad Spartam cum copiis accedit. 35. Inde multis amissis recedit. 36. Præclarum equitum Atheniensium facinus sociorum tuendorum caussa factum. 37. Epaminondæ magnanimitas in rebus asperioribus. 38. Eiusdem apud exercitum auctoritas. 39. Pugna ad Mantinæam committitur, vnde victoriam Thebani reportant: sed Epaminonda cæso, victoria vti nesciunt. 40. Quis fuerit huius pugnæ euentus.



NNO insequẽti Lacedæmoniorum, sociorumq; legati, amplissima cũ potestate Athenas venere: deliberaturi, quonam pacto societas inter Lacedæmonios & Athenienses iniri posset. Quumq; multi tum exteri, tum Athenienses, oportere condiciones societatis æquas ac pares esse dicerent: † Procles Phliasius hanc orationem habuit. Quando vobis, Atheniẽses, ex vsu esse visum fuit, Lacedæmonios in amicitiam recipi: considerãdum mihi videtur, quo pacto quam diutissime sit hæc amicitia duratura. Quamobrem si ea ratione, quę parti vtriq; plurimũ expediet, fœdus inibimus: consentaneũ est, nos ma-

Patrocles recte. sic supra.
"
614
"

ximine in eo perstituros. Enimuero ceteris in rebus prope consentimus, tantum de principatu restat quod consideremus. At vero senatus iam ante censuit auctoritate sua, maris imperiū vobis deberi: terræ vero, Lacedæmoniis. Quæ mihi quoq; nō tam ab humana, quam diuina natura fortunaq; distincta vidētur. Primū enim, locum habetis a natura comparatum ad hoc longe pulcherrime. Nam oppida plurima, quæ mari carere nequeūt, vrbi vestræ vicina sunt: eaq; vniuersa reipublicæ vestræ potentia cedunt. Præterea portus vobis sunt, absq; quibus naualium copiarū nullus est vsus. Multæ item vobis triremes sunt, ac patrita vobis est comparandæ classis cura. Iam artes ad hæc necessariæ, proprie vestræ sunt: & vsu atq; experientia maritimarum rerum longe ceteros excellitis. Nam maxima pars vestrum ex iis victitat. quo fit, vti dum res priuatas curatis, simul etiam maritimorum certaminū vsum cōsequamini. Adde, quod nusquā maior triremium copia, quā a vobis, prodeat: quæ res non parum ad principatum momenti adfert. Nā ad eum, qui iam antea potens est, lubenter omnes se conferūt. Denique diuinitus hac in parte quædam vobis est cōcessa felicitas. Nam quum plurimis, eisq; maximis certaminibus in mari defuncti sitis: tamē in paucis admodum successu caruistis, in plurimis re prospere gesta. Quamobrem consentaneū est, etiā socios lubētissime vobiscum pericula subire. Iam maritimę rei curā in primis ad vos, & necessario quidē pertinere, velim ex hoc perpēdatis. Gesserūt aduersus vos aliquando bellū multis annis Lacedæmonij, & quamquā agro vestro potirētur: nihilo tamen magis idcirco vos perdere funditus potuerūt. Verū vbi tandē aliquādo Deus hoc eis cōcessit, vt etiā mari rerū potirētur: tū scilicet in eorū potestatē protinus venistis. De quo iā perspicue patet, totā salutem vestram a mari pendere. Quū igitur ita cōparatæ res vestræ sint, quinā vobis expediat, permittere Lacedæmoniis, vt mari rerū potiantur? Illi nimirū primum ipsi fatentur, se rei nauticæ imperitiores vobis esse. Deinde nō par vtrisque periculum maritimis in certaminib. est propositū, sed illis
615 quidē agitur de iis hominib. tantum, quibus triremes complentur: vobis vero de liberis, vxoribus, ciuitate vniuer-

uer-

uersa. Atque hæc vestrarum est rerum condicio. Lacedæmoniorum vero, talis. Primum mediterraneam regionem incolunt. quo fit, vt tametsi mari arceatur, nihilo minus vitam agere periucũde possint idcirco, quod terra potiantur. Quæ quum & ipsi intelligant, statim a pueris ad ea se bella consuefaciunt, quæ terra geruntur. Et quæ quidem res maximi est momenti, nimirũ vt magistratibus pareatur: in hoc ipsi præcipue terra præstant, vos mari. Deinde quemadmodum vos maritimas, sic illi terrestres copias amplissimas quamcelerrime possunt educere: quo fit, vt itidem ad ipsos accedere socios magna cum fiducia consentaneum sit. Præterea Deus ipsis hoc concessit, vt quemadmodum vos mari, sic illi terra felices sint. Nam & ipsi quum pugnas terra plurimas pugnauerint, quam minimum tamẽ fine suo frustrati sunt, plurimis interim rebus præclare gestis. Iam non minus terrestrium rerum procurationem ad ipsos necessario spectare, quam maritimarum ad vos pertineat: id ex ipsis rebus gestis animaduertere licet. Nam quum vos multis annis aduersus hos bellũ gereretis, ac sæpenumero naualibus prœliis cum eis congrederemini: nihil tamen efficiebatis in debellandis his, quod operæ pretium foret. Verum posteaquam semel terra victi fuerunt, confestim & de liberis, & vxoribus, & tota republica sunt periclitati. Qui ergo non graue sit iis, permittere aliis, vt terra rerum potiantur, quum ipsi præclarissime res terra gerendas procurare possint? Equidem vt ante senatus auctor censuit, ita hæc exposui, maximeque rebus vtrimque vestris expedire arbitror. Vobis autem prospera precor omnia, statuentibus id, quod omnibus nobis ex vsu maxime fuerit. Hæc eius fuit oratio, quæ quum non solum Atheniensibus, sed etiã Lacedæmoniis, qui aderant, mirifice probaretur: Cephisodotus, progressus in medium: Nõ animaduertitis, inquit, circumueniri vos Athenienses. Quod si me audieritis, mox fraudem vobis indicabo. Nimirum mari vos duces eritis. Iam si Lacedæmonij vobis auxilia suppeditabunt, nimirum Lacedæmonios triremium præfectos mittent, ac fortassis etiã classiarios milites. Nautæ vero vel helotes & serui erunt scilicet, vel mercenarij. Quapropter vos quidem his impera- 616

» bitis. Contra, quum vos ad expeditionem aliquam ter-
» restrem Lacedæmonij euocabunt, nimirum equites ve-
» stros, ac grauis armaturę pedites mittetis. Ea ratione ve-
» stri fiunt illi duces, vos eorum, qui seruitutem illis ser-
» uiunt, hominesq; sunt nullius pretij. Tu vero, inquit, Lacedæmonie Timocrates, responde mihi: non aiebas modo, venire te, vt condicionibus æquis ac paribus societatem hanc nobiscum ineas? Equidem, ait ille, hoc dixi. Et Cephisodotus: An igitur, inquit, esse quidquam possit æquius, quam si vicissim vtriq; classis duces simus, itemque vicissim pedestrium copiarum: ac vt vos, si quid est commodi maris in imperio, eius æque participes sitis, ac nos illius, quod terrestri est in imperio? Posteaquã hæc Atheniẽses audiissent, aliam in sententiam adducti sunt: ac decreuerunt, alternis quinis diebus vtrosq; ducũ officio fungi debere. Quum autem vtriq; cõiunctis tum suis, tum sociorum viribus, Corinthum venissent ad gerendum aduersus hostes bellum: visum est Oneum cõmuni præsidio teneri debere. Itaq; vbi iam Thebani cum sociis aduentarẽt, instructa suorum acie custodiebant alius aliam Onei partem: Lacedæmonij vero cum Pellenensibus ea loca, quæ oppugnationi maxime paterent. Thebani, eorumq; socij, quum XXX stadiorum interuallo ab excubias agentibus abessent castra in planicie muniebant. Deinde temporis inita ratione, quo progrediendo confecturos se reliquum viæ spatium existimabãt: primo diluculo versus Lacedæmoniorum excubias pergunt. Non fefellit eos tempus, sed illo momento Lacedæmonios ac Pellenẽses inuadunt, quo nocturnarũ excubiarum finis erat, ac de stramentis illi surgebant, vbi cubabãt singuli. Tum vero adgressi eos Thebani, cædebãt imparatos parati: incompositos, ordinati. Posteaquã ij, qui salui euaserãt, proximum in collem se recepissent: poterat Lacedæmoniorum polemarchus sumtis secum sociorum grauis armaturæ peditibus, quot quidem vellet, totidemq; cetratis, locum eum tenere, quod etiam commeatus eo deportari tuto e Cenchreis potuisset, nec tamen id fecit: sed quum vehementer anxij Thebani essent, quo pacto vel de loco Sicyonem versus spectante descenderent, vel rursus discederent: inducias ipse pa-

Atheniẽsiũ ac Lacedæmoniorũ aduersus Thebanos societas.

ctus,

ctus, quæ plurimorum iudicio potius ex Thebanorum,
quam ipsius erant commodo, ita deinde discessit, ac suos
abduxit. Thebani tuto descendẽtes, posteaquam se cum 617
sociis suis, Arcadibus, Argiuis, Eleis coniunxissent: con-
festim ad oppugnandas Sicyonem ac Pellenem pergunt.
Quumq; Epidaurum cum exercitu petiissent, omnem
Epidauriorum agrum populati sunt. Inde pedem refe-
rentes summo cum omnium hostium contemtu; quum
prope iã ab vrbe Corinthiorum abessent: cursu petebant
portas, quæ Phliuntem ducunt, irrupturi in eas, si forte
apertas offenderent. Verum vbi quidam velites ex vrbe
procurrissent ad ferendum opem suis, delectis illi The-
banis fiunt obuij, qui iam ne IV quidem plethris a mœ-
nibus abessent. Itaq; monumenta, editaque loca quum
conscendissent: feriendo iaculandoque bene multos ex
primis occidunt, ac in fugam versos fere ad tria qua-
tuorve stadia persequuntur. Id quum accidisset, mor-
tuorum cadauera Corinthij propius ad murum tracta
per inducias reddunt, ac tropæum statuunt: recreatis
hoc pacto nonnihil Lacedæmoniorum sociis. Simul at-
que gesta hæc fuissent, auxilia Lacedæmoniis a Diony-
sio missa, nimirum plures quam XX triremes adpelle-
bant. Eæ Celtas & Hispanos cum quinquaginta ferme *Celtæ & Hispani mittũtur in subsidium Lacedæmoniis.*
equitibus aduehebant. Postridie Thebani, ceterique
horum socij acie instructa, quum planiciem vsque ad
mare, contiguosque vrbi tumulos, compleuissent: quid-
quid erat in ea, quod vsui posset esse, vastabant. Atheniẽ-
sium quidem, ac Corinthiorum equites non admo-
dum prope ad hostium accedebant castra, quod illorum
robur ac multitudinem conspicerent. Verum missi a
Dionysio equites, tametsi pauci numero, hinc inde pa-
lati, atque alius alibi irruentes, adactis equis emitte-
bant in hostem iacula: quo ipsos inuadente, pedem refe-
rebant, rursumque conuersi hastas iaciebant. Atque in-
terim, dum hæc facerent, etiam de equis descendentes,
quiescendo se recreabant. Quod si quidam in eos ada-
ctis equis pergerent, posteaquam ab eis descenderant:
agiliter illis vicissim conscensis, discedebant. At si qui
rursus eos, longe ab exercitu suo progressi, persequeren-
tur; illos pedem relaturos adorti iaculis grauiter vul-

nerabant, adeoq; copias vniuerſas ſua cauſſa mouere ſe, ac viciſſim pedem referre cogebant. Secundū hæc Thebani quum iſtic dies non multos manſiſſent, domum redierūt, idem ceteris quoq; facientibus. Tum vero miſſi
618 a Dionyſio milites Sicyonem inuadunt, ac Sicyonios in campo commiſſa pugna vincunt, eorumque prope LXX occidunt. Quin & Deras oppidum vi capiunt. Atque his quidem rebus geſtis, auxiliares a Dionyſio primū miſſæ copiæ Syracuſas nauigarunt. Ceterum Thebani, omneſque alij, qui a Lacedæmoniorum fide diſceſſerāt, ad hoc vſque tempus magno animorum conſenſu tum gerebāt omnia, tum expeditiones ſuſcipiebant, in quibus Thebani duces erant. Verum exortus eſt Lycomedes quidam Mantinæus, genere nulli ſecundus, opibus pollens, atq; etiam ceteroquin ambitioſus. Hic Arcadum animos erexit, quum ſolis ipſis patriam eſſe Peloponeſum diceret, quippe qui ſoli eſſent indigenæ: Arcadumque nationem inter alias Græcas ampliſſimam eſſe, ac habere corpora laborum patiētiſſima. Eoſdem viros fortiſſimos eſſe demonſtrabat iis argumentis, quod quum copiis auxiliaribus alicui opus ſit, nullos Arcadibus præferat. Præterea neque Lacedæmonios abſq; ipſis vmquam Athenas inuaſiſſe, neque iam Thebanos ſine Arcadum copiis Lacedæmonem petere. Quamobrem ſi ſapitis, inquit, deſinetis alios, euocantes vos aliquo, ſequi. Nam antehac Lacedæmonios ſequuti, eoſdem amplificaſtis. Nunc quoq; Thebanos ſi ſequamini temere, ac non alternatim & ipſi ducum munere fungi poſtulabitis: fortaſſis eos paullo poſt experiemini alios quoſdā Lacedæmonios eſſe. Hęc quum audirent Arcades, inflati Lycomedem mirifice amplecti, ſolum hunc virum eſſe dicere: adeoque duces deligere, quos ipſe iuberet. Præterea rerum ex euentu ſumebant animos Arcades. Nam quo tempore Argiui Epidauriorum fines ingreſſi ſunt. Atque exitu a mercenario Chabriæ milite, Athenienſibus & Corinthiis prohibiti: preſſis admodū ſuppetias ferentes, obſidione Argiuos liberabant, quamquam non homines tantum, ſed etiam loca aduerſa experirentur. Iidē cum copiis Aſinen Laconicæ oppidum profecti, præſidium Lacedæmoniorum fuderunt: & Geranore Spartano polemarcho interfecto

Lycomedes Mantinæus.

fecto, suburbium quoq; Atheniensium diripuere. Quocumq; item pergere cum exercitu vellent, non eos nox, non hyems, non viæ longitudo, non montes aditu difficiles ab instituto reuocabant: quo fiebat, vti se illa tempestate præstare ceteris arbitrarentur. Ob has caussas Thebani subinuidebant eis nec æquis erant in Arcades animis. Elei vero, quum repetentes ab Arcadibus eas ciuitates, quæ ipsis a Lacedæmoniis ademtæ fuerant, animaduerterent eos non solum quæ ab ipsis dicerentur floccipendere: sed Triphylios etiam vna cum aliis, qui ab ipsorum fide defecerant, quod ij se Arcades esse profiterentur magnifacere: cœperunt & ipsi infestis esse erga Arcades animis. Ita quū socij singuli suis reb. magnopere confiderent, Philiscus Abydenus magnis cum pecuniis ab Arioborzane venit, ac primum Delphos pacis componendæ caussa, Thebanos, eorumq; socios, & Lacedæmonios conuocat. Eo quum ventum esset, non illi quidē cum Apolline rem communicabāt, quo pacto pax esset ineunda: sed ipsi inter se consultabant. Posteaquā Thebani non permitterent, vt Messene Lacedæmoniorum esset in potestate: magnas mercenariorum militum copias Philiscus cogebat, vti bello Lacedæmonios iuuaret. Dum hæc agerentur, aderant & alteræ summissæ a Dionysio Lacedæmoniis auxiliares copiæ. Quumque dicerent Athenienses, oportere ipsos in Thessaliam aduersus Thebanos mitti; Lacedæmonij vero, in Laconicam: vicit hæc in cœtu sociorum sententia. Posteaquam hi a Dionysio missi Lacedæmonem nauigassent, sumens eos secum Archidamus, itemque patriæ copias, ad bellum gerendum profectus Caryas vi cepit, & quotquot viuos nanctus est, interfecit. Inde recta deductis copiis ad oppidum Arcadiæ Parrasias, agrum illorū vastabat. Quumque Arcades & Argiui suppetias ferrent, pedem retulit, ac in tumulis Mideæ imminentibus castra metatus est. Heic quum subsisteret, Cissidas, auxiliarium copiarum a Dionysio missarum dux, aiebat præteriisse iam sibi tempus, quo adesse Lacedæmoniis iussus fuisset. Simul his dictis via, qua Spartam itur, discessit. Quū autem discedentem Messenij arta quadam in via interclusissent: mittit ad Archidamum, vtque suppetias sibi ferat, hortatur.

619

Philiscus pacem facere nititur.

Archidami expeditio.

† *Eutresios.*

Illo auxilij caussa aduolante, posteaquam ad diuerticulum, quod † Euctresios versus ducit, ventum esset: Arca-
620 des & Argiui Laconicam ingressi sunt, vt & ipsum itinere, quo in patriam eundum erat, intercluderent. Verum Archidamus loco plano, vbi concurrunt viæ, quæ versus Euctresios & Mideam ducunt, aciem instruit, tamquam manus cum hoste conserturus. Proditum est etiam, ipsum ante cohortes progressum, huiusmodi verbis eos inflammasse: Modo, ciues, strenuos nosmet declarantes, rectis oculis suspiciamus, posterisq; patriam talem tradamus, qualem a maioribus accepimus. Desinamus tamdem liberis, vxoribus, senioribus, hospitibus esse pudori, qui nos antehac supra Græcos omnes maxime suspiciebant. His dictis, cælo sereno perhibent ei fulgura, tonitruaq; dextra contigisse. Pręterea accidit, vt ad cornu dextrum delubrum & simulacrum Herculis esset, cuius ex posteris Archidamus esse ferebatur. Enimuero rebus hisce omnibus tantum ardoris audaciæque militibus iniectum fuisse perhibent, vt ducibus esset difficile cohibere milites, qui in hostem proruebant. Mox ducente Archidamo in hostes, pauci eorum ad telorum vsque ictum ipsos excipientes, interemti sunt: ceteri quum fugerent, magna ex parte vel ab equitibus, vel a Celtis sunt occisi. Commisso iam prœlio, quum tropæum statuisset: mox Demotelem præconem domum mittit, qui huius victoriæ magnitudinem, in qua Lacedæmonius occubuerat nemo, magna hostium multitudine interemta, nuntiaret. Proditum est autem, Spartanos, quum hæc audiissent, initio ab Agesilao, senioribus, Ephoris facto, collacrumasse vniuersos. Vsque adeo lacrumę tum læticiæ, tum dolori sunt communes. Neque multo minorem Thebani ac Elei voluptatem ex Arcadum aduersa fortuna, quam Lacedæmonij capiebant. Adeo iam fastum eorum ægre ferebant. Quum autem adsidue consultarent Thebani, qua ratione imperio Græciæ potirentur: arbitrabantur se, si Persarum ad regem aliquos mitterent, posse per hunc reliquis superiores euadere. Quamobrem conuocatis sociis sub specie, quasi etiam Euthycles Lacedęmonius apud regem esset: ad eumdem adscendunt ex Thebanis Pelopidas, ex Arcadibus Antio-

Illustris Archidami victoria.

Lacrumæ gaudij significatio interdum.

tio-

tiochus ille pancratij victor, ex Eleis Archidamus. Erat & .... Argiuus horum comes. Prȩterea his auditis, Athenienses quoq; Timagoram & Leontem miserunt. Postea quam ventum ad regem esset, longe plus ceteris Pelopidas apud eum valebat. Nam dicere poterat, solos ex Græcis Thebanos regi adfuisse in ea, quæ ad Platæas cōmissa fuisset, pugna. Eosdem ne deinceps quidem vnquā bellum regi fecisse, ac propterea bello vexatos a Lacedȩmoniis fuisse, quod cum Agesilao militare aduersus régem noluissent. Præterea non permisisse se huic, vt Dianæ apud Aulidem sacrum faceret: quo loco Agamemnō facta re sacra in Asiam traiecisset, ac Troiam deinde cepisset. Magnum hoc quoque Pelopidæ momentum adferebat ad hoc, vt honore adficeretur, quod apud Leuctra Thebani victores exstitissent: & quod palam esset, eos agrum Lacedæmoniorum depopulatos. Addebat inter alia, prœlio victos a Lacedæmoniis esse Argiuos & Arcades propterea, quod Thebani eis non adfuissent. Atque hæc omnia vere ab eo dici, Timagoras Atheniēsis testimonio suo confirmabat: idemque secundum honoris a Pelopida locum obtinebat. Postea interrogatus à rege Pelopidas, quid perscribi vellet: respondit, vt à Lacedæmoniorum potestate Messene immunis esset, at vt Athenienses nauigia sua subducerent: ni parerēt, bellum eis indicendum esse. Quod si qua ciuitas sequi recusaret, eam primam esse debere, quæ cum exercitu peteretur. Hæc perscripta quum essent, ac legatis lecta: Leon, audiente rege: Profecto, inquit, iam tempus est, Athenienses, vti quidem videtur, vt alium vobis amicum regis loco quæratis. Quum autem regi scriba renunciasset, quid legatus Atheniēsis dixisset rursum exposuit hæc, quæ fuissent adscripta: Quod si quid æquius Athenienses scirent, id missis ad regem oratoribus significarent. Posteaquam hi legati singuli domum rediissent, Timagoram Athenienses capite multarunt, accusante ipsum Leonte, quod ne quidem vti secum eodem contubernio voluisset, & omnia consilia cum Pelopida communicasset. Ex reliquis oratoribus Archidamus Eleus regem prædicabat propterea, quod Eleos Arcadib. prætulisset. Antiochus vero, quod Arcadum nationis exsti-

621 *Pelopidæ apud regē Persicum auctoritas.*

matio fuisset exigua, neque munera recipiebat a rege, & renuntiabat * decies millibus, regem & panum, & obsoniorum artifices, & pocillatores, & ostiarios complures habere: sed viros, ait, qui aduersus Græcos dimicare possint, quamquàm admodum quærerē, videre tamen non potui. Præterea videri sibi, pecuniarum illam copiam ad inanem ostentationem comparatam esse. Nam & nobilem illam platanum aureā ne cicadæ quidem vmbram præbere posse. Thebani, quum vrbes vniuersas ad audiendas regis literas conuocassent, easque Persa is, a quo adlatæ fuerant indicato regis sigillo pellegisset: iubebant, vt omnes, quotquot amici esse vellent, in hanc sententiam regi ac ipsis iusiurandum præstarent. Verum legati vrbium respōdebant, se missos esse non iuratum, sed auditum. Quod si sacramentum præstandum esset, ad vrbes ipsas mitterent, hortabantur. Addebat Lycomedes Arcas, ne conueniri quidem Thebis debere: sed istic, vbi bellum geratur. Ei quum Thebani succenserent, ac socios ab ipso corrumpi dicerent: ne quidem in concilio sedere voluit, sed discessit, sequētibus eum vniuersis Arcadum legatis. Posteaquam ij, qui conuenerant Thebis, iurare recusassent: ad vrbes ipsas Thebani legatos mittebant, & hortabātur, vt ex decreto regiarum litterarum iusiurandum præstarent. Simul arbitrabātur, vnāquamque ciuitatem verituram, ne in regis & ipsorum odium incurreret. Verum vbi primum Corinthum venissent, ac restitissent Corinthij, neque se iuramēti cum rege communis egere respōdissent: tum deinde sequutæ sunt hos & aliæ complures vrbes, inque sententiam eamdem responderunt. Hoc pacto instituta imperij adfectatio a Pelopida & Thebanis ad nihilum recidit. Quum autē rursus Epaminondas primum Achæos subiicere cogitaret vt eo magis tum Arcades, tum reliqui socij dicto audientes essent: suscipiendam esse hanc in Achaiam expeditionem statuit. Itaque Pisiam Argiuum, qui Argiuorum imperator erat, permouet: vt Oneum præoccuparet. Ille quum certior redditus esset, Oneum a Naucleo, qui cōducticio Lacedæmoniorum militi præerat, & Atheniēsi Timomacho negligenter custodiri: cum IICIↃ grauis armaturæ peditibus collem, Cenchreis imminentem, no-

Qui Arcadiæ præerant.

622

Res ab Epaminonda gestæ.

ctu occupat, commeatu dierum VII. instructus. Interea Thebani domo profecti Oneum superant, & vniuersis cum sociorum copiis Achaiam, Epaminonda duce inuadunt. Quumque optimates per Achaiam ad ipsum deficerent, eam Epaminondas auctoritatem vsurpabat; 623
vt nec optimates in exsilium eiicerentur, nec reipublicę status immutaretur: sed tantum fide ab Achæis accepta, qua sancte policerētur, se socios futuros, & sequuturos, quocumque Thebani ducerent, ita deinde domum discessit. Quum autem Arcades & ij, qui aduersæ factionis erant, Epaminondam accusarent, quod constituta ex vsu Lacedæmoniorū Achaia discessisset: visum est Thebanis pręfectos ad vrbes Achaicas mittere. Illi quum aduenissent, optimatibus cum multitudine eiectis, statum popularem in Achaiam introducebant. Verum exsules collecti, quum non pauci essent, celeriter ad ciuitates singulas reuersi, eas recuperatas occupabant: quumque iam ab exilio rediissent, non amplius medios se gerebāt; sed alacriter opem Lacedæmoniis ferebant. Itaque premebantur Arcades ex vna parte a Lacedæmoniis, ex altera ab Achæis. Ceterum Sicyone, ad hoc vsq; tempus, respublica secundum Achæorum leges administrabatur: verum quum Euphro cuperet itidem, vt apud Lacedæmonios auctoritate supra ciues ceteros summa erat, etiā apud ipsorum aduersarios primas obtinere: Argiuis & Arcadibus significat, si plane summa potestas Sicyone penes opulentissimos esset, nullo negotio rempubl. eam oblata saltim occasione rursus Lacedæmoniorum partes sequuturam. Sin popularis status introduceretur, certo, inquit, scitote; mansuram in fide. Quapropter si mihi adfueritis, equidem vobis populum conuocabo, simulque tum meo nomine fidem vobis dabo, tum vt ciuitas ipsa constanter hac in societate persistat, efficiam. Atq; hæc, inquit, facio, quod iamdudum itidem, vt vos Lacedæmoniorum arrogantiam iniquo animo feram, ac seruitute me lubens liberare cupiam. Ea quum Arcadibus & Argiuis audita iucunda essent, præsto ei erant, Euphro statim in foro, præsentibus Argiuis & Arcadibus, populum conuocat; administrādam rempublicam dictitans æquo ac pari iure. Posteaquam conuenisset

Euphronis conatus.

populus, iubet vti prætores legerent, quos ipsis visum esset. Illi Euphronem ipsum: cum Hippodamo, Cleandro, Acrisio, Lysandro deligunt. Quibus ita confectis, Adeam filium suum mercenariis copiis præficit, abrogato Lysimeni, qui antea præfuerat iisdem, imperio. Mox
624 Euphro de quibusdam horum exterorum militum bene merendo, ipsi vt fidi essent efficiebat: & alios prætereaconducebat, nullis neque publicis, neque sacris pecuniis parcens. Quotquot etiam in exsilium ageret propterea, quod Lacedæmoniorum partes sequerentur: eorum facultates quoque sibi vsurpabat. Præterea collegas partim fraude necabat, partim eiiciebat in exsilium. Quo factum, vt suam in potestatem redigeret omnia, palamque tyrannidem exerceret. Atque ad hæc vt socij conniuerét, vel largitionibus impetrabat, vel eo, quod impigre cum mercenariis copiis eos sequeretur, si quam illi expeditionem susciperent. Posteaquam hæc ita successissent, & Argiui quidem Tricranum, in agro Phliasio supra fanum Iunonis situm, mœnibus cinxissent, Sycionij vero in finibus eorum Thyamiam munirent, vehementer Phliasij premebantur, & commeatus inopia laborabant. Nihilominus constanter Lacedæmoniorum in societate persistebant. Enimuero quum eorum, quæ præclare magnis a rebuspublicis geruntur, omnes historici meminerint: equidem arbitror multo magis esse operæpretium, indicari ea, quæ exiguum aliquod oppidum & insignia, neque pauca numero gesserit. Inierant cum Lacedæmoniis amicitiam id temporis Phliasij, quum amplissima ipsorum esset potestas. Iidem adtritis Lacedæmoniorum in prœlio ad Leuctra viribus, quum plerique finitimi deficerent ab ipsorum fide: facerent idem serui omnes, qui Helotes dicuntur, omnesque socij, paucis exceptis: bellum aduersus eos mouerent, vt ita dicam, Græci vniuersi: in fide tamen perstiterunt. Quamquam etiam infestos sibi haberent Argiuos & Arcades, omnium in Peloponeso potentissimos: nihilominus opem eis tulerunt, & quidem sorte hoc illis obtigit, vt postremi omnium eorũ qui Lacedæmoniis coniunctim suppetias ferebant, Prasias se conferrent. Erat inter hos Corinthij, Epidau-

Phliasiorum fides erga socios.

rij,

tij, Trœzenij, Hermionenses, Halienses, Sicyonij, & Pellenenses. Nimirum numquam a Lacedæmoniis defecerunt. Immo ne tunc quidem, quum relictis ipsis, mercenariorum militum ductor abiret cum iis qui antecesserant, sese in itinere conuerterunt: sed mercede conducto Prasiis viæ duce, quum hostes iuxta Amyclas essent, vti quidē poterant penetrantes, Spartam venerunt. Lacedæmonij sane quum aliis eos honoribus ornarent, tum bouem etiam ipsis hospitalis doni loco miserunt. Post vbi hostibus Lacedæmone discedentibus Argiui, ob singularem erga Lacedæmonios beneuolentiam, Phliasiis succensentes, vniuersis cum reipublicæ copiis Phliuntis agrum ingressi essent, eumque populando vastassent: tamen ne sic quidem illi quidquam remisere. Quin etiam id temporis, quum Argiui finibus ipsorum excederent, vastatis rebus, quas quidem poterant, omnibus: egressi aduersus eos Phliasiorum equites, vestigiis ipsorum inhærebant. Quumque vniuersus Argiuorum equitatus, vna cum cohortibus, quæ collocatæ post equites fuerant, agmen extremum tutarentur: tamen hos adgressi LX omnino Phliasiorum equites, totum illud agminis extremi præsidium in fugam verterunt. Et quamuis paucos ex eis occiderent, tamen in Argiuorum conspectu tropæum excitarunt, quod erat perinde, ac si eos omnes interfecissent. Rursus quum Lacedæmonij, eorumque socij, præsidio tenerent Oneum, ac Thebani aduentarent, quasi qui superare Oneum vellent, pergentibus interim per Nemeam Eleis & Arcadibus, vt se cum Thebanis coniungerent: significabant eis Phliasiorum exsules, posse Phliuntem capi, si tantum se ostendissent. Posteaquam illi adsensi essent, noctu sub ipsis muris exsules & alij IↃC cum scalis delitescebant. Inde significantibus a * Tricrano speculatoribus, quod hostes aduentarent, quum in hos ciues intenti essent: interea proditores delitescentibus signum dant, vt adscenderent. Quapropter illi conscensis muris occupatisque custodum armis desertis, diurnos excubitores numero decem persequebantur. Nam de singulis quinionibus custos diurnus vnus relictus fuerat. Ex his vnum illi adhuc dor-

625

al. Tricarano.

mientem, alterum ad Iunonis fanum se recipientem interfecere. Quum autem ab his fugæ studio de muro desiliretur in vrbem, spectantibus diurnis excubitoribus; absq; cõtrouersia tenebant iam arcẽ ij, qui ascenderant. Verum excitato clamore, quum ciues suis suppetias latum accurrerent; primum hostes ex arce prodeuntes ante portas, quæ in vrbem ducunt, dimicabant. Deinde obsessi ab iis, qui opem suis latum adfluebant, rursus arcem versus pedem referebant. Heic Phliasiorum grauis armaturæ pedites vna cum ipsis in arcem irrumpunt. Itaque media pars arcis mox deserta relinquebatur, &
626 hostes muris ac turribus conscensis, ingressos telis ac iaculis feriebant. Illi vero de inferiore loco se defendebant, & ad scalas in murum ducentes, dimicabãt. Postea quam ciues nonnullas hinc & inde turres occupassent, insano more cum iis, qui ascenderant, congrediebantur. Illi quum ciuium audacia & dimicatione vrgerentur, in angustum cogebantur. Interim Arcades & Argiui vrbem cingebant, & de superiore loco murum arcis perfodiebant. Ciues, qui erant in arce, alij hostes in muro, alij extrinsecus adscendentes in ipsis scalis feriebant: alij aduersus eos, qui iam turres conscenderant, dimicabant: quumque reperissent in tabernaculis ignem, turres ipsas incendebant adlatis manipulis, qui forte ipsa ab arce demessi fuerant. Tum vero qui in turribus erant, flammam veriti desiliebant: qui autem in muris a ciuibus cæsi expellebantur. Posteaquam semel cœpissent cedere, confestim arx tota deserta est ab hostibus, & equites vrbe sunt egressi. Quos vbi conspexissent hostes, scalis & cadaueribus interfectorum, atque etiam nonnullis adhuc viuis, qui crura fregerant, relictis discedebant. Perierunt ex hostibus, qui vel intus pugnauerant, vel extra vrbem & arcem saltabant, non pauciores quam octoginta. Atque heic spectare erat viros salute parta seinuicem complectentes, mulieres vero potum adferentes, simulque præ gaudio lacrumantes. Denique cunctos, qui aderant, mistus lacrumis risus occupabat. Etiam sequenti anno Argiui & Arcades omnes Phliasiorum fines inuaserunt. Erat autem caussa, quamobrem semper Phliasios premerent, partim

quod

quod eis ſuccenſerent, partim quod eſſent loco inter vtroſque medio. Itaque perpetuo bona erant in ſpe, futurum, vt ob rerum neceſſariarum inopiam eos ad deditionem compellerent. Verum hac quoque in expeditione Phliaſiorum equites ac delecti milites hoſtem in traiectu amnis vna cum Athenienſibus, qui aderant, ſunt adorti. Quumque victoria potiti eſſent, perfecerunt; vt hoſtis reliquo diei ſpatio ſub cacumina montium ſe reciperet, quaſi caueret, ne fœderatorum quorundam fruges in planicie conculcaret. Rurſus & 627
Sicyonis pręfectus aduerſus Phliaſios bellum mouit, ducens ſecum Thebanos, & præſidiarios, quos habebat, & Sicyonios, & Pellenenſes, qui iam id temporis Thebanos duces ſequi ſolebant. Atque huic expeditioni aderat etiam Euphro, qui ſecum habebat ſtipendiarios milites plus minus II C IↃ. Ac tum alii quidem per Tricranum ad Iunonis fanum deſcendebant, quaſi vaſtare vellent ea, quæ erant in campo. Verum iuxta portas, quæ Corinthum ducunt, in cacumine Sicyonij ac Pellenenſes relicti erant; ne hac Phliaſij circumeuntes, ſupra fanum Iunonis altiorem locum occuparent. Poſteaquam oppidani hoſtes planiciem ingreſſos animaduerterant, equites & delecti ex omni numero Phliaſiorum aduerſus eos prodeunt, ac pugnando prohibent, quo minus in planitiem deſcenderent. Maxima diei pars velitationibus eſt conſumta, quum Euphronis milites hoſtem ad ea vſque loca perſequerentur, quæ equitibus erant idonea: oppidani contra, vſque ad Iunonis fanum. Poſteaquam tempus abeundi eſſe putabant, abierunt hoſtes ita, vt Tricranum circumirent. Nam quominus via breuiori contenderent ad Pellenenſes, vallis ea, quæ ante caſtellum hoc erat, impediebat. Quumque Phliaſij parumper eos vſque ad accliuia ſequuti eſſent, conuerſo itinere, iuxta caſtellum aduerſus Pellenenſes & alios, qui cum illis erant pergunt. Ea Phliaſiorum feſtinatione cognita, præfectus Thebanus cum ſuis contendebat, vt mature Pellenenſibus opem ferret. Sed quia Phliaſiorum equites horum conatum anteceperant, Pellenenſes adorti ſunt. Illis hoſtem initio excipientibus, pedem Phliaſij retulere; ſumtiſque

ſecum peditibus, qui aduenerant, rurſus in hoſtes perrexerunt, manumque conſeruerunt. Tum vero terga dare hoſtes, ac Sicyonij quidam interfici, & Pellenẽſes multi ſane forteſque viri. His actis, Phliaſij tropæum ſtatuunt illuſtre: quum pæana, ceu par erat, canerent. Interim Thebani ducis & Euphronis milites hæc adſpectabant vndique, quaſi ad ſpectaculum circumcurſitaſſent. Hinc Sicyonem hoſtes ſe contulerunt, oppidani vero in vrbem. Etiam hoc præclare factum a Phliaſiis, quod quum Pellenenſem quemdam hoſpitem ciuitatis ſuæ publicum cepiſſent: tametſi rerum omnium inopia premerentur, nihilominus eum ſine pretio dimiſerint. Quis
628 eos, qui talia perpetrant, non viros magnanimos & fortes dixerit? Eoſdem magna conſtantia fidem amicis datam non violaſſe, cuiuis eſt perſpicuum. Nam quum prohiberentur, quo minus agri ſui fructus perciperent: partim victum ex hoſtium agro petebant, partim eum Corinthij emebant, quum quidem non ſine multis periculis ad forum illud irent, ac difficulter pretij copiam ſibi pararent, difficulter inuenirent, qui pretium ſuppeditarent. Immo vix fideiuſſores pro iumentis dare poterant, quæ commeatum adueherent. Deniq; ſummam ad rerum inopiam redacti, a Charete impetrant, vt ab ipſo deducerentur. Phliuntem vbi veniſſent, eumdem rogant, vti turbam inutilem ſecum Pellenen duceret, quam quidem iſtic reliquerunt. Deinde coemtis neceſſariis, oneratiſque iumentis, quot quidem poterant, noctu diſceſſere: non illi quidem ignorantes futurum, vt ab hoſte inſidiæ ſtruerentur: ſed arbitrati grauius eſſe rebus neceſſariis carere, quam dimicare. Itaque vna cum Charete progrediebantur. quumque incidiſſent in hoſtes, mox eos adoriri ceperunt; ac ſemet cohortati mutuo, tum hoſtes vrgebant ipſi, tum clamoribus Charetis opem implorabant. Victoria potiti, & hoſte de via reiecto: cum omnibus, quæ ſecum vehebant, ſalui domum peruenere. Quia vero ea nocte vigilauerant, multam in lucem vſque dormiebant. Poſteaquam deinde ſurrexiſſet Chares, accedunt ad eum equites, & ciues rebus gerendis maxime idonei cum his verbis: Hodie tibi, Chares, pulcherrimum facinus patrandi offertur occa-

fio. Nam Sicyonij castellum nostris in finibus exstruunt, & ad eam rem multorum quidem ædificatorum vtuntur opera, paucorũ vero militum. Quapropter nos quidem equites, & robustissimi quique ciues, duces itineris erimus: tu vero si cum milite mercenario sequeris, fortassis rem confectam inuenies: fortassis hostes, si quidem te ostẽderis, terga dare coges, vti factum apud Pellenen. Quod si quid esse difficultatis hac in re putas, quã proponimus, Deos per exta consulito. Arbitramur enim, Deos magis iussuros hæc te facere, quam nos. Hoc quidem certe, Chares, scire te volumus futurum, vt hac re patrata non solum munitionem hostibus ipse obieceris: sed etiam oppidum amicitia coniunctum incolume serues. Præterea clarissimum in patria nomen 629
consequeris, & tam apud hostes, quam socios eris celeberrimus. Hac oratione permotus Chares, rem sacram faciebat. Interim Phliasiorum equites confestim loricas induebant, & frænabant equos: graui armatura parante omnia, quæ peditibus essent necessaria. Posteaquam sumtis armis eum ad locum pergerent, vbi Chares exta consulebat: occurrit eis cum hariolo Chares, & vterque perlitatum, aiebat. Ac vos quidem inquiunt, exspectate parumper, dum nos quoque vobiscum exeamus. Re celerrime denuntiata, diuina quadam alacritate animorum etiam stipendiarij milites excurrebant. Posteaquam proficiscendi Chares initium fecisset, præcedebant equites peditesque Phliasiorum: qui primo quidem celeriter eos ducebant, deinde cursitabant: tamdem equites † totis viribus prouehebantur, ac pedites currebant, vti quidem poterant, non perturbatis ordinibus. Sequebatur hos Chares properanter. Et fiebant hæc paullo ante solem occidentem. Itaque hostes in castello reperiunt partim se lauantes, partim parantes obsonia, partim panes, nonnullis etiam lectos sternentibus. Hi quum Phliasios vehementi cum impetu irruere viderent, mox perterriti fugiunt, ac viris fortibus commeatum omnem relinquunt. Quapropter illi tum iis vescuntur, tum aliis, quæ adlata domo fuerant: factaque ob rem prospere gestam libatione, ac pæane absoluto, constitutis excubiis, dant se quieti. Co-

† *Lectio marginis.*

rinthij noctu de Thyamia certiores facti, perhumaniter iussis per præconem colligi vehiculis ac iumentis omnibus, iisque frumento oneratis: Phliuntem ea deducunt, & quam quidem diu circumdatum munitionibus hostium erat oppidum, cottidie commeatum eo deducentibus suis mittebant. Atque hactenus de Phliasiis quod fœderatorum in fide perstiterint, toto illo bello fortiter se gesserint, denique rerum omnium inopia pressi nihilominus in societate permanserint, diximus.

Aeneas Stymphalius tyrannidem Euphronis euertit.

Ceterum hoc fere tempore Æneas Stymphalius, Arcadum prætor, quum quæ Sicyone fierent, minime tolerandа duceret: cum copiis in arcem adscendens, conuocabat præstantissimos quosq; Sicyoniorum, qui in vrbe erant, itemque sine decreto publico proscriptos arcessebat. Ea re perterritus Euphro, in portum Sicyoniorum se conferebat, ac Pasimelum Corintho ad se euocans,
630 per eũ Lacedæmoniis portum tradebat, rursumque ad societatem illorum redibat, ac se Lacedæmoniorum in fide perstitisse profitebatur. Nam quo tempore per suffragia quæsitum Sicyone fuisset, num ab eorum fide discedendum esset: eum paucis se, id minime faciendum, censuisse aiebat. Postea quum in eos, a quibus proditus fuerat, animaduertere voluisset: popularem se statũ constituisse dicebat. Adeoq; nunc, inquit, omnes illi, qui vos Lacedæmonios deseruere, per me adhuc exsulant. Quapropter si mea id fuisset in potestate, vniuersa cum vrbe ad vos defecissem. Nunc quem occupaui portum, vobis tradidi. Audiebant hæc ex eo complures, sed quam multi fidem ei haberent, non admodum patet. Quia vero mentionem eorum, quæ Euphro designauit, facere cœpi: quæ restant, continuare lubet. Quum Sicyone dissiderent inter se optimates ac populus, Euphro secum Athenis ducto mercenario milite, in patriã rediit. Itaq; vrbem, vna cum populo sua in potestate habebat; præfectus vero Thebanus arcem. Quum autem intelligeret, non posse se, quam diu a Thebanis arx teneretur, vrbem sua in potestate retinere: coacta pecunia, Thebas profectus est, * per eas Thebanis persuasurus, vt optimatibus eiectis, vrbem sibi restitueerent. Verum ii, qui prius acti ab eo fuerãt in exsilium, cognito ipsius itinere ac

**Per eam, sc. pecuniã vel ante dicendum, coactis pecuniis. Æ.P.*

re ac

re ac instituto : & ipsi Thebas aduersus eũ profecti sunt.
Quumque familiariter eum cum magistratibus versari *Euphro in-*
viderent, veriti ne, quæ vellet, impetraret: adito quidam *terficitur.*
ex eis periculo, in arce hominem iugulant, quo tempo-
re istic Thebani magistratus & senatus considebãt. Mox
illi, qui erant in magistratu, ad senatum cædis auctores
introducunt, eumq; verbis hisce compellant: Viros hos-
ce, ciues, qui Euphronem interemere, capitis arcessi-
mus. Videmus enim, modestos homines nihil nec iniu-
stæ, nec impiæ rei designare : quum improbi flagitiose
quidem illi agere soleant, verũ id nihilominus clam esse
cupiant. At hi tantum omnes homines audacia scelere-
que superarunt, vt haud procul a magistratibus, & vobis
ipsis, penes quos morte multandi, vel absoluendi pote-
stas summa est, arbitratu proprio hunc occiderint. Quã-
obrem si extremo hi supplicio non adficientur, quis in
vrbem venire audebit? quid erit ciuitas, si cuiuis licebit
occidere prius, quam significarit, quamobrem huc quis-
que veniat? Enimuero nos istos reos agimus, vt impro- 631
bissimos ac facinorosissimos homines, quique insigni-
ter rempublicam hanc contemserint. Vos re cognita,
quo digni esse supplicio videbuntur, hoc eos adficite.
Huiusmodi magistratuum erat oratio. Ceterum reliqui
percussores se patrasse cædem hanc negabant, vno exce-
pto, qui rem ingenue fatebatur, seq; hoc quodam mo-
do purgare incipiebat. Vos vero, Thebani, non potestis
contemnere, qui non ignorat, posse vos secum arbitratu
vestro agere. Quo autem iure fretus hunc hominẽ heic
occiderim, dicam : Primum eam ob causam id fecisse me
scitote, quod existimarem a me fieri iustissime. Deinde,
vt vos recte de causa cognosceretis. Sciebam enim vos,
quum Archias & Hypates iis similia sua cum factione
patrarent, quæ designauit Euphro: non exspectasse iudi-
cij calculum, sed quamprimũ fieri potuit, pœnas de eis
sumsisse. Nam statuebatis eos, qui palã essent impii, pa-
lam proditores ac tyrãnidis vsurpatores, ab omnib. ho-
minibus iam capitis damnatos esse. Ac Euphro quidem
certe horum omniũ reus erat. Nam quum templa repe-
risset ornata donariis aureis ac argenteis, omnib. his ea
spoliauit. Proditor vero quis manifestior fuit Euphrone?

qui quum Lacedæmoniis amicissimus esset, vos illis prætulit. Idem data & accepta a vobis fide, rursum vos deseruit, ac portum vestris aduersariis tradidit. Et qui non citra excusationem omnem tyrannus erat, qui seruos non modo libertate, sed etiã ciuitate donabat? Idẽ interficiebat, agebat in exsilium, facultatibus spoliabat non iniustum aliquid designantes, sed quos ei collubitum erat, in quibus erãt optimates. Præterea * nobis infestissimorum Atheniensium ope recuperata ciuitate, præfecto vestro arma intulit. Quum autem eum vrbe nõ posset eiicere, coactis pecuniis huc venit. Quod si palam aduersus vos armatos collegisset, etiam mihi gratiã haberetis, quod eum interfecissem. Nunc quum pecunias paratas adtulerit, quibus vos corrumperet, ac permoueret, vt rursus eum Sicyone rerum summæ præficeretis: quonam pacto iure a vobis interficiar, qui talem hunc supplicio adfeci? Qui armis coacti sunt, læduntur illi quidem, non tamen esse iniusti videri possunt. At qui
632 pecuniis præter ius & æquum sunt corrupti, simul læduntur, simul turpitudine grauantur. Iam si mihi quidem hostis, vobis autem amicus erat: fateor ipse, factum a me esse improbe, quod apud vos eum interfecerim. At qui vos deseruerat, quo pacto magis mihi, quam vobis, hostis erat? Fortasse quis profecto dixerit: At sponte sua huc venit. Ergo si quis eum extra vrbem vestram occidisset, laudem reperisset: nunc quum reuersus esset, facinora priora cumulaturus aliis, non iure cæsus dicetur? Vnde potest is, qui hoc ait, demonstrare proditores, transfugas, tyrannos, publicis apud Græcos fœderibus contineri? Præterea velim vobis in mentem reuocetis, decretum a vobis factum esse, quo concedistis, exsules comprehensos ex omnibus sociis vrbibus abduci ius esse. Iam qui, quum exsul esset, sine communi sociarum ciuitatum decreto in patriam reuersus sit: eumne quisquam iniuste cæsum dicere possit? Equidem vos aio, Thebani, si me occideritis, vlturos vicem eius, qui vobis infestissimus fuerit. Sin me iuste fecisse iudicaueritis, vlti videbimini non vos solum, sed etiam socios vestros vniuersos. His auditis Thebani iuste cæsum Euphronem pronuntiarunt. Verum ciues ipsi-

us

*Vobis. nã in textu græco est ὑμῖν, nõ ἡμῖν. Æ.P.

us eum, vt virum bonum, Sicyonem adlatum in foro sepelierunt, ac vt patronum vrbis venerantur. Hoc modo magna pars hominum, vti quidem videtur eos viros bonos esse statuit, qui bene sint de ipsis promeriti. Atque hactenus de Euphrone diximus. Quapropter vnde digressus sum, redeo. Nam interea, dum Thyamiam Phliasij muniunt, præsente adhuc Charete, Oropus ab exsulibus occupatus est. Huc Athenienses quum copias vniuersas deduxissent, & Charetem quoque reuocassent: rursum portus Sicyoniorum a ciuibus & Arcadibus capitur. Nemo sociorum suppetias Atheniensibus id temporis tulit, sed discessere: Oropo Thebanorum fidei credito, donec de caussa cognosceretur. Quumque Lycomedes animaduerteret, Athenienses queri de sociis, quod quum ipsis illorum caussa multum negotii facesseretur, nemo tamen vicissim eis opem ferret: † decies millibus auctor esse cœpit, vt de societate cum illis agerent. Ac primo quidem difficile factu quibusdam Atheniensibus videbatur, quod quum Lacedæmoniorum essent in fœdere, aduersariis ipsorum adiungere se deberent. Verum postea, quam ratiocinando comperere, nihilominus ex re Lacedæmoniorum esse, quam sua, Thebanorum auxiliis Arcades non egere: tandem societatem cum Arcadibus inierunt. Eius auctor rei Lycomedes, Athenis discedens, felicissime diem suum obit. Nam quum nauigia complura essent, electo de his, quod ipsi placuisset, pactoque inito, vt vbi vellet ipse, exponeretur: istic e naui maluit egredi, vbi tum forte exsules erant, atque hoc modo extinctus est. Reabse tamen hæc societas inita fuit. Quum autem ad populum Atheniensem Demotio verba faceret, videri sibi recte cum Arcadibus contractam amicitiam, verum dandam esse operam, vt & Corinthus Atheniensium populo salua esset: posteaquam id inaudiissent Corinthij, celeriter missis hinc inde satis magnis præsidiis, vbicumque in excubiis Athenienses erant, eos abire iusserunt, quod iam non amplius opera præsidiariorum egerent. Parebant in hoc illi, quumque de castellis in vrbem confluxissent; edixere per præconem Corinthij, si quis Atheniensis de iniuria sibi facta

hoc est, Arcadum magistratui.

633

Atheniensium & Arcadum fœdus.

queri vellet, is vti nomen suum profiteretur.nec enim ius ei denegatum iri. Atq; hoc rerum statu Chares cum classe Cenchreas adpulit. Quumque quid actum esset, comperisset: adesse se dixit auxilii causa, quod Corintho insidias strui accepisset. Illi collaudata ipsius voluntate, non tamen in portum naues admisere; sed vti cum eis discederet, hortabantur. Itidem milites Athenienses, posteaquam satis eis factum esset, dimiserunt. Hoc modo Athenienses Corintho discesserunt. Vt autem auxiliares equitum copias Arcadibus mitterent, tenebantur ex causa fœderis, si quis Arcadiæ bellum intulisset: neque tamen agrum Laconicum, inferendi belli causa inuadebant. Ceterum Corinthiis, qui secum ipsi perpenderent, difficulter se saluos esse posse, qui iam ante terra premerentur, ac iam nouos aduersarios Athenienses nancti essent, visum est, cogendas esse stipendiarias equitum peditumq; copias. His quum ipsimet præessent, eadem opera ciuitatem suam pręsidio muniebãt, & hostes suos vexabant. Pręterea Thebas mittunt interrogatum, pacemne possent impetrare, si eo venissent. Quumq; venire Thebani eos iuberent, quod impetraturi pacem essent: orabãt Corinthii, prius vti conueniũdi socios potestatem sibi facerent. Nam cupere se vna cum iis pacem facere, qui eam exposcerẽt: permissuros, vt illi bellum gererent, qui paci bellum præferrẽt. Quod quum itidem eis Thebani concederent, Corinthii Lacedæmonem profecti hac oratione sunt vsi:

634 Corinthii pacem a Thebanis petunt.

„ Venimus, Lacedæmonii, ad vos, qui amici vestri sumus; æquumq; censemus esse, vt si quam in eo rationem salutis vestræ sitam perspicitis, si nos in bello perseuerauerimus: eam nobis etiam cõmonstretis. Sin ad inopiam res vestras esse redactas, intelligitis: vna nobiscum pacem faciatis, si quidem id ex re vestra fuerit. Nec enim vlli sunt homines, quibuscũ vsq; adeo salui esse cupiamus, ac vobiscũ. At si vos rationem aliquam intelligitis, quamobrem vobis bellum expediat gerere: precamur vos, vti nobis pacem facere per vos liceat. Nam si hoc tempore fuerimus conseruati, fortasse rursus aliquando vobis vsui erimus. Sin iam pereamus, certum est, non posse nos vmquã vobis deinceps prodesse. His auditis Lacedæmonij

non modo dant hoc consilij Corinthiis, vt pacem facerent: sed aliis etiam sociis liberum relinquunt, vt si quidem eis secum bello incumbere non placeret, quiescendo se recrearent. Se tamen perstituros aiebant in bello, atque id facturos, quod Deo visum esset. Numquã certe concessuros, vt Messene, quam a maioribus suis accepissent, sibi eriperetur. Quibus auditis, Corinthij pacis constituendæ caussa Thebas profecti sunt. Ab eis petebant Thebani, vt in ipsorum etiam societatem iurarent. Verum respondebãt Corinthij, societatem non esse pacem, sed belli commutationem. Quod si ita placeret ipsis, adesse se aiebant, vt condicionibus æquis pacem facerent. Quorum virtutem admirati Thebani, quod tametsi essent in periculo, nollent tamen aduersus bene de se meritos bellum gerere: pacem ipsis, & Phliasiis, & quotquot Thebas cum eis venerant, ea condicione concesserunt: vt singuli agro suo potirẽtur. Deinde sacramẽtis hæc cõfirmata sunt. Ac Phliasij quidem, posteaquam hæc pax constituta esset, confestim excessere Thyamia. Verum Argiui, quamquam iisdem cõdicionibus pacem se facturos iurauerant, quia tamen impetrare non poterant, vt Phliasiorum exsules in Tricarano, tamquam si essent in ciuitate sua manerent: Thyamiam receptam præsidio muniebant, quod eum agrum suum esse dicerent, quẽ paulo ante velut hosticum vastauert.ã Quumque Phliasij prouocarent ad causæ disceptationem, denegatum hoc eis est. Atque hoc ferme tempore, quum iam Dionysius maior e viuis excessisset: filius eius naues duodecim, quibus Timocratem præfecerat, in subsidium Lacedæmoniis mittit. Is quum adpulisset, in expugnanda eos Sellasia iuuit; eaque re gesta, domum nauigauit. Non multo post, Lasionem Elei occupant, quod oppidum fuerat illud quidem olim ipsorum in potestate: sed hoc tempore iuris Arcadici erat. Eam rem Arcades minime negligebant, sed mox concitatis suis opem ferebant. Contra prodibant CCC Elei, rursumque CCC. Quumque interdiu castra in campo nonnihil plano Elei hostibus opposuissent, noctu Arcades in verticem montis eius adscendunt, qui Eleis imminebat, ac prima luce aduersus Eleos descendunt. Illi quum simul eos &

Gratitudo Corinthiorum erga Lacedæmonios.

635

Dionysius iunior.

superiore de loco aduentantes viderent, & multo se plures: diu quidem, quo minus discederent, pudore detinebantur, tamdem vero congressi cum Arcadibus, vix conserta cum illis manu fugam arripiunt. Quumque per difficilia loca discederēt, multos & viros & arma desiderarunt. Arcades ea re gesta, versus sita in iugis collium oppida pergunt: quumque ea cepissent, excepta Thrausto, ad Olympiam accedūt. Vbi Saturni ædem vallo muniuissent, præsidium ibi collocant, ac monte Olympiaco potiuntur. Præterea Marganeas, nonnullis cedentibus, capiunt. Quibus ita succedentibus, omnino deiectis Elei quidem animis erant, Arcades vero ad ipsam vrbem vsque accedunt. Quumque ad forum vsque penetrassent, istic Elei quidam equites, aliique se opponunt: expulsisque Arcadibus, & nonnullis interemtis, tropæum statuunt. Erat autem iam ante quoddam apud Elidem dissidium. Nā qui Charopo, Thrasonidæ, Argeo adhærebant, popularis ciuitatis status auctores erant: e contrario Stalcæ, Hippiæ, Stratolæ factio ad paucorum imperium rempublicam reuocabat. Quum autē Arcades qui magnas habebāt copias, iis opitulari viderentur, qui populi potestatem in administratione probabant: audacior ex eo Charopus cum suis erat, pactiq; cū Arcadibus

Eleorum cædes.

636 de summittendis auxiliis, arcem capiunt. Eam rem equites cum CCC. non negligere, sed statim sursum pergere, vique aduersarios ex arce propellere: quo factum, vt cum Argeo Charopoque plus minus CCCC ciues in exsilium eiicerentur. Non multo post, sumptis hi secum Arcadibus quibusdam, Pylum capiunt: quo quidem ad eos multi ex populo ab vrbe confluebant, quod iam oppidum egregium, & ab Arcadibus, quorum erat māgna potentia, subsidia haberent: qui sane deinceps etiam fines Eleorum ingressi sunt, persuasi ab exulibus, futurum, vt vrbs deditionem faceret. Verum id temporis Achæi, Eleorum fœderati, vrbem eorum tutati sunt: eoque factum, vt Arcades alia re nulla gesta, quam quod agrum vastassent, discesserint. Vbi primum egressi fines Eleorum fuissent, certiores facti, Pellenenses apud Elidem esse: noctu itinere longissimo confecto, Olurum Pellenensium oppidum, capiunt. Nam rursum Pellenenses

ſes ad Lacedæmoniorum ſocietatem acceſſerant. Illi re cognita, & ipſi facto circuitu, qua quidem poterant, Pellenen reuertuntur. Deinde cum Arcadibus, qui Olurum tenebant, & vniuerſo cum Arcadum populo bellum gerunt, quamquam ipſi perpauci numero eſſent: neque deſtitere prius, quam Olurum expugnaſſent. Rurſus Arcades alia expeditione Elidem adoriuntur. Quumque inter Cyllenen ac vrbem ipſam caſtra haberent, ab Eleis inuaduntur; quorum & impetum ſuſtinuerunt Arcades, & vicerunt. Tunc Andromachus Eleorum præfectus, qui vt prœlium hoc iniretur, auctor fuerat, ſibi ipſi manus adtulit: reliqui in vrbem pedem retulerunt. Interfectus eſt & Soclidas Spartanus, qui huic pugnæ intererat. Nam hoc tempore Lacedæmoniis cum Eleis ſocietas erat. Quumque in vrbe ſua Elei premerentur, miſſis legatis petebant, vt Lacedæmonij bellum Arcadibus facerent. Exiſtimabant enim, hac potiſſimum ratione Arcades auocari poſſe, ſi vtrimque bello laceſſerentur. Itaque ciues ſuos Archidamus educit, & Cromnum capit, ibique relicto præſidio trium cohortium ex duodecim, quas habebat, domum redit. Arcades ita vti tum forte adhuc erant ab expeditione, qua Elidem inuaſerant, collecti: ſuis opem ferunt, & Cromnum duplici vallo cingunt, eoque muniti Cromnios obſident. Heic quum Lacedæmoniorum vrbs grauiter moleſteque ferret, ciues Cromnios oppugnari, exercitum domo proficiſci iubet, cui tum quoque Archidamus præficiebatur. Is cum copiis profectus, Arcadiam & Sciritidem, quantum poterat, populabatur: omniaque moliebatur, vt ſi fieri poſſet, obſidionem ſolueret. Verum Arcades ſe loco non mouebant, adeoque floccipendebant hæc omnia. Tum Archidamus colle quodam conſpecto, quo vallum exterius Arcades cinxerant, eum ſe poſſe capere putabat: quo quidem ſi potitus eſſet, non iam amplius eos, qui oppidum iſto ſub colle obſidebant, ſubſiſtere poſſe. Quumque copias ſuas ad eum locum ambitu quodam circumduceret, poſteaquam præcurrentes Archidami regis cetrati extra vallum † Eparitos videbant; in eos irruebant, ſimulq; cum eis equites irrumpere conabantur. Illi * minime fugam

637

† gens Arcadica. Steph. epit.

** minime in fugam ſe dabant. Æ. P.*

dabant, sed acie instructa subsistebant. Tunc alij rursus in eos impetum faciebant, sed quum tantum abesset, vt illi terga verterent, vt etiam in aduersos pergerent, magno iam coorto clamore: tum vero Archidamus ipse suis succurrebat, nonnihil deflectens versus eam viam, qua currus agi possunt, & quæ Cromnum ducit; militibus suis in binos instructis, quemadmodum forte tum copias ducebat. Vbi primum propius ad seinuicem accessere, Archidami milites in cornu exporrecti, quod ipsa in via incederent; Arcades vero conferti; & clupeos constipantes: tum vero Lacedæmonij Arcadum multitudini resistere non poterant, adeoque celeriter Archidamus femore traiecto vulnerabatur, interfectis etiam statim illis, qui ante ipsum propugnabant, nimirum Polyænida & Chilone, quocum soror Archidami nupta erat. Denique non pauciores, quã x x x, ex eis interfecti sunt. Hinc vbi de via cedẽtes Lacedæmonij latiorem in locum peruenissent, tum vero aduersus hostes aciem rursus instruebant. Nihilominus Arcades ita, vti tum instructi erant, stabant: ac numero quidem vincebantur, magis tamen viriles habebant animos quippe qui pedem referentes inuasissent, atque etiam quosdam occidissent. Econtrario Lacedæmonij perquam deiectis erant animis, qui vulneratum Archidamum cernerent, & interfectorum audiissent nomina, virorum fortium, ac prope clarissimorum. Tamdem quum propius ad seinuicem accessissent, & quidam ex senioribus exclamasset. Quamobrem pugnabimus, o viri? cur non potius induciis factis rem componimus? perlubenter audita ea voce, induciæ factę sunt. Ita Lacedæmonij sublatis mortuorum cadaueribus discesserunt, & Arcades eo regressi, vnde primum in eos impetum fecerant, tropæum excitarunt. Interea vero, dum Cromnum Arcades obsidebant: Elei, qui erant in vrbe, dum Pylum versus pergunt, forte in Pylios incidũt, qui repulsi a Thalamis fuerant. Itaque profecti ad eos equites Elei, quum primum illos conspicerent, occasionem non negligunt: sed confestim in eos irruẽtes, quosdam occidũt, ceteris in collem se recipientibus. Posteaquam deinde pedites Eleorum accessissent, ab his etiam illi de colle deiiciuntur: partimque sunt interfecti, par-

6.38 (margin, beside "sent, & quidam")

tim

tim viui hostium in potestatem venerunt, prope cc. Ex iis quotquot milites erant mercenarij, diuenditi sunt: exsules autem, iugulati. Hinc Pylios, quum nemo suppetias eis ferret, vna cum oppido capiunt, & Marganeas recipiunt. Aliquanto post Lacedæmonij rursus noctu Cromnum profecti, vallo potiuntur, ac statim Argiuos & Lacedæmonios obsessos euocant. Itaque quotquot ab eis haud procul abfuerant, seque mature parauerant, egressi sunt: quotquot autem Arcades concursantes anteuerterunt, rursus in vrbem conclusi, & capti sunt: sic partiētibus eos deinde hostibus, vt pars vna cederet Argiuis, alia Thebanis, Arcadibus alia, itemque Messeniis. In vniuersum quidem, quotquot ex Spartanis eorumq; finitimis capti sunt, plures fuere, quam centum. Posteaquam Arcades iam non amplius Cromni obsidione occupabantur, rursus aduersus Eleos se conuertebant, ac non solum Olympiam validiori præsidio muniebant: sed etiam adpetente anno Olympiaco, parabāt se ad Olympia celebrāda cum Pisatis, qui se primos templo pręfuisse aiebant. Quum iam mensis adesset, quo peraguntur Olympia; iidemque celebris illius conuentus dies adpetissent: Elei palam se parantes, arcessitis etiam Achæis, qua Olympiam itur, via pergebant. Existimabant autem Arcades, numquam illos vēturos: ideoq; celebritatem eam vna cum Pisatis ipsi moderabantur. Erāt iam absoluti equestres, ceterique cursus quinquertij: & qui lucta inter se decertabāt, non in stadio cursui destinato, sed inter hoc & aram congrediebantur. Nam Elei armati iam ad delubrum peruenerant, quibus Arcades longius non occurrebant: sed ad Cladaum amnem aduersus eos aciem struebāt. Is propter Alten fluens, in Alpheum sese exonerat. Aderant autem Arcadibus auxiliares sociorū copiæ, nimirum ɪɪcɪɔ grauis armaturæ pedites Argiui, & equites Athenienses ferme quadringenti. Nec minus Elei suam aciem ex altera parte amnis hostibus opponebant, mactataq; hostia continuo pergebant. Quāquam autem ante id temporis bellicis in rebus non solum ab Arcadibus & Argiuis, sed etiam Achæis & Atheniensibus contemnerentur: illo tamen die socios, vt omnium fortissimi, pręcedebāt: & Arcadibus, quibuscum primis

Arcades Olympicū certamen gubernare nitūtur

639

Virtus Eleorum nec opinata.

manus conſerebant, confeſtim in fugam actis, etiam exceptos Argiuos, Arcadibus opem ferentes, ſuperabant. Atque vbi hos perſequuti erant ad eum vſque locũ, qui inter curiam, ac Veſtæ templum, theatrumque, quod eodem pertinet, interiacet: pugnabant quidem illi nihilominus, ac verſus aram propellebant hoſtes, ſed a porticibus, & curia, magnoque fano telis petiti, tandemq; prœlio cum eis in planicie congreſſi cædebantur, occiſo cum aliis Eleis ipſo quadringẽtorum principe Stratola. Quibus peractis ad caſtra ſua pedem referunt. Arcades quidem certe, ac alij, qui cum eis erant, vſq; adeo diem ſequentem formidabant: vt nocte iam confecta tentoria demoliri, ſeq; vallo munire non ceſſarent. Elei vero poſtridie accedentes, vbi murum ſatis firmum, ac multos iam fana conſcendiſſe viderent: ſuam in vrbem reuerſi ſunt, quũ tales ſe viros præſtitiſſent, quales quidẽ poſſit Deus inſpirata virtute efficere vel vno die: ſed homines ne longo quidem temporis ſpatio quiuerint illos, qui fortes nõ ſunt, fortes reddere. Ceterum quum Arcadum præfecti pecuniis ſacris vterentur, & iis Eparitos alerent: primi Mantinæi facto decreto prohibuere, ne pecunia ſacra fas eſſet vti. Quumque partem ratam, quæ ipſorum nomine deberetur Eparitis, ex vrbe ſua coegiſſent: eam præfectis miſere. Verum illi, quum ab eis ſocietatem Arcadicam labefactari dicerent, Mantinæorũ præſides ad magiſtratum, qui ex decies millibus conſtabat, in ius vocabant. Et quia Mantinæi non parebant, lata in eos damnationis ſententia, mittunt Eparitos, qui da-

Arcades ſacrã pecuniam rapiunt.

640 mnatos adducerent. Verum Mantinæi portis ſuis occluſis, in vrbem illos non admittebant. Secundum ea nonnulli etiam ex iſtis decies millibus aiebant, non vſurpandas eſſe pecunias ſacras, neq; crimen illud violatæ religionis Deum poſteris in omne deinceps æuum relinquendum eſſe. Poſteaquam etiam publico in concilio ſacrarum pecuniarum vſurpatio reiecta erat, mox Epariti, quotquot ſtipendio carere non poterant, dilabebantur: qui vero poterant, ſe mutuo cohortati Eparitorum in locum ſuccedebant, ne in illorum ipſi, ſed illi in ipſorum eſſent poteſtate. Præfecti autem, qui pecuniam ſacram tractauerant, quũ ſe animaduerterẽt, ſi rationes

eſſent

essent reddendæ, de vita periclitaturos: Thebas mittunt, ac Thebanos monent, ni expeditionem susciperẽt, periculum fore, ne rursus Arcades ad Lacedæmoniorum partes transirent. Itaque Thebani ad eam se militiam accingebant. Contra, qui optime Peloponeso consultum vellent, Arcadum communi persuadebāt, vt missis legatis, dici Thebanis iuberent: ne Arcadiam armati, nisi arcessiti fuissent, ingrederentur. Neq; tantum hæc Thebanis denuntiabant, sed etiam certis rationibus permoti statuebant, bello sibi minime opus esse. Quippe caussam nullam putabāt, quamobrem ipsi Iouis fano præessent: adeoque se iustius ac religiosius facturos arbitrabantur, magisq; gratificaturos Deo, si fanum Eleis restituerent. Quod quum Eleis etiam placeret, vtrisque visum est, pacem esse faciendam: eoque factum, vt inter se fœdus inirent. Posteaquam in hoc præstitum esset sacramentum, iamque non solum alii omnes, sed ipsi quoque Tegeatæ vna cum eo Thebano, qui Tegeæ CCC. armaturæ grauis peditibus Bœotis præerat, iurassent: Arcades alii Tegeæ manentes, conuiuiis ac hilaritati vacabant, libationes instituebant, pæanas decantabant, quasi iam pace constituta. Thebani vero, præfectiq; Arcadum, quotquot a reddendis rationibus sibi metuebant, itemque Bœoti & Epariti, quotquot eadem erant in sententia: clausis Tegeæ portis, ac missis hinc inde lictoribus ad eos, qui agitabant conuiuia, præcipuos quosque capiunt. Et quoniam ex omnibus oppidis Arcades eo confluxerant, omnesq; pacem exposcerent: multos capi necesse erat. Quo factum, vt illico tum carcer, tū domus vrbis publica compleretur. Posteaquam multi iam essent in vincula coniecti, multi de muro desiliissent, quidam 641
etiam per portas emitterentur, quod esset nemo, qui cuiquam succenseret, extra illos, qui se capite multādos existimabant: in maximam Thebanum, & alios, qui hęc vna cum ipso agebant, sollicitudinem coniecit, quod Mantinæi, quos inprimis capere volebant, sane quam paucos comprehendissent. Nam pleriq; omnes domum se contulerant, quippe qui non procul a Tegea distarent. Quum illuxisset, & de iis, quæ gesta erant, Mantinæi certiores facti essent: continuo missis ad ceteras

vrbes Arcadicas nuntiis, vt in armis essent, oppidaq; sua præsidiis munirent, denuntiabant: quod quidem ipsi quoque faciebant. Simul Tegeam quosdam ire iubent, ac reddi sibi, quoscumque Mantinæos haberent, postulabant. Præterea non æquum aiebant esse, quemquam ex ceteris etiam Arcadibus aut vinciri, aut morte multari prius, quam de caussa cognitũ esset. Quod si haberẽt, in quo culparent aliquos: per eosdem nuntios suos indicabant, sancte Mantinæorum rempublicam spondere, se exhibituram in concilio Arcadum publico, quotquot tandem in ius aliquis vocare vellet. Hæc quũ Thebanus ille audiret, quid hac in re ageret, ambigebat: adeoque captiuis omnibus dimissis, postridie conuocabat Arcades, quotquot conuenire volebant: seq; purgabat, ac deceptum esse dicebat. Etenim se narrabat accepisse, Lacedæmonios armatos in finibus adesse, ac nonnullos Arcades Tegeam illis prodere velle. Quæ quum illi audiissent, dimittunt hominem, quamquam eum de Arcadibus mentiri scirent. Inde legatis Thebas missis, sic eum accusabant, vt morte multandum statuerẽt. Dixisse tunc Epaminondam ferunt, qui Thebanorum id temporis imperator erat, rectius hominem fecisse tũ, quum Arcades comprehẽderet, quam quum dimitteret. Nam cur non, inquit, aliquis de proditione iure vos accuset: qui, quum nos vestri caussa bellum geramus, sine consensu nostro pacem fecistis? Enimuero scitote, inquit, suscepturos nos expeditionem in Arcadiam, ac bellum gesturos vna cum iis, qui partes nostras sequuntur. Postea quam hæc ad commune Arcadum, eorumque vrbes renuntiata fuissent: tum vero secum ipsi cogitare cœperunt Mantinæi, aliique Arcades, qui de Peloponeso erant solliciti, itidemque Elei & Achæi, palam Thebanos id moliri, vt Peloponesi vires quammaxime adtererent, quo eam sine vlla difficultate in seruitutem redigerent. Nam cur tamdem bellum nos volunt gerere? num eam
642 ob caussam, vt ipsi nosmet mutuo perdamus, & vtrique ipsorum indigeamus? Cur ad expeditionem accingũt se, quum nos dicamus, in hoc tempore nobis opera ipsorum non opus esse? An non manifestũ est, eos idcirco se ad hãc expeditionem parare, vt aliquo nos damno adficiant?

Peloponesii se aduersus Thebanos coniungũt

ciant? Hinc Athenas suos mittunt, qui Athenienses ad ferendum opem cohortarentur. Præterea legatos ex Eparitis mittunt Lacedæmonem, ac Lacedæmonios hortantur, vt communibus auxiliis prohiberent, ne qui Peloponesum in seruitutem redigerent. Impetratũ etiam inde de principatu, nimirum vt singuli suos intra fines aliis præessent. Interea dum hæc agebantur, domo Epaminondas proficiscebatur, ac secum Bœotos omnes, Euboënses, Thessalos multos, quos partim ab Alexandro, partim ab eius aduersariis acceperat, ducebat. Phocenses tamen nõ sequebantur, quum iis condicionibus initum fœdus esse dicerent: vt, si quis Thebanos inuaderet, opem ferrent: verum vt aduersus alios cum eis militatum irent, id in fœdere comprehendi negabant. Et existimabat Epaminondas, suis a partibus futuros in Peloponeso Argiuos, Messenios, Arcades eos, qui rebus Thebanorum fauebant. Erant hi Tegeatæ, Megalopolitani, † Astheatæ, Palantini, & quotquot oppida propterea, quod essent exigua, & horũ in medio sita, sequi eos cogebantur. Copias ergo celeriter Epaminondas eduxit, quumque Nemeam ingressus esset, nonnihil istic commorabatur, quod intercepturum se transeuntes Athenienses putaret. Nam magnum hoc quiddam fore ducebat, quod suorum quidem sociorum animos confirmare posset: hostium vero, ad desperationem adigere. Atq;, vt breuiter dicam, omnino Thebanis emolumento futurum existimabat, quidquid Athenienses detrimenti accepissent. Interim dũ ille hoc loco diutius hæret, Peloponesij omnes, quotquot consentiebant, apud Mantinęam conuenere. Quum autem audiisset Epaminondas, Athenienses mutato consilio non iam terra facturos iter, sed mari se parare, vt per Lacedæmonem Arcadibus opẽ ferrent: motis e Nemea castris, Tegeam profectus est. Atque equidem hanc illi expeditionem feliciter cessisse, non possum dicere: quæ vero tum prouidentiæ, tum audaciæ facinora sunt, ea desiderari mihi in hoc viro minime posse videntur. Nam primum hoc nõ possum non prædicare, quod intra Tegeatarum muros castra locauerit: quo loco erant tutiora, quam si foris ea locasset, ac quid ageret, minus ab hostibus sciri poterat. 643

† al. Aseatæ.

Epaminondæ encomium.

Præterea si qua re opus esset, eam facilius in vrbe parare poterat. Hostes vero quum castra extra oppida haberēt, perspici poterat, siue quid recte gererent, seu perperam. Et quia superiorem se hostibus esse putabat: quoties eos locorum commoditates habere videbat, non educebat suos, vt illos inuaderet. Posteaquam vero nullam ad se vrbem deficere cerneret, ac tempus elabi: gerendum aliquid esse putabat, quod quidem nisi faceret, pro hactenus parta gloria magnam infamiam exspectabat. Itaq; quum factus esset certior, hostes apud Mantinæam magna cum cura se muniuisse, ac Agesilaum omnesq; Lacedæmonios arcessere, iamque adeo cum copiis Agesilaum domo profectum apud Pellenen esse, animaduerteret: sumta cœna, denuntiatoq; militibus itinere, recta Spartam copias ducit. Quod nisi diuino quodam fato Cretensis quidam ad Agesilaum contendens, ei copias Epaminondæ aduentare nuntiasset: cepisset Spartam, quasi quemdam nidum, omnino a defensoribus desertam. Quum autem Agesilaus his ante compertis, conatum hostis in adeunda vrbe præcepisset: Spartani dispositis hinc inde suis, quamquam perpauci essent, vrbem tamen custodiebant. Nam & equites eorum iam in Arcadiam discesserant, & copiæ mercenariæ, & ex decem cohortibus tres. Posteaquam Epaminondas Spartā venisset, non vrbem illac ingrediebatur, vbi vel pugnam hostes in planicie commissuri erant, vel tela de ædificiis deiecturi, vel vbi nihilo plus in pugna multi, quam pauci erant effecturi: sed loco quodam occupato, quo se superiorem fore putabat, ita in vrbem descendit, non adscendit. Ceterum quod deinde accidit, partim numini potest adscribi, partim dici, desperatis neminē posse resistere. Nam quum Archidamus vix centum viros duceret, ac non solum traiecisset, id quod impediri potuisse quodammodo videbatur, sed etiam † in locum arduum versus hostes pergeret: tum illi, qui spirabant ignem, qui Lacedæmonios deuicerant, qui rebus omnibus superiores erant, ac præterea loco erant excelsiore, non excepere militum, quos Archidamus secum habebat, impetum: sed terga dedere, atque adeo primi, qui apud Epaminondam erant, occisi sunt. Quum autem exsultarent

Epaminōdæ strategema.

Epaminōdas Spartam accedit.

† Lectio marginis.

Lace-

Lacedæmonij ob victoriam, ideoq; persequerentur in- 644
tempestiuius: rursus & ipsi quosdam amisere: Nam de- “
scripti diuinitus erant, vti quidem videtur, concessæ ipsis “
victoriæ certi quidam fines. Archidamus eo loco, quo “
victoria potitus fuerat, tropæum excitauit: & eos, qui ex hostibus istic interemti erant, per inducias reddidit. Epaminondas autem secum ipse perpendens futurum, vt Arcades Lacedæmonem opis ferendæ caussa concurrerent: nolebat simul cum ipsis, & Lacedæmoniis vniuersis, posteaquam conuenissent, pugnare: præsertim quum res ipsis feliciter cessisset, suis male. Quamobrem rursus quamcelerrime Tegeam contendens, graui armaturæ quiescendi spacium concessit: equitatum Mantinæam misit, rogatum, vti labores eos constanter ferret: simul monitum, consentaneum esse, pecora Mantinæos vniuersa iam extra vrbem habere, itemq; viros omnes, præsertim id temporis, quo frumentum in vrbem conueheretur. Itaq; suscipiebant iter hoc equites. Interea profecti Eleusine Atheniensium equites, apud Isthmum cœna sumpta, quum Cleonas transiissent: forte ad Mantinæam accedebant, & castra intra muros ipsis in ædificiis habebant. Quum autem pateret iam aduentare hostes, Mantinæi Atheniensium equitum opem implorare, si quid illi possent. Dicere pecora vniuersa foris esse, itéque operas, & multos tum pueros, tum prouectioris ætatis homines ingenuos. Quibus Athenienses auditis, quamquā necdum vel se prandio, vel equos pabulo refecissent, tamen opem ferebant. Atque heic quis eorum virtutem non admiretur? qui quū hostes se longe maiores habere copias cernerent, & aduersum quemdam casum in vrbe Corintho pertulissent: nihil horum ad animum reuocarunt, ac ne id quidem, quod simul aduersus Thebanos ac Thessalos, equites hominū opinione longe præstantissimos, prœlio congressuri essent: sed turpe ducentes, si postea, quā aduenissent, nulla re sociis essent adiumento, quamprimum conspexissent hostes: manus cum eis conseruerūt, quum quidem gloriam maiorum tueri cuperent. Hoc modo commisso prœlio, Mantinæis omnia, quæ foris habebant, salua præstitere. Ceciderunt ex eis quidam viri fortes, cuiusmodi scilicet ipsi quoque

Præclarū facinus equitum Atheniensium.

interemerunt. Quippe nemo erat vtrimq;, cui tam exiguum telum esset, quo se mutuo non contingerent. Deinde cadauera suorum Athenienses tollunt, hostium cadaueribus quibusdam per inducias redditis. Atque heic
645 Epaminondas secũ cogitabat, intra dies paucos sibi abeundum esse necessario, quod huic expeditioni destinatum tempus effluxisset. Iam si eos, quibus opitulaturus aduenerat, desereret: futurum, vt ab hostibus illi obsiderentur, ipse gloriam omnem prorsus amitteret: qui apud Lacedæmonem cum grauis armaturæ multis peditibus a paucis victus esset, rursus ad Mantineam equestri prœlio superatus, denique caussam per susceptam hanc in Peloponesum expeditionem præbuisset, ob quam Lacedæmonij, Arcades, Achæi, Elei, Athenienses, se consociassent. Quare fieri non posse putabat, vt sine pugna discederet: præsertim quum se potientem victoria denuo ratiocinaretur aboliturum hæc vniuersa: sin mortem oppeteret, præclarum se vitę finem consequuturum existimabat, in conatu relinquendi patriæ suæ Peloponesi imperium. Atque huiusmodi quædam ipsum animo volutasse, mirum mihi quidem non videtur. Nam eiusmodi cogitationes in eos cadunt, qui honoris ac laudis cupidi sunt. Illa mihi magis admiranda videntur, quod exercitum sic consuefecerit: vt laborem nullum defugeret, non interdiu, non noctu: periculum nullum formidaret: quoties commeatus adesset exiguus, nihilominus dicto audiens esset. Nam quum postremum denuntiasset suis, vti se ad pugnam compararent: magna cum animorum alacritate galeas equites ipso iubente nitidas reddebant, ac nonnulli etiam Arcades grauis armaturæ pedites nomina dabant, gestantes clauas perinde, ac si Thebani essent: vniuersi denique tum hastas, tum gladios acuebant, & clupeos detergebant, vt fulgerent. Hoc modo paratos quum abduxisset, operæ pretium est considerare, quid deinceps fecerit. Primum, vt par erat, aciem struebat. Id quum faceret, indicare scilicet certo volebat, quod ad prœlium se compararet. Posteaquam copias ex animi arbitratu instruxisset, non via maxime compendiaria ducebat in hostem: sed ad Tegeæ montes, solem occidentẽ versus, & e regione sitos, pergebat.

Magnanimitas Epaminondæ.

Eiusdem ad exercitũ auctoritas.

Quo factum, vt iniiceretur hostibus opinio, minime ipsum eo die dimicaturum. Etenim posteaquam ad montem accessisset, iamq; phalanx eius esset explicata: subsistere militem sub locis eminentibus in armis iubet, adeoque castra munientis speciem exhibebat. Atq; hac re maxima ex parte in hostibus, quem in animis pugnandi ardorem conceperant, extinxit: itemq; aciei adparatum dissoluit. Deinde quum cohortes, quæ vtroq; progrediebantur in cornu, ad frontem adduxisset, aciemq; cuneatam eorum, quos circum se habebat, firmam reddidisset: tum vero suis arma sumere iussis præcedebat ipse, milites sequebantur. Eos quum præter opinionē suam aduentare viderent hostes, nemini amplius otioso esse licebat. Alii se ad ordines cursu conferebant, alij se instruebant, alij frænabant equos, alij loricas induebant. Omnes denique magis cladem accepturi, quam illaturi videbantur. Epaminondas contra, copias suas instar triremis aduerso quasi rostro ductitabat, existimans se, vbicunque tamdem impressione facta perrumperet aciem hostilem, vniuersum exercitum facile profligaturum. Nam cum parte copiarum longe robustissima prœlium committere parabat, infirma longius remota: quod sciret hāc, si quidem vinceretur, suis trepidationem, hostibus vires addituram. Accedebat id etiam, quod hostes equitatum suum instar phalangis grauis armaturæ peditum, densam in aciem instruxerant, peditibus nullis intermistis. At Epaminondas etiam equitum cuneum firmum fecerat, & pedites equis carentes iuxta eos collocarat. Existimabat enim fore, vt posteaquam equitatus perrupisset, hostium totus exercitus victus esset. Nam perdifficile est reperire, qui subsistere velint, quum suorum nonnullos terga dare conspiciunt. Iam ne Athenienses a læuo cornu succurrerent sibi proximis, quibusdā in collibus aduersus eos tum equites, tum grauis armaturæ pedites constituit: vt his etiam metum incuteret, quasi a tergo irruituri in ipsos essent, si quidem aliis vellent suppetias ferre. Atque hoc modo cum hoste confligens, spe sua minime frustratus est. Etenim illa parte, qua hostes adoriebatur, victoria potitus, vniuersum hostilem exercitum in fugam coniecit. Verū postea, quam

646

Pugna ad Mantinæam.

ipſe cecidit, non iam amplius ceteri victoria recte vti po-
Thebani tuere. Nam quum aduerſa phalanx fugeret, grauis ar-
victoria maturæ pedites neminem occidebant: neque de loco,
vti neſciũt quo prœlium commiſſum erat, progrediebantur. Iti-
dem quum equitatus hoſtilis fugam arripuiſſet, ne qui-
dem equites perſequendo quemquam vel equitem, vel
grauis armaturæ peditem interficiebant: ſed quaſi ſi
fuiſſent ipſi victi, trepide per fugientes hoſtes elabeban-
tur. Pedites autem, qui equos dimiſerãt, & cetrati, poſt-
eaquam vna cum equitibus viciſſent: læuum ad latus ſe
647 conferebant, quaſi iam ſuperiores facti eſſent. Verũ iſtic
maxima pars eorũ ab Athenienſibus eſt interemta. His
ita geſtis, contra quam vniuerſi homines arbitrarentur,
Euentus accidit. Nam quum tota fere Grȩcia cõueniſſet, caſtra-
pugnæ nec que oppoſita haberet: nemo non exiſtimabat futurum,
opinatus. vt, ſi prœlio decerneretur, victores imperarent, parerent
victi. Verum Deus illum euentum dedit, vt tropæum v-
trique ſtatuerent, quaſi qui viciſſent: nec ſtatuentes al-
teros impedirent alteri. Mortuos autem vtriq; tamquã
victores per inducias reddebant, & vtrique tamquam
victi per inducias recipiebant. Quumque victoria ſe po-
titos vtrique dicerent, non tamen vel obtenta regione
aliqua, vel oppido, vel imperio, condicionem ſuam face-
re meliorem, quam ea fuiſſet ante pugnam commiſſam,
videbantur. Confuſio quidem certe, rerumque pertur-
batio maior in Græcia poſt pugnam exſtitit, quam prius
fuerat. Atque hactenus mihi quidem hæc ſcripta
ſunto. Quæ vero ſequuntur, alij curæ for-
taſſis erunt.

*XENOPHONTIS HISTO-
riarum finis.*